P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEΩN,

LIBRI XV.

Ad fidem Editionis Heinsianæ accurate Emendati.

Cum Notis MINELLIANIS.



LONDINI:
Excudebat F. Collins, pro Societate Stationariorum. MDC XCI.

NASONIS EPIGRAMMA.

Orba parente ſuo quicunque Volumina tangis,
His ſaltem veſtrâ detur in Urbe locus.
Quoque magis faveas, non ſunt hæc edita ab illo,
Sed quaſi de Domini funere rapta ſui.
Quidquid in his igitur vitii rude Carmen habebit,
Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.

P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEΩN,

LIBRI XV.

Ad fidem Editionis Heinsianæ accurate Emendati.

Cum Notis MINELLIANIS.



LONDINI:
Excudebat F. Collins, pro Societate Stationariorum. MDCXCI.

and the Lord hath su
Ani cintind the

John We[illegible]

and the Lor

his booke

John Wyne
his booke

John Wyne 1695

John Redman
it done both tyme
no

LECTORIS.

OVidianas Metamorphoseis tibi do, amice Lector, ad Heinsianam Editionem quantâ potui cum curâ emendatas. Notas autem Minellianas ferme integras: aliquam multis in locis necesse erat eas immutare, cum enim ad vulgares Editiones fuerint conformatae, in quibus menda erant prope infinita, absurdum esset Textu correcto, eas prout primitus essent conceptae praelo tradere. Praeterea quoque cum pleraeque omnes sint paedagogicae, eas integras relinquere non tanti fuit, ac esset, si eruditionis alicujus reconditae speciem aliquam prae se tulissent: nam saepissime falsus est Minellius, saepissime quoque nil nisi frivolum omnibusque notum jactat. Pueris tamen, politiorisque Literaturae rudibus, scriptor est non inutilis: eisque prodesse solum studuit. Itaque multa ex Notis Heinsianis excerpsi, quaedam quoque de meo adjeci, quae fere omnia uncis inclusa hic illic sparsa videbis. Prioribus tribus Libris id praetermissum, quod & postea fecissem si meo arbitrio agere licuisset: Nam cum a Librariis primùm hortatus, Ovidium ad optimas Editiones quam emendatissimum edere statuissem, propositum mihi fuit spicilegium

quoque subjungere eorum quæ mihi vel ex Heinsio vel ex aliis fuissent observata, quibus lucem Auctori nostro darem. Concilium autem mutare coactus, ne moles Libri nimis cresceret, plura quam antea decreveram, inter ipsas notas Minellianas interposui. Quam ob caussam spicilegii mentio est aliquoties facta sub initium Libri, quod spicilegium nusquam apparet. Ea autem ad finem Libri adduntur, ne fraudem sibi factam fore quisquam quereretur. Hoc quoque te certiorem factum volo, omnes versus uncis inclusos Heinsio esse suspectos: ideoque & religio mihi fuit, ea pro genuinis tradere, quæ tanto Viro spuria videbantur. Quibusdam autem in locis illi haud prorsus assentior, quæ omnia prout quæque occurrunt, notata reperies. Vale & his fruere.

ADDEN-

ADDENDA.

Lib. I. v. 226. *Missi de gente Molossâ.*] Lege *Amyci de gente*: Amycus nomen Obsidis, in veterrimo codice legebatur *Amici.*

V. 546. *Quâ nimium placui.*] Quidam codices hos versus superiori præponunt. Aut tollendi sunt, aut legendi ordine inverso,

Quæ facis ut lædar, Tellus, aut hisce, vel istam,
Quâ nimium placui, mutando perde figuram.

V. 591. *Altorum nemorum.*] Forte melius sic

Eja horum nemorum, & nemorum monstraverat umbras.

nam *Altorum* minùs placet, cum *Altissimis* proximô versu legatur.

V. 639. *Venit ut ad ripas.*] Potius legendum

Venerat ut patrias ubi ludere sæpe solebat
Inachis ad ripas.

V. 700. *Talia verba refert.*] In vulgatis sequuntur

Tibi nubere Nympha volentis Votis Cede Dei.

hæc autem minime sunt Latina, præcipuamque narrationis venustatem subvertunt: in veterrimis quoque libris non leguntur.

Lib.

Lib. 2. v. 856. *Cornua parva quidem.*] Lege *vara* nam parva cornua boum vituperantur. Moscho εὐρύκερως βοῦς. Nonno ὑψίκερως βοῦς de Jove in taurum mutato. Hactenus Heinsius.

V. 131. *Poteras jam Cadme.*] Quæ ad hunc locum notaveram de mirâ illâ ἀκολουθίᾳ quâ fabulas inter se connexuit Ovidius, pluribus sunt persequendâ. Principio Operis *carmen suum perpetuum* nuncupavit: *Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.* Tale opus Græci vocant ἔπος κυκλικόν. Hoc autem carmen cyclicum, ita appellatur duas ab caussas. Primò quod continuo ordine posteriora prioribus succedunt: ita ut prima fabula sit caussa secundæ, ista tertiæ, & sic deinceps: ideoque communi vinculo omnia inter se colligentur. Deinde quod quæcunque ad istam materiam spectare possint contineat: Ita Noster omnes rerum transmutationes, quæ vel Græcis vel Romanis erant decantatæ, suo operi inseruit; Talia poëmata fuere apud Græcos multa. Immo quædam opera solutâ oratione concepta, eandem ob caussam κύκλος vocabantur. Ita Apollodori Bibliothecam non inconcinné quilibet κύκλον μυθικὸν diceret. Unde & Epigrammatarius cum epico Cyclo Apollodori scriptum contulit:

Μὴ κυκλίων ζήτει πολύθρυν γῆχον. Εἰς μὲ γδ᾽ ἀθρῶν
Εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πάνθ᾽ ὅσα κόσμος ἔχει.

Cyclo igitur omnia quæ ejusdem sunt Argumenti continentur: & si continuo ordine sibi mutuo nexa cohæreant, *opus perpetuum* appellari possit. Qui plura de his volet, adeat Danielis Heinsii Notas in Horatium *Od.* vii. *l.* 1.

Lib. 3. v. 314. *Nysëides antris.*] Nysa mons seu oppidum Arabiæ aut Indiæ ut quidam volunt. Ibi Bacchus educatus: inde Nymphæ Bacchi altrices

Nyseides

Nyseïdes dictæ. Sileni quoque, & Satyri *Nysigenæ*. Catullus Epith: Thetidis:

At Pater ex aliâ florens volitabat Jäcchus
Cum Thiaso satyrorum, & Nysigenis Silenis.

Lib. 3. v. 723. *Ille etiam vellet.*] Versus hic plerumque abest in impressis. Quædam membranæ eum agnoscunt, ut & Vivianus. Heinsius tamen Textui noluit eum inserere. Si quis autem ad hos duos versus qui sequuntur attendat, agnoscet sequentem versum esse mutilum absque præcedente. Versus autem hi sunt, Lib. 1. de Jö,

Illa etiam supplex Argo cum brachia vellet
Tendere; non habuit quæ brachia tenderet Argo.

Hæc enim quæ de Jö, & ista quæ de Pentheo leguntur, quivis per se videat sibi invicem examussim respondere: levi autem mutatione, res (ni fallor) melius patebit. Cum itaque in impressis hic Versus ita legatur, *Ille etiam vellet cum Brachia tendere Matri* ita potius legendum esse existimo

Ille etiam matri cum Brachia tendere vellet

ut ita cum sequente conjungatur

Non habet infelix quæ Matri brachia tendat.

hæ autem repetitiones nostro Poëtæ frequentes.

Lib. 4. v. 159. *Pullosque & luctibus aptos.*] Verbum *pullus* male pro *nigro* accipitur: est enim ex purpureo nigricans. Amictus lugubris veterum non semper niger: iste color plebi infimæ proprius, non honoratioribus: Ii enim ut & apud

pud nos Reges & principes cum lugerent vestibus atro-purpureis induti incedebant. Color iste *pullus* & *anthracinus* vocabatur; carbonum enim non penitus exstinctorum color non niger sed ferrugineus, ad cæruleum aliquanto accedens; ideoque a Græcis κυάνεος dictus. Qui plura volet, adeat Is: Vossium in Catullum, *p.* 168, & 208.

Lib. 4. v. 224. *Arripite arbitrium.*] Hic versus potius sic legendus *Arripite arbitrium matre in secreta loquente.* *In secreta* pro, in secreto loco. Noster. Lib. xiii. *In secreta venit*; de Polymestore Hecubam in Colloquium secretum admittente.

V. 273. *Sed non & Bacchus in illis.*] Antea *est* legebatur vice τοῦ &, perperam. Virg. Æn. viii.

----*Patriis sed non & filius arvis.*

Contentus. Æneid. vi. ------*Dardanidæ venient in regna Latini Sed non & venisse volent.*

V. 533. *Adunco Tibia cornu.*] Tibiis Bacchantum ut & Μηλοφακῶν aduncum seu curvum Cornu affigebatur, ut eo graviorem ederent Sonum: Græcis κώδων κεκλάσμενος cornu vocatur; quoniam cornu instar curvatum erat, & ex ære fabricatum. Voss. in Cat. p. 166.

V. 537. *Inania Tympana vincant.*] Tympanum construebatur, ex Cylindro concavo ligneo, qui pelle inducebatur, tintinnabulis æreis oram Cylindri ambientibus. Multus de his, eorumque constructione & usu idem supra memoratus Vossius in Catullum, *p.* 161.

Lib. 5. v. 48. *Edita Limnate.*] Unde Diana Limnate dicta magna lis est. Heinsii sententiam Notis inserui. Callimachi Interpres, Λίμνας δῆμος Ἀττικῆς, ἔνθα τιμᾶται ἡ Ἄρτεμις. *Limnæ, pagus Atticus, ibi Diana colitur:* forsitan ἀπὸ λιμένων *a Portubus.*

tubus. Nautæ enim Dianæ Limnatidi vota susceperunt. Callimachus —— καὶ μὲν ἀγυιαῖς Ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος. *Nam & triviis & portubus prospicis.*

V. 440. *Rutilis veniens Aurora capillis.*] Rutilus color crinium mulieribus percarus. Unde *rutilæ* dictæ mulieres teste Afranio, qui Festo citatur voce *Rutilus*. Cinere itaque aspergebantur, quo crines rutilabant; ministri qui id officium peragebant Cinerarii & Cinifiones dicti. Cinis autem iste quo usi erant, non semper erat pulvis *Carbonum*, sed sapo Gallicus. Plinius Nat. Hist. lib. xxviii. cap. 12. *Prodest & sapo, Gallorum hoc inventum rutilandis capillis. Fit ex Sebo & Cinere. Optimus fagino & caprino, qui & spissus & Candidus.* Gallos ob hoc inventum laudat Lucanus, Lib. x.

Hæc Libycos, pars tam flavos gerit altera crines
Ut nullis Cæsar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas.

Lib. 6: v. 200. *Latonæ.*] Hæc in vulgatis miré depravata leguntur:

Ite satis propere sacris; laurumque capillis
Ponite. Deponunt & sacra infecta relinquunt.
Quodque licet tacito venerantur murmure numen
Latonæ. Turba quantum distabat ab orba,
Tantum animosa sui furiis agitata doloris
Indignata Dea est.——

vides nunc quam belle omnia cohæreant, penultimo versu sublato, cæterisque ad fidem optimorum librorum suo loco restitutis.

Lib. 9. v. 74. *Domitamque peremi.*] Vulgó *reduxi:*

duxi: ad fidem duorum codicum qui *peremi* legunt; quorum lectionem textui inseruit Heinsius, qui istâ non contentus, *perussi* vel *præussi* potius reponendum censuit: minimâ autem mutatione res tota perficitur: lege *redussi*: a *reduro* verbo obsoleto: inusitata vox Librarios fefellit, & pro *ss* *x* posuere: & sic pro *redussi* quod non intellexerunt, *reduxi* legerunt, voce communi quidem, sed quæ heic nihil ad rem facit. *Peremi* quoque ni fallor primo interlineari manu posita, inde vel inscitiâ vel audaciâ exscriptoris in textum irrepsit. *Perussi* quoque legendum conjiciebat Heinsius, quod Hydræ cervix desecta flammis est domita, ne repullularet. Hanc emendationem debes Stephano Westono, Viro harum Literarum peritissimo, Collegii Regalis apud Cantabrigienses Socio.

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS * METAMORPHOSEΩN LIBER I.

1 IN nova 2 fert animus 3 mutatas dicere formas
Corpora. 4 Dii cœptis (5 nam dî mutastis & illas)
6 Adſpirate meis; primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum 7 deducite 8 tempora carmen.

*METAMORPHOSIS Latine Transformatio, à μεταμορφοῦσθαι, transformari, aliamque figuram ac faciem induere. Deſcribit enim Ovidius in his libris Transformationes illas, cum rerum, tum perſonarum, quæ jam inde ab initio mundi uſque ad ipſius tempora accidiſſe fabulis traduntur plurimæ.

1 Mos eſt fere Poëtarum ſtatim in ipſo operum ſuorum principio proponere primum quibus de rebus ſint tractaturi: deinde invocare: tertio loco narrare. Eam conſuetudinem Ovidius quoque in hujus operis initio ſervat. Nam & breviſſime ea, de quibus eſt ſcripturus, proponit; mox Deos, ut ſibi adeſſe velint, rogat; denique narrationem ab ipſo mundi primordio ord tur. 2 Cupit, id eſt, conſtitui. 3 Per Hypallagen: valet enim, corpora mutata in novas formas figuraſque. Perquam autem eleganter Poëta de corporum transformationibus dicturus, ab immutata verborum ſtructura orditur, ut nempe rerum mutationem verborum typo quadantenus adumbret. 4 Deos invocat, quo ſibi ita favere velint, ut, quæ à principio mundi uſque ad ſua tempora factæ ſunt mutationes, perpetuo carmine complecti poſſit. 5 Etenim Vos, Dii, mutaſtis illas, ac proinde merito veſtrum in iis enarrandis imploro auxilium. 6 Spiritum ac favorem immittite. Metaphora à ventis ſumpta, qui dum navium vela implent, aſpirare proprie dicuntur. Sic Virgil. *Aſpirat primo fortuna labori.* 7 Producite, protrahite inſtar fili omnem illam carminis materiam. Perpetuum, id eſt, nuſquam interruptum. Sic Horat. lib. 1. Od. 6. *Carmine perpetuo celebrare*; ita ut altera tranſmutatio alteri concinnè aptèque connectatur. 8 Uſque ad initium imperii Auguſti.

Chaos, & Mundi creatio. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Chaos, ut Heſiodus indicat in volumine quod deorum originem continet, fuit in initio rerum confuſio, quæ poſtea in ſuas ſpecies diſtributa eſt, ita ut leviſſima corporum, æther igneus, & infra hunc

aër frigidus, cæteraque sidera sublimem peterent partem: per quæ solis splendor ac lunæ vagaretur: gravissima autem, humus, liquorque, in ima parte subsiderent.

[1] ANte mare & tellus, & quod tegit omnia [2] cœlum,
Unus erat toto [3] naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos; rudis indigestaque moles:
Nec quicquam, nisi pondus [4] iners; congestaq; [5] eôdem
Non bene junctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina [6] Titan;
Nec nova crescendo reparabat cornua [7] Phœbe;
Nec [8] circumfuso pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata suis: nec [9] brachia longo
[10] Margine terrarum porrexerat [11] Amphitrite.
Quâque fuit tellus, illîc & [12] pontus, & [13] aër:
Sic erat [14] instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: [15] nulli sua forma manebat.
[16] Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere [17] habentia [18] pondus.
Hanc Deus, & melior litem [19] natura [20] diremit.
Nam cœlo terras, & terris abscidit undas:
Et [21] liquidum [22] spisso secrevit [23] ab aëre cœlum.
[24] Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.
[25] Ignea convexi vis & sine pondere cœli
Emicuit, summâque locum sibi [26] legit in arce.
[27] Proximus est aër illi levitate, locoque.

1 Hæc est narratio, quam à prima mundi origine Poëta sic repetit, ut describat primam rerum mutationem. Nam primum omnium fuisse Chaos ait, id est, quandam rerum omnium; sine ulla forma, confusionem. Deinde narrat quomodo Chaos in quatuor elementa, (ut veteres Philosophi voluerunt) ætherem, aërem, aquam, terram fuerit commutatum: & sic discretum, ut æther propter levitatem summum occupaverit locum, proximum aër, tertium aqua, in infimum vero propter gravitatem terra detrusa fuerit. 2 Quicquid alii conjiciant *Cælum* derivari vel à *celando*, vel à *cælando*, mihi equidem convenientius videtur habere nomen ἀπὸ τοῦ κοίλου, à concavitate. 3 Natura est vis, qua omnia nascuntur. 4 Pigrum & immobile. 5 In eundem locum inter se diffidentia semina & primordia rerum male conjunctarum. 6 Neque sol ullus erat, qui lumen funderet, neque luna quæ modo cresceret, modo decresceret. 7 Luna, quæ singulis mensibus renovari videtur. *Phœbus* Sol, *Phœbe* Luna: φοῖβος Græce *purus*. 8 Nec terra suis propriis ponderibus sustentata pendebat in aëre, ut nunc apparet. 9 Sic aquæ vocantur Brachia Oceani quibus terram amplectitur. 10 Margo est extremitas rei: q. d. nondum Oceanus terrarum extremitates ambitu suo fuerat complexus. 11 Oceani filia, Neptuni uxor, ex quæ Triton natus. Hic atque alibi pro mari ponitur, sic dicta παρὰ τοῦ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν, quod terram ambeundo conterat. 12 Pro aqua. Metonym. 13 Derivatur ut quidam volunt, ἀπὸ τοῦ αἴρειν, id est, ab elevando, vel extollendo. 14 Mobilis. 15 Nullum elementorum propriam habebat figuram atque naturam. 16 Inter se elementa pugnabant, quia contrariæ qualitates in eodem erant subjecto. 17 Cum levibus. 18 Gravia. 19 Deus. Nam & expositivè hic accipitur: q. d. Deus, sive Natura, vel Deus, i. e. Natura. 20 Dissolvit. Proprie autem dirimi dicuntur lites & prælia, cùm dissolvuntur atque tolluntur. 21 Purum, clarum. 22 Crasso: in quo & nubes generantur & pluviæ. 23 Separavit atque distinxit. 24 Postquam Deus quatuor elementa explicuit, & ex illo acervo, quod Chaos dicunt, eduxit, quamvis locis disjuncta essent, quadam tamen concordia ea copulavit. 25 Æther atque ignis, qui supremum propter levitatem sibi locum vendicavit 26 Elegit. 27 Proxime ad ignem ætheremque accedit.

[28] Densior his tellus; [29] elementaq; grandia traxit;
Et pressa [30] est gravitate sui. [31] Circumfluus humor,
Ultima possedit, [32] solidumque coërcuit orbem.

28 Crassior & gravior. 29 Partes magnas & graviores ex illo acervo secum traxit. Benè traxit; nam vi quadam naturali omnia gravia deorsum trahuntur. *Elementum* verò est corpus simplex in quod alia corpora resolvuntur. Dicitur *Elementum* quasi Alimentum, ab *alendo*, quod omnia corpora mixta ex illis aluntur, foventur & conservantur Propriè *Elementum* id dicitur, quod in re aliquâ primum est, & ex quo ipsa res componitur, ut litteræ sunt elementa dictionis. Sumitur etiam pro primis cujuslibet artis principiis, & præceptis: sic præcepta vel rudimenta Grammatica &c. vocamus Elementa. Sic ex veterum Philosophorum dogmatis sumitur pro illis quatuor simplicibus corporibus, igne, aëre, aqua, & terra, ex quorum permixtione omnia corpora inferiora, quæ propriè mixta dicuntur, consurgunt. 30 Ob gravitatem suam in infimum locum descendit. 31 Aqua. 32 Continuit durum terræ orbem. Coërcere enim eam non posset, nisi undique ipsam complecteretur. De hoc luculenter 1. Fast. *Lucidus hic aër, & quæ tria corpora restant, Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erat. Ut semel hæc rerum secessit lite suarum, Inque novas abiit massa soluta domos; Cœlum flamma petit, propior locus aëra cepit, Sederunt medio, terra fretumque loco.* Et, *Post Chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo; Inque novas species omne recessit opus: Pondere terra suo subsedit, & æquora traxit, At cœlum levitas in loca summa tulit.*

Hominis creatio. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Separata jam terra erat à cæteris elementis: sed homo nondum natus; ipsius terræ cultor futurus & dominus. Itaque Prometheus Japeti filius terram imbre mollivit, & ex hac hominem ad Dei similitudinem & imaginem finxit; cujus facies non prona, ut cæteris animalibus, esset in terram, sed cælum spectaret erecta.

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem [1] secuit, sectamque in [2] membra redegit:
[3] Principio terram, ne non [4] æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem [5] glomeravit in orbis.
Tum [6] freta diffundi, [7] rapidisque [8] tumescere ventis
[9] Jussit, & [10] ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit & fontes, immensaque stagna, [11] lacusque;
Fluminaque obliquis [12] cinxit [13] declivia [14] ripis:
[15] Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsa;
In mare perveniunt partim, [16] campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora [17] pulsant.
Jussit & [18] extendi campos, [19] subsidere [20] valles,

1 Separavit ac divisit. 2 In partes diduxit. 3 Postquam Chaos in 4. elementa distinxit, effecit ut undique terra foret rotunda, variisque rebus instituerctur. 4 Æqualis undique esset. 5 Effecit in similitudinem magni globi & pilæ, quæ ex omni parte sibi est equalis. *Glomerare* enim est globum (qui undique rotundus est) efficere. 6 Freta propriè dicuntur maria angusta inter duas terras existentia, à fervendo dicta. 7 Rapacibus, omnia secum rapientibus. 8 Inflari, in tempestatem erigi. 9 Voluit. 10 Undiquè à mari circumdatæ. Litora autem propriè maris dicuntur. 11 Maximas paludes. 12 Circumdedit. 13 Deorsum labentia. 14 Ripæ propriæ sunt fluminum. 15 Fluminum naturam describit. Nam quædam ab ipsà sorbentur terra, quædam in mare deferuntur. 16 Æquore. Propriè *campus* est terræ planities. 17 Percutiunt. Eleganter autem littora à *ripis* distinxit: littora enim maris, ripæ fluminum dicuntur. 18 Terræ planities dilatari. 10 In ima descendere. 20 *Vallis* ea oblonga concavitas dicitur, quæ est inter duos montes vicinos.

[21] Fronde tegi sylvas, [22] lapidosos surgere montes.
Utq; [23] duæ [24] dextra cœlum, totidemq; [25] sinistra
Parte secant Zonæ, [26] quinta est ardentior illis:
[27] Sic onus inclusum numero distinxit eodem
[28] Cura Dei: totidemq; [29] plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis [30] æstu;
Nix tegit alta duas: [31] totidem inter utramque locavit,
[32] Temperiemque dedit, mista cum frigore flamma.
Imminet his aër, qui, quanto est pondere terræ,
Pondus aquæ levius; tanto est [33] onerosior igni.
[34] Illic & [35] nebulas, illic consistere [36] nubes
Jussit, & humanas motura [37] tonitrua mentes,
Et cum [38] fulminibus facientes frigora [39] ventos.
His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aëra permisit. [40] Vix nunc obsistitur illis,
(Cùm [41] sua quisq; regant [42] diverso flamina tractu)
Quin [43] lanient mundum: *Tanta est discordia* [44] *fratrum*:

21 Arbores in sylvis nasci. 22 Montes saxosos in altum tolli. 23 Cingula, circuli. Ζώνη enim est spatium terræ interpositum inter duos Tropicos, vel inter alterutrum Tropicorum & vicinum circulum Polarem, vel alterutrum Circulorum Polarium, & proximum punctum Polarem. Qua ratione quinque Zonæ reperiuntur, quarum duæ extremæ *Frigidæ* dicuntur, media *Torrida* & duæ *Temperatæ* inter Torridam & Frigidas. Undè Virg. 1. *Georg.* sic canit: *Quinque tenent cælum Zonæ, quarum una corusco Semper sole rubens, & Torrida semper ab igni: Quam circum extremæ dextrâ lævâque trahuntur Cæruleâ glacie concretæ, atque imbribus atris: Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris Munere concessæ divum.* Appellantur autem Zonæ, quia sunt circuli quidam lati, cœlum terramque veluti cingula quædam ambientes. Zona torrida est Zona, quæ inter duos Tropicos Cancri & Capricorni continetur; continens in latitudine gradus 47. mediam intersecat Circulus Æquinoctialis. Vocatur autem *Torrida*, à Solis, cujus viæ subjecta est, perpetuo ardore: propter quem vetustissimis mortalium inhabitabilis putabatur. *Zona Temperata* ad Septentrionem, est inter Tropicum Cancri & Circulum Arcticum. *Zona Temperata* ad Austrum, est inter Tropicum Capricorni & Circulum Antarcticum. Dicuntur autem *Temperatæ*, quia in medio inter frigus & calorem positæ sunt. *Zona Frigida Septentrionalis*, est inter Circulum Arcticum, & punctum Polarem Septentrionalem, à quo Circulo ad hujusmodi punctum sunt gradus 23. cum dimidio. *Zona Frigida Australis* est inter Circulum Antarcticum, & punctum Polarem Australem. Vocantur autem hæ duæ extremæ *Frigidæ*, quia longissimè à Solis viâ sepositæ sunt, & ob nimium frigus itidem inhabitabiles veteribus existimabantur. 24 Quæ ad Arcticum vergit Polum. 25 Quæ ad Antarcticum vergit Polum. 26 Quintam Poëta Mediam vocat, quam idcircò ardentiorem esse ait quod per eam Sol bis in anno decurrit. 27 Terram. Nam Terra, quæ est ponderosa, quinque Zonis continetur atque distinguitur. 28 Deus. 29 Regiones. 30 Fervore, ac nimio calore 31 Duas temperatas inter extremas & mediam collocavit. 32 Quæ idcircò Temperatæ vocantur, quia (ut diximus) in medio inter frigus & calorem positæ sunt. 33 Ponderosior, gravior. 34 In illo aëre. 35 Nebulæ sunt vapores densi haud longè à terris aquisve recedentes. 36 Nubes est vapor humidus & densus, ad mediam usque aëris regionem evectus, ibique compactus à frigore, ut cœlum nobis obumbret. 37 *Tonitru* est sonus, quem sicca exhalatio, intra nubem densam ac magnam conclusa, & ictu vehementi eam dirumpens, efficit. 38 Fulmina & venti, frigora adducentes, in aëre gignuntur. *Fulmen* est exhalatio ignita è nube magno impetu excussa. 39 *Ventus* est exhalatio multa & copiosa, à terrâ progressa, quæ ab occurrente frigore repulsa & repressa, paulatim in obliquum retorquetur, & cum impetu per aërem ruit. 40 Cum difficultate resistitur violentiæ ventorum, quamvis unicuique eorum propria loca fuerint assignata. Quod si totus aër illis fuisset permissus, de rebus humanis actum foret. 41 Suos spiritus. 42 Diversis regionibus: Eurus ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster à Meridie, Boreas à Septentrione. 43 Dilacerent. 44 Quia Auroræ & Astrei gigantis filii fuisse finguntur.

[45] Eurus ad [46] Auroram, [47] Nabathæaque regna recessit,
[48] Persidaque, & [49] radiis [50] juga subdita matutinis.
[51] Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt [nem
Proxima sunt Zephyro: [52] Scythiam, [53] septemq; trio-
[54] Horrifer invasit [55] Boreas: contraria tellus
Nubibus assiduis, [56] pluvioque madescit ab Austro:
[57] Hæc super imposuit liquidum & gravitate caren-
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem. [tem
Vix ea limitibus [58] dissepserat omnia [59] certis:
Cum, quæ pressa diu [60] massa latuere sub illâ,
[61] Sidera cœperunt toto effervescere cœlo.
[62] Neu regio foret ulla [63] suis animantibus [64] orba:
[65] Astra tenent cœleste [66] solum, formæque Deorum:
[67] Cesserunt [68] nitidis habitandæ piscibus undæ;
[69] Terra feras cepit, [70] volucres [71] agitabilis aër.

45 Hic describuntur Venti Principales seu Cardinales, qu à quatuor mundi cardinibus, Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione (unde *cardinales* dicti) spirant. 46 Hic spirat ab ortu æquinoctiali, qui cum suis collateralibus est moderatè calidus, siccus, serenus, omnium saluberrimus, reddit corpora expedita & mollia. 47 Orientalia.

Nabath enim (ut narrant) Ismaëlis filius, una cum undecim fratribus suis omnem terram ab Euphrate ad mare rubrum usque positam tenuit, Nabathæamque provinciam nominavit. Undè *Nabathæa regna* fuerunt appellata. 48 Persis, quæ & Persia dicitur, regio est Indiæ finitima. 49 Radiis Solis exorientis. 50 Montes subjectos. 51 Euro contrarius Zephyrus (quem *Favonium*, quòd satis omnibus faveat. Latini appellant) ab occasu æquinoctiali fiat, qui ventus cum suis collateralibus est frigidus & humidus, nubilus & tempestuosus, ad pluviam pronus, corporibus & animis minùs salutaris. 52 Regionem ad Septentrionem sitam, à Scythâ rege denominatam. 53 Triones boves dicti sunt aratorii. Septem autem stellæ ita in ea parte cœli sunt collocatæ, ut plaustrum cum bobus effingere videantur, quæ & *Septentriones* vocantur, & illi regioni *Septentrionis* nomen imposuerunt. Lego tamen cum optimæ notæ membranis septem trionem; ita Virgil. Talis hyperboreo septem subjecta Trioni. gens effræna virum. *Heinsius.* 54 Horrorem ac frigus ferens. 55 Hic à Septentrione spirat, qui cum suis collateralibus frigidus est & siccus, (transmeat enim per loca nivosa & frigida) ideòque concitat grandines, nives, fulmina, aërem purgat, corpora corroborat. 56 Auster seu Notus calidus est & humidus, ideòque pluviosus (spirat enim per mare & loca humentia & calida) à meridie spirat. Alii plures ventos statuunt, quos collaterales vocant, qui ad latera ventorum cardinalium tanquam socii & comites adjiciuntur, ita ut omninò sint 12. his versibus comprehensi: *Flat Subsolanus, Vulturnus, & Eurus ab Ortu: Circius Occasum, Zephyrusque Favonius afflant. Et media de parte dic Notus, Africus, Auster: Conveniunt Aquilo, Boreas, & Corus ab Arcto.* 57 Aëri, in quo venti regnant, superimpositus est æther, qu & gravitate, & omni perturbatione caret. *Æther* autem (qui ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, *à semper currendo*, vel ἀπὸ τοῦ αἴθειν, ab ardendo, derivatur) idem esse cum cœlo, à Cicerone perhibetur, in quo igneæ formæ cursus determinatos efficiunt. 58 Distinxerat, sc. Deus, sive Melior Natura. 59 Terminis fixis ac immutabilibus. 60 Sub ipsa massa, sub illo acervo, quod Chaos prisci vocarunt. 61 Sidus est signum ex multis stellis compositum, ut Aries, Taurus, &c. Stellæ autem sunt singulares, ac solæ, neque cum aliis mistæ, ut Planetæ. 62 Neve. Animalibus ita mundi partes fuerunt exornatæ, ut Dii & Astra cœlum tenerent, pisces maria sortirentur, feræ terram occuparent, volucribus aër sit assignatus. 63 Propriis, ac ipsi convenientibus. 64 Privata. 65 Eorum sequitur opinionem, qui ajunt sydera & Deos esse animalia. 66 *Solum* est, quicquid rem aliquam sustinet, ut navium, pisciumque solum dicitur esse mare, hominum verò terra; avium aër; siderum ac Deorum cœlum. Undè etiam patriam natale solum dicimus, & exulem, qui â patriâ sit expulsus, quasi qui extra solum sit ejectus. 67 In divisione obtigerunt. Cedere enim interdum significat, in jus alicujus venire: ut *hoc mihi cedit*, i. in jus meum transit. Alioqui cedere est abire, & locum dare. 68 Ob squammarum nitorem, quæ speculi ad instar lucem reflectunt. 69 Terra animalia bruta accepit. 70 Aves, *à volando dictæ*. De hoc 2. De Arte. *Sylva feras, aër volucres accepit habendas; In liquida pisces delituistis aquâ.* 71 Mobilis, quia facilè huc atque illuc impellitur.

[72] Sanctius [73] his animal, mentisque capacius [74] altæ
Deerat adhuc, [75] & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est: sive hunc divino semine fecit
[76] Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, [77] seductaque nuper ab alto
Æthere, [78] cognati retinebat semina cœli:
Quam [79] satus Japeto, mistam fluvialibus undis,
[80] Finxit in [81] effigiem [82] moderantum cuncta Deorum.
[83] Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, [84] modo quæ fuerat rudis & sine [85] imagine tellus,
[86] Induit ignotas hominum [87] conversa figuras.

72 Ultimus animalium homo ex terræ limo ad imaginem & similitudinem Dei fuit creatus, sive à Deo, totius mundi opifice, quod verum est; sive à Prometheo, Japeti filio, quod Poëtæ finxerunt. 73 Feris, piscibus, avibus, non Diis. 74 Profundæ memoriæ, magnique ingenii: vel mentis divinæ magis particeps, quam cætera animantia, propter rationem, quæ in solo homine est, quæ divinæ particula auræ appellatur. 75 Quod in reliqua imperium haberet: omnia enim potestati hominis Deus subjecit. 76 Deus: nam Deus rerum omnium est autor. 77 Separata. 78 Simul nati. Nam terra unà cum cœlo ex illo acervo, quod Chaos vocarunt, orta esse perhibetur. 79 Filius Japeti, sc. Prometheus. 80 Formavit. 81 In similitudinem & imaginem. 82 Regentium & gubernantium. 83 Cùm alia animalia curvata sint in terram, homo solus ore sublimi & ad cælum erecto, præditus est, ut Deum, ad cujus imaginem creatus est, assiduè contempletur, & cœlum (undè originem traxit) intueatur. 84 Nuper, paulò antè. 85 Formâ. 86 Accepit homines anteà sibi ignotos. 87 In figuram eam, quam habet commutata.

Quatuor mundi ætates. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Ex quo Chaos tenebrosum injecta luce discussum est, & discretis elementis faciem hanc tam claram mundus accepit; deinceps, quasi in ætates quasdam, in sæcula quatuor distributum est, hoc est, Aureum, Argenteum, Æreum, Ferreum, quibus pro qualitate sui ascripta sunt nomina. Nam Aureum sæculum dictum est, quod Saturno regnante omnium rerum erat plena tranquillitas: non furor sæviebat armorum, non avaritia hominum fluctibus commiserat vitam: & cessantibus rastris inarata gravidas fruges terra præbebat. Otiosa erat ac secura vita mortalibus: ac sine vicissitudine temporum continua veris gratia fruebantur. Deinde sæculum in Argenteum ab aureo colore migravit: tunc primum & æstus ardentior cæli, & graviora frigora incubuere mortalibus. Tunc ædificata domorum tutiora secreta. Antea enim aut in antris habitabant, aut incolebant tecta sylvarum. Semina etiam tum primum sulcis cœpere committere; cum jam terra solita hominibus negaret alimenta.

menta. Tertium sæculum successit Æreum, argento jam durius. Cœpere homines inverecundius vivere: nam cupiditate habendi avaritia cum invidia exorta est. Inde mare pervium factum, dum divitiæ requiruntur. Terra quoque antea cunctis communis, limitibus, terminisque discreta est: & in venis ejus non solum frumenta quæsita sunt, sed & metalla inventa crepuerunt. Quartum sæculum ferri nimio rigore duratum est: quod in tantam rabiem furoris erupit, ut omnia scelera cupiditatis excederet: nam ab otioso vitio, & insanientis avaritiæ grassationibus ad parricidia usque perventum est.

[1] AUrea prima [2] sata est ætas, quæ [3] vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem [4] rectumque colebat.
Pœna metusq; aberant; nec verba [5] minantia fixo
Ære legebantur: nec [6] supplex turba timebat
Judicis [7] ora sui; sed erant sine vindice [8] tuti. [bem,
[9] Nondum cæsa suis, [10] peregrinum ut [11] viseret or-
Montibus, in liquidas [12] pinus descenderat undas:
Nullaque [13] mortales præter sua littora norant.
[14] Nondum [15] præcipites cingebant oppida fossæ;
[16] Non tuba directi, non [17] æris cornua flexi,
Non [18] galeæ, non ensis erant: sine militis [19] usu
[20] Mollia securæ peragebant otia mentes.
[21] Ipsa quoq; [22] immunis, [23] rastroq; intacta, nec ullis
[24] Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.
Contentique cibis nullo [25] cogente creatis,
[26] Arbuteos fœtus, [27] montanaque fraga legebant,

1 Ex variis hominum moribus quatuor ætates effectæ videntur, quibus pro morum qualitate à metallis nomina imposita fuerunt. Prima enim *Aurea* fuit appellata, quòd optimis moribus, illo tempore, quo Saturnus regnavit, homines floruerint. Secunda *Argentea*, quòd quo tempore cœpit regnare Jupiter, in vitia homines inclinare cœperunt. Tertia *Ærea*, quam bella occuparunt. Quarta *Ferrea*, quòd in eâ à nullo crudelitatis genere homines abstinuerunt. 2 Seminata, ac ex moribus hominum effecta. 3 Punitore. 4 Honestatem ac virtutes. 5 Nec leges atque edicta in æs incidebantur, &, ut ab omnibus legi possent, publicis parietibus affigebantur, mos n. apud Romanos S C. cœterasque publicas Leges Æneis Tabulis incisas & loco conspicuo adfixas publicè legendas proponere. 6 Nam aureæ ætatis tempore nullus erat judex, cum omnes sponte rectè agerent. 7 Faciem & vultum. 8 Securi & ab omni injuriâ remoti. 9 Tunc nemo ad navigandum naves fabricatus est: unusquisque enim suis locis contentus erat. 10 Alienas terras. Totum pro parte. 11 Ad videndum iret. 12 Arbor. Species pro genere. Est autem pinus arbor montana, ex quâ naves conficiuntur. 13 Homines. 14 Nulla tunc oppida erant. 15 Altæ. 16 Nulla tunc bellica instrumenta in usu erant. Nam tubas, buccinas, & cornua in exercitu habebant Romani. 17 Litui: nam Lituus tuba est inflexa. 18 Galea tegmen est capitis ferreum. 19 Operâ, i. sine bello & prœliis. 20 Suavia, ab effectu, quod molles homines reddant. 21 Terra sine ullo cultu omnia victui animalium necessaria abundè suppeditabat. Undè Virg. 1. Georg. *Ante Jovem*, &c. 22 Libera aut à culturâ, aut sine ullo seminum munere. 23 Instrumentum ad excolendam terram accommodatum: à radendo dictum, quod terram radat. 24 Vulnerata. Cùm enim terra proscinditur aratris, maxima tum vulnera pati videtur. 25 Colente agros. Qui enim agros colit, cogere ipsos videtur, ut fructus emittant. 26 Fructus arbuti, quæ est arbor admodum humilis, poma ferens rubicunda. 27 Quæ in montibus colliguntur.

[28] Cornaque, & in [29] duris hærentia mora [30] rubetis,
[31] Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.
[32] Ver erat æternum; placidique tepentibus auris
[33] Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam [34] fruges tellus inarata ferebat:
[35] Nec renovatus ager gravidis [36] canebat [37] aristis.
Flumina jam lactis, jam flumina [38] nectaris ibant:
Flavaque de viridi [39] stillabant [40] ilice mella.

28 Poma sunt rubicunda. 29 Asperis, spinosis. 30 Locis rudis & spinis consitis. 31 Glandibus quoque, quæ ex quercubus arboribus Jovi sacris, cadebant, vescebantur illi homines primi. 32 Nullæ tunc erant variationes temporum, sed Zephyri assiduè flantes sine ullo semine nascentes sic fovebant flores, ut ver semper esse videretur. 33 Leniebant. fovebant, ut non nimio neque calore, neque frigore arescerent. 34 Fruges dicuntur omnes fructus, quicunque è terrâ nascuntur, in quibus poma quoque commemorantur. 35 Tunc minimè opus erat agros renovare, cum singulis annis sine ullo cultu frumenta ferrent. Est autem Novalis, periphrasis: Novalis enim est arvum, quod alternis annis seritur. 36 Canus fiebat. Nam agri, frumentis maturis, canescere videntur. 37 Plenis granorum spicis. *Aristas* enim, quæ sunt partes spicæ primùm arescentes, (unde & nomen sumpserunt) pro ipsis spicis posuit. 38 Nectar potio est Deorum suavissima. 39 Guttatim cadebant. 40 Querceu. Ilex autem arbor est glandifera, Jovi consecrata.

Quatuor anni tempora. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Cùm Saturno aurei sæculi rectore, cœli arce dejecto, teneret Jupiter mundum, sicut ipse Saturnus; mundum in quatuor ac diversa tempora coarctavit, ut ver, quod fuerat ante unum semper ad serenam tranquillitatem continuam, in parte anni quarta angustissimum cogeret tempus: ut huic succederet ardor æstatis, & tertio sequeretur autumni infida temperies, & post hæc totus annus rigida hyeme clauderetur: quatuor tempora veris exordio qualitatem imitarentur, & ordinem sæculorum.

[1] POstquam, [2] Saturno [3] tenebrosa in [4] Tartara misso,
Sub [5] Jove mundus erat; subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære:

1 Aureæ ætati, quâ Saturnus regnavit, subnectitur Argentea, in quâ regnavit Jupiter, quæ ut Aureâ deterior, sic est Æreâ melior. 2 Postquam Saturnus, Aurei sæculi rector, à Jove filio Cretæ regno est pulsus, & ad inferos relegatus. Saturnus enim, Vestæ filius, auxilio Titanum fretus, cum Jove filio, imperium orbis occupato, congressus, & ab illo Cretæ regno pulsus, ad Janum, Italiæ regem, confugit, à quo benignè susceptus, & in partem regni admissus, urbem condidit in iis locis, ubi nunc est Roma, quam de suo nomine *Saturniam* appellavit. Hinc Virg. 7. Æn. *Primus ab æthereo*, &c. 3 Tenebrarum plena. 4 Tartarus locus est apud inferos profundissimus. 5 Imperio Jovis, qui filius Saturni & Opis fuisse, ac eodem partu cum Junone editus dicitur. Jupitur dictus est (ut scribit Cicero) quasi *juvans pater*. Ordo est: *Jupiter contraxit tempora antiqui veris, postquam mundus erat sub Jove, misso Saturno in Tartara tenebrosa.*

Juppiter [6] antiqui [7] contraxit tempora veris,
Perque hyemes, [8] æstusque, & inæquales autumnos,
Et [9] breve ver, [10] spatiis [11] exegit quatuor annum.
Tum primùm siccis aër fervoribus ustus
[12] Canduit; & [13] ventis glacies [14] astricta [15] pependit.
Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & [16] vinctæ cortice virgæ.
[17] Semina tum primum longis [18] Cerealia sulcis.
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.
[19] Tertia post illas successit ahenea proles.
[20] Sævior ingeniis, & ad [21] horrida promptior arma,
Non scelerata tamen. [22] De duro est ultima ferro.
Protinus [23] irrumpit [24] venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque:
In quorum subière locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, & [25] vis, & [26] amor sceleratus habendi.
[27] Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos,
[28] Navita, quæque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis [29] insultavêre carinæ.
[30] Communemq; priùs, ceu lumina solis & auras,
[31] Cautus humum longo signavit [32] limite mensor
[33] Nec tantùm segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus; [34] sed itum est in viscera terræ:
Quasque recondiderat, [35] Stygiisque [36] admoverat umbris,
EFFODIUNTUR [37] *opes*, [38] *irritamenta malorum*,
Jamque [39] nocens ferrum, [40] ferroque nocentius aurum

6 Perpetui illius, quo Aurea ætas est gavisa. 7 Abbreviavit. 8 Æstatem. 9 Illius perpetui comparatione ver breve dicitur. 10 Mensuris temporum singulæ enim anni partes ex tribus mensibus constant. 11 Digessit. 12 Candens & igneus visus est propter nimium æstum. 13 Boreâ, aliisque frigidis. Ventorum enim frigore aqua in glaciem constringitur. 14 Constricta, congelata. 15 Ab arboribus, speluncarumque tegminibus. 16 Crates, aut simile quippiam ex corticibus & virgis inter se iunctis contextum, quibus tum pro domibus usi sunt habitantes. De hoc 2. De Arte: *Tum genus humanum solis errabat in agris; Hisque meræ vires, & rude corpus erat. Sylva domus fuerat, domus herba, cubilia frondes: Jamque diu nulli cognitus alter erat.* 17 Tunc primum homines cœperunt arare & seminare. 18 Frumenta: nam Ceres prima omnium frumenta hominibus ostendit, cùm anteà glandibus vescerentur. 19 Ærea ætas, quæ & Ænea dicitur, Argenteam est subsecuta, cujus homines bellicosi quidem erant, procul tamen à notoriis sceleribus aberant. 20 Durior, asperior, quam Argentea fuit. 21 Horrorem incutientia. 22 Ultima ætas à *ferro*, metallorum durissimo, propter feros mores est appellata. Nam relictis virtutibus illius ætatis, homines vitia ita sunt amplexi, ut omne honestum terras reliquisse videatur. 23 Cum impetu intravit. 24 Metalli deterioris. Nam venæ non tantum animalium dicuntur, sed etiam metallorum. 25 Violentia. 26 Avaritia, quæ idcirco scelerata vocatur, quòd hominem ad omne scelus impellat, sceleratumque faciat. 27 Navigabat. Probat autem homines ferreæ ætatis avaritiæ nimium studuisse, cum imperiti navigandi, se tamen ventis quorum naturam ignorabant, committerent. 28 Nauta, per epenthesin. 29 Saltus quosdam dedisse sunt visæ. 30 Tum primùm terra, anteà communis, dividi est cœpta. 31 Providus. 32 Termino. Agri Mensores autem dicebantur qui agros limitibus discernebant. 33 Non solùm fruges coacta est proferre terra, sed lapilli quoque pretiosi, & metalla ex ejus visceribus sunt effossa. 34 In intimas terræ partes fodiendo descensum est. 35 Inferis. Eorum sequitur opinionem qui ajunt inferos in centro terræ esse. 36 Apposuerat. 37 Lapilli pretiosi, aurum & argentum. 38 Incitamenta ac stimuli ad mala perpetranda. 39 Ex ferro enim conficiuntur enses, quibus homines occiduntur. 40 Nam auri adipiscendi gratià, gravissima quæque fœdissimaque scelera committuntur. Unde Virg. *Quid non mortalia pectora cogit Auri sacra fames?*

Prodierat:

41 Et ferro & auro. Victoria enim solet in illis residere castris in quibus plus auri pecuniarumque habetur. 42 Sanguinolenta. Bello autem, ut homini, manus & sensum attribuit Poëta. 43 Resonantia. 44 Rapina.

Prodierat: prodit bellum, quod pugnat [41] utroque;
[42] Sanguineâq; manu [43] crepitantia concutit arma.
Vivitur ex [44] rapto: non [45] hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: *fratrum quoque* [46] *gratia rara est.*
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
[47] Lurida [48] terribiles miscent [49] aconita novercæ:
Filius ante diem patrios [50] inquirit in annos.
Victa [51] jacet [52] pietas: & [53] virgo [54] cæde madentes
Ultima cœlestûm terras Astræa reliquit.

45 *Hospes* enim proprie is dicitur qui privatim & amicitiæ causâ alterum hospitio excipit, vel etiam excipitur. *Hospes* item pro peregrino accipitur. 46 Concordia. 47 Metaph. terribilia. n. & dira, lurida, nigra appellantur. 48 Crudeles in privignos. 49 Venena. Nam aconitum herba est maximè venenosa ex spumâ Cerberi canis primùm in cotibus nata, undè & nomen accepit. Nam ἀκόνη Græcè cotem significat undè aconitum est deductum. 50 Utrum pater multos annos sit victurus: an paucos, sortilegos filius consulit. 51 In nullo est pretio. 52 Pietas contemnitur. Propriè autem Pietas dicitur cultus, quem Deo, patriæ, parentibus & sanguine conjunctis debemus. 53 Justitia, quæ Astræi gigantis filia fuisse dicitur, vel (ut alii) Jovis & Themidis. Ordo est: *Et virgo Astræa ultima cœlestium reliquit terras madentes cæde.* 54 Sanguinis effusione. Hac de re lib. 1. Fast. *Nondum Justitiam facinus mortale fugarat, Ultima de superis illa reliquit humum.*

Gigantomachia. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Gigantes immensæ molis homines, & similes matri filios parens Terra progenuit: quorum magnitudini par exarsit audacia. Nam extructis in excelsum aggerem montibus, sacrilegas manus injecêre cœlestibus. Sed fulminum igne dejecti, impium genus pœna sua & cruore generarunt: nam sanguis eorum permistus terræ, homines procreavit haud longe ab origine discrepantes.

1 Altum cœlum. 2 Anxiè, & summo cum desiderio quæsivisse. Nam affectare significat aliquid nimiùm appetere. 3 Vastissimorum corporum homines, Terræ filii, sine patre. 4 Jupiter.

NEve foret terris securior [1] arduus æther;
[2] Affectâsse ferunt regnum cœleste [3] Gigantas,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum [4] pater omnipotens misso perfregit [5] Olympum
Fulmine, & [6] excussit subjecto [7] Pelio Ossam
[8] Obruta mole sua cùm corpora [9] dira jacerent,
Perfusam multo natorum [10] sanguine terram
Immaduisse ferunt, [11] calidumq; animasse cruorem.
[12] Et, ne nulla feræ stirpis [13] monumenta manerent,

5 Macedoniæ montem altissimum. Sæpissime tamen, ut & in hoc loco Olympus pro ipso cœlo ponitur. 6 Quatiendo dejecit. 7 Thessaliæ montes sunt. 8 Oppressa vastitate suâ, magnitudine ac pondere. 9 Crudelia. 10 Nam Gigantes Terræ filii fuisse diximus. 11 Animam calido cruori immisisse. 12 Et sit aliqua memoria suæ feræ prolis maneret ac restaret. 13 Memoria suæ prolis. *Monumentum* enim dicitur, quicquid ad posteritatis memoriam conficitur.

In

In [14] faciem vertisse hominum: sed & [15] illa propago
Contemptrix superum, sævæque avidissima cædis,
Et violenta fuit. [16] *Scires è sanguine natos.*

14 In figuram humanam, ac denique in homines. 15 Verùm etiam illa progenies quæ ex sanguine Gigantum orta est, impia fuit in Deos, & ab omni humanitate æquitateque aliena. 16 Scire posses ex aviditate cædis, ex Gigantum sanguine genitos esse.

Lycaon in Lupum. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

De Gigantum sanguine nati quam sacrilega mente versati sint, Lycaonis exemplum testatur: qui tyrannus Arcadiæ, cum advenas & hospites trucidaret, etiam Jovem in se accendit iratum. Nam Jupiter humani sceleris impatiens, in deos querimonia delata, & simulata hominis specie, ad Lycaonis regiam venit: cui Lycaon quasi mortali præparans mortem, prius humana membra devoranda, velut hospitali humanitate apposuit. Quod postquam Jupiter sensit, non eum penitus interemit, ne supplicii amitteret sensum: sed in lupi formam convertit, qui & mores in rabie, & nomen Lycaonis in appellatione servaret. Nec contentus fuit Jupiter, cæteros homines unius Lycaonis terrere supplicio, nisi in omne genus sæviret. Inde denique jussit tantam aquarum copiam redundare, ut opertis diluvio montibus cuncti homines interirent.

QUæ [1] pater [2] ut [3] summa vidit Saturnius arce,
Ingemit: [4] & facto nondum vulgata recenti
[5] Fœda Lycaoniæ [6] referens convivia mensæ.
Ingentes animo, & dignas Jove concipit iras:
[7] Conciliumque vocat; tenuit mora nulla vocatos.
[8] Est via sublimis, [9] cœlo manifesta sereno;
Lactea nomen habet, [10] candore notabilis ipso.
Hac iter est superis ad magni tecta [11] Tonantis.

1 Jupiter, Saturni filius. 2 Postquam. 3 A summo cœli vertice. 4 Propter scelus paulò antè commissum nondum erant cognita Lycaonis convivia Jovi apposita. 5 Crudelia. Nam Lycaon hospitio susceptos non solùm interficiebat, sed etiam convivis comedendos apponebat. Quod quidem cùm Jupiter cognovisset, ejus domum incendit, & Lycaonem in lupum, animal rapacissimum, mutavit. Sanè Lycaon ἀπὸ τῦ λύκȣ, quod lupum significat, dictus videtur. 6 Animo revolvens. 7 Multitudinem Deorum ad consulendum congregatam. 8 Lacteum circulum describit, per quem ad regiam Jovis iter diis esse ait. Lacteum circulum Græci γαλαξίαν (ἀπὸ τȣ̃ γάλακτ@, à lacte; undè & Latini *Lacteum* appellarunt) alii viam *Lacteam* appellant. 9 Nam Lacteus circulus unus ex omnibus oculis nostris conspicitur, alii solà percipiuntur cogitatione. 10 Notatu & visu facilis ob suum candorem. 11 Jovis.

Regalem-

12 Clarorum, qui Majorum Gentium Dii appellantur. Sunt autem 12. & nomina quidem mulierum 6. Juno, &c. 13 Aulæ. 14 Frequentantur. 15 Januis patentibus. *Valvæ* autem dictæ sunt, quod, dum aperiuntur, in se revolvuntur. *Fores* propriè dicuntur, quæ foras aperiuntur. 16 Multitudo Minorum Deorum. Nota ethnicorum insaniam, qui aliquot Deorum suorum plebi ac[illegible] ausi [illegible]

Regalemque domum: dextra, lævaque [12] deorum
[13] Atria nobilium valvis [14] celebrantur [15] apertis.
[16] Plebs habitant diversa locis: [17] à fronte potentes
Cœlicolæ, clarique suos posuêre Penates.
Hic locus est, quem, [18] si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse [19] palatia cœli.
Ergò ubi [20] marmoreo superi sedêre recessu;
[21] Celsior ipse loco, sceptroque innixus [22] eburno,
Terrificam capitis [23] concussit terque, quaterque
[24] Cæsariem; cum qua terram, mare, sidera movit.
[25] Talibus inde modis ora indignantia solvit:
[26] Non ego pro mundi regno magis anxius illâ
Tempestate fui, qua [27] centum [28] quisque parabant
Injicere anguipedum captivo brachia [29] cœlo.
[30] Nam, quanquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
Corpore, & ex una pendebat origine bellum.
[31] Nunc mihi, [32] quà totum [33] Nereus [34] circumtonat orbem,
Perdendum mortale genus: [35] per flumina juro
Infera, sub terras [36] Stygio labentia luco.
[37] *Cuncta priùs tentata: sed* [38] *immedicabile vulnus*
[illegible]*um; ne* [39] *pars sincera* [40] *trahatur.*

[illegible] 19 Regiam cœli. Palatium enim unus est è colli[illegible] Imperatorum ædes conspiciebantur. Indè fa[illegible] ædes vulgus palatia vocet. 20 In interiore ædium [illegible]â. 21 Ipse Jupiter sublimior cæteris, ut reges se[illegible] consueven[illegible] sceptro ex ebore confecto incumbens. *Sceptrum* autem ba[illegible]est, quo [illegible] reges [illegible]tebantur. Sceptrum verò imprimis Jovi attribuitur, [illegible] rex sit hominum atque Deorum. *Sceptrum* autem dictum est ἀπὸ τοῦ σκήπτεσθαι, ab *innitendo* quod illi stantes reges innitantur. 23 Sæpius commovit atque [illegible]vit. Hoc autem habitu significat Jovem fuisse iratum. Crebra enim concu[illegible] capitis indignationem significat. 24 Crines terrorem incutientes. 25 Hoc modo iratus Jupiter est deinde locutus. 26 De mundi regno Jupiter cum Gigantibus gravissimum gessit bellum, eosque tandem superavit, & ad inferos detrusit. 27 Centum manus. Undè & gigantes *Centimani* à centum manibus vocantur. 28 Quisque gigantum. Nam *anguipedes* dicti sunt gigantes, quòd anguineos pedes habere viderentur, ut scribit 5. Fast. Quod significat (ut ait Macrobius) nihil eos rectum, nihil supernum cogitasse, totius viæ eorum gressu atque processu in inferna mergente. 29 Quod captivum reddere cupiebant. Q. d. Nunc magis sum sollicitus, quam cum gigantes cœlo manus injicere conati sunt. 30 Nam quamvis gigantes viri essent fortissimi, mihi tamen bellum minimè cum toto hominum genere suscipiendum fuit, sed cum unâ solum gigantum progenie. 31 Nunc non unam gentem, sed totum genus humanum prorsus mihi est perdendum. 32 Quatenus & quosque. 33 Deus est marinus, sed pro Oceano ponitur, qui universum orbem circumit. Undè 5. Fast. *Duxerat Oceanus quondam Titanida Thetyn, Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.* 34 Circumstrepit fluctibus, ita Avienus. Hic salis Ægei tractus tonat; Lect. Vulg. circumsonat. 35 Per Stygem paludem juro, me totum genus humanum perditurum. 36 Nemori, Stygiæ paludi imminenti. 37 Omnia prius sunt experienda, quam genus humanum perdatur. Sed mali tamen sunt perdendi, ne boni periclitentur. 38 Insanabile. Ut enim corporis partes insanabiles & corruptæ solent amputari, ne reliquæ corporis partes putrescant; sic genus humanum est perdendum, ne Satyri, Nymphæ, ac Fauni hominum sceleribus inquinentur. 39 Integra ac sana, & incorrupta, sc. Satyri, &c. 40 In putredinem & corruptionem ducatur.

Sunt

Sunt mihi [41] Semidei, ſunt ruſtica numina Fauni,
Et [42] Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Sylvani:
Quos quoniam cœli nondum [43] dignamur honore,
Quas dedimus, certè terras habitare ſinamus.
An [44] ſatis, ô ſuperi, tutos fore creditis illos,
Cùm mihi, qui fulmen, qui vos [45] habeoque regoque,
Struxerit inſidias notus feritate Lycaon?
[46] Confremuêre omnes: [47] ſtudiiſque ardentibus auſum
Talia [48] depoſcunt. [49] Sic, cùm [50] manus impia [51] ſævit
[52] Sanguine Cæſareo [53] Romanum extinguere nomen;
[54] Attonitum tanto ſubitæ terrore ruinæ
Humanum genus eſt, totuſque perhorruit orbis.
[55] Nec tibi grata minùs pietas, Auguſte, tuorum,
Quàm fuit illa Jovi. Qui poſtquam voce manuque
Murmura [56] compreſſit; tenuere ſilentia cuncti.
[57] Subſtitit ut clamor preſſus gravitate regentis,
Juppiter hoc iterum ſermone [58] ſilentia rumpit:
[59] Ille quidem pœnas ([60] curam dimittite) ſolvit;
[61] Quod tamen admiſſum, quæ ſit vindicta, docebo.
Contigerat noſtras [62] infamia temporis aures:
Quam cupiens falſam, [63] ſummo delabor Olympo,
Et Deus humana [64] luſtro [65] ſub imagine terras.
[66] Longa mora eſt, quantum [67] noxæ ſit ubique repertum,
Enumerare: [68] minor fuit ipſa infamia vero.
[69] Mænala tranſieram latebris horrenda ferarum,
Et cum [70] Cylleno gelidi [71] pineta [72] Lycæi.

41 Heroës alio nomine vocantur: majores enim hominibus, ac Diis minores fuiſſe videntur. Fauni, Satyri, Sylvani Dii habiti ſunt ruſticani.
42 Nympharum varia ſunt nomina. Aliæ enim dicuntur *Nereides*, quæ mare incolunt, à *Nereo* patre: aliæ *Naiades*, quæ fontes, ἀπὸ τοῦ νάειν, à *fluendo*: aliæ *Napeæ*, quæ ſylvas: aliæ *Oreades*, quæ montes, ἀπὸ τῶν ὀρέων, à *montibus*: aliæ *Dryades*: aliæ *Hamadryades*, quæ in [illegible] habitare, [illegible] cum [illegible] naſc[illegible] [illegible] in hoc verſu

eſſe ſpondæum pro dactylo in penultimo loco; ita Virgil. *Clara Deûm ſoboles, magnum Jovis incrementum*; & Perſius, *ſic coſtam longo ſubduximus Apennino*; exempla talia admodum ratò occurrunt. 43 Nondum dignos cenſemus, qui in cœlum recipiantur. 44 Hoc argumento, à Majori ſumpto, colligit Jupiter genus humanum omninò eſſe perdendum. Nam ſi mihi (inquit) cui imperium eſt in Deos & homines, inſidias ſtruere Lycaon, feritate ſuâ notiſſimus, eſt auſus, quomodo Dii Minores ab humano genere poterunt eſſe tuti? 45 Scilicet *ſub poteſtate*. 46 Simul fremuerunt & murmuraverunt facinoris immanitate commoti. 47 Iratis animis. 48 Sc. ad pœnam. 49 Ut totum genus humanum conjurationibus & inſidiis, contrà Auguſtum Cæſarem ſtructis, commotum eſt; ſic Dii auditis Jovi ſtructis inſidiis, irati ſunt. 50 Impiorum conjuratorum multitudo. 51 Sævit ut extingueret. 52 Auguſti Cæſaris cæde, qui Julii Cæſaris filius fuit adoptivus. 53 Famam, ſplendorem, gloriam. 54 Stupefactum. 55 Non minùs pietas populi Romani, qui tuos inſidiatores ultus eſt, tibi grata fuit, quam Jovi Deorum indignatio, quam conceperunt, cum audiſſent inſidias Jovi ipſi à Lycaone fuiſſe ſtructas. 56 Compeſcuit. 57 Poſtquam ceſſavit clamor, Jovis autoritate cohibitus. 58 Locutus eſt. Sic Virg. *Quid me alta ſilentia cogis Rumpere?* 59 Lycaon ille, feritate nobilis, pœnas dedit. 60 Ipſum depoſcendi ad pœnam. 61 Quamvis dederit pœnas Lycaon, volo vos tamen docere & peccatum, quod admiſit, & pœnam, quâ fuit affectus. 62 Ignominia ſæculi quo crudeliſſima quæque ſcelera committebantur. 63 E ſummo cœlo in terras deſcendo. 64 Peragro, circumeo. 65 Aſſumpta humanâ formâ. 66 Longum foret enumerare, quantum ubique ſceleris invenerim. 67 Culpæ, ſceleris. 68 Eo, quod verum erat. Majora enim ſcelera, & plura à Jove deprehenſa fuêre, quam dicebantur. 69 Deſcribit iter, quo ad Lycaonem pervenit. Mœnalus autem & urbs, & mons eſt Arcadiæ celeberrimus, à Mœnalo, Arcadis filio, denominatus. 70 Cyllene mons eſt Arcadiæ, Mercurio dicatus. Undè etiam *Cyllenius* appellatur. 71 Loca piniis conſita. 72 Arcadiæ montis, Pani ſacri.

Arcados hinc sedes & [73] inhospita tecta [74] tyranni
Ingredior, [75] traherent cum [76] sera [77] crepuscula noctem.
[78] Signa dedi venisse Deum; vulgusque [79] precari
Cœperat: irridet primò [80] pia vota Lycaon.
[81] Mox, ait, experiar, Deus hic, [82] discrimine aperto,
An sit mortalis: [83] nec erit dubitabile verum.
Nocte gravem somno, nec [84] opina perdere morte
Me parat: hæc illi placet experientia veri.
Nec [85] contentus eo, missi de gente [86] Molossâ
Obsidis unius jugulum mucrone [87] resolvit:
Atque ità [88] semineces partim ferventibus artus
[89] Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.
Quos simul imposuit mensis; ego [90] vindice flammâ
In domino [91] dignos everti [92] tecta *penates*.
[93] Territus ipse fugit, nactusque [94] silentia ruris
[95] Exululat, frustraque loqui conatur: [96] ab ipso
Colligit os rabiem, solitæque cupidine cædis
Vertitur in pecudes; [97] & nunc quoque sanguine gaudet.
[98] In villos abeunt vestes, in crura lacerti.
Fit lupus, & [99] veteris servat vestigia formæ.
Canities eadem est, eadem violentia vultû:
Idem [100] oculi lucent; eadem feritatis imago.

73 Inhospitalia. 74 Lycaonis, Arcadiæ regis. *Tyrannus* enim apud priscos pro rege & bono principe accipiebatur. Virg. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni*. Usus deinde obtinuit, ut pro eo poneretur, qui dominatu crudeliter abuteretur. Arcas autem proprium filii Callistus nomen est, & gentile: undè *Arcadius*, & *Arcadicus* derivatur. 75 Adducerent. 76 Cùm advesperasceret. 77 *Crepusculum* dicitur dubia lux 78 Significavi me, qui adveneram, esse Deum. 79 Colere ac venerari.

80 Piorum preces. 81 Primò Lycaon piorum vota, qui me venerabantur, irridere cœpit: deinde periculum facere de meâ divinitate cogitavit. 82 Manifesto periculo. i. experientiâ. 83 Nemo poterit dubitare, an Deus sit, an homo. Si enim Deus erit, interfici non poterit: sin homo fuerit, facilè interficietur. 84 Inopinatâ. 85 Nec satis ei visum est me velle perdere, nisi etiam mihi in cœnam carnes humanas partim elixas, partim tostas apposuisset. 86 Molossi populi sunt Epiri, à quibus, bello victis, Lycaon obsides acceperat, quorum unum jugulavit, ut ipsum Jovi apponeret epulandum. 87 Aperuit. 88 Semimortua membra & adhùc palpitantia. 89 Coquit & mollia reddit. 90 Ultrice. 91 Qui incenderentur, cùm tam sceleratum dominum pati possent. 92 Domum: pars pro toto. 93 Incendio ædium perterritus Lycaon, in sylvas aufugit, & in lupum, feritati suæ maximè conveniens animal, fuit commutatus. 94 Sylvas. 95 Valde ululat. Jam enim in lupum fuerat mutatus: nam ululare luporum est proprium. 99 Quia loqui non poterat, in rabiem actus est, quam ab hominibus in pecudes transtulit. 97 Quemadmodum cùm esset homo. 98 In pilos vestes mutatæ fuerunt: brachia autem in crura. Sicque Lycaon in lupum fuit mutatus. 99 Adhùc signa pristinæ formæ retinet: nam & eandem canitiem, & vultus violentiam habet 100 Oculi præterea, ipsi, ut priùs, lucent: ac eandem feritatem, quam etiam priùs, exercet. Homines aliquando in lupos mutari falso nonnulli tradidere. Herodot. de Neuris, &c. Pueriliter quoque mentitur ille Olaus Magnus de gentibus Septentrionalibus. Originem traxisse hæ nugæ videntur ex morbo quodam, quem medicorum filii λυκανθρωπίαν vocant. Hæc est melancholia quædam, qua qui laborant, luporum de more noctu egrediuntur, ululantes instar lupi, seque ipsos reverà lupos esse autumant.

Diluvium, & reparatio generis humani jactu lapidum. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Jupiter propter audaciam Lycaonis cæterorumque mortalium, qui sceleribus suis etiam deorum potentiam tentabant, orbem terrarum profusis imbribus inundavit. Et cum duo pietate cæteros mortales antecessissent, Deucalion Promethei filius, ac Pyrrha, eadem soror, atque conjux; & in Parnasso monte proluviem imbrium effugissent; sorte moniti Themidis, quæ eo tempore antistes terræ fuisse traditur, à Diis per preces generandæ prolis veniam acceperunt. Ita ut lapides post tergum jacerent, ex quibus homines nascebantur, & à Deucalione missi in viros vertebantur; à Pyrrha autem, in fæminas.

Occidit [1] una domus; [2] sed non domus una perire
Digna fuit: quà terra patet, fera regnat [3] Erinnys.
In [4] facinus jurasse putes: [5] dent ocius omnes
Quas meruere pati ([6] sic [7] stat sententia) pœnas.
[8] Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque frementi
Adjiciunt: alii partes [9] assensibus implent.
Est tamen humani generis [10] jactura [11] dolori
Omnibus: & quæ sit terræ mortalibus [12] orbæ
Forma futura [13] rogant: [14] quis sit laturus in aras
Thura? ferisne paret [15] populandas tradere gentes?
Talia quærentes ([16] sibi enim fore cætera curæ)
[17] Rex superum trepidare vetat; sobolemque priori
Dissimilem populo promittit [18] origine mirâ.
[19] Jamque [20] erat in totas sparsurus fulmina terras;
Sed timuit, nè fortè [21] sacer tot ab [22] ignibus æther

1 Lycaonis. 2 Omnes hominum domus sunt evertendæ, non una sola. Ubique enim nefanda scelera perpetrantur. 3 Feritas, impietas, inhumanitas. *Erinnys* enim dicitur Furia infernalis, discordia, bello, & contentione gaudens. 4 Posses putare, omnes homines se mala omnia perpetraturos conjurasse. 5 Citò ac repentè omnes puniantur.

6 Ita decretum est, ut omnes puniantur. 7 Fixa ea & immota. 8 Omnes Dii Jovis sententiam partim verbis, partim nutu approbarunt 9 Nutu & manibus se Jovi assentire significant. 10 Perditio. 11 Tristitiæ 12 Privatæ. 13 Interrogant Jovem. 14 Quis sit Diis sacrificaturus. 15 Vastandas. 16 Sc. ait. 17 Jupiter. 18 Quia lapides, ut paulò post narrabit, in homines fuerunt mutati, quod quidem maximè mirandum est. 19 Et statim. 20 Statim Jupiter fulminibus genus humanum perdidisset, nisi veritus esset, ne cœlum quoque terrarum incendio conflagraret, cùm præsertim in fatis meminerit esse, ut aliquando totus mundus igne absumatur. Itaque non fulminibus, sed diluvio genus humanum perdere decrevit. 21 Sacrum cœlum. 22 Quod opus esset ad totam terram comburendam.

23 i. Incenderetur.
24 Totum cœlum. Synecdoche est: axis enim, quæ pars est cœli, pro toto ponitur cœlo. Nam axis propriè est illud plaustri lignum, circà quod rotæ vertuntur: ad cujus, similitudinem axis in mundi sphærâ vocatur linea recta, per centrum terræ traducta; quæ est totius mundi diameter, circum quam volvitur atque convertitur mundus: cujus axis extremitates Poli mundi appellantur, à verbo *πολέω*, quod est *verto*: undè & *vertices* Latinis, item *cardines* dicti, quia circum hos tota mundi machina circumvolvitur. Qui Poli sunt duo, quorum alter *Arcticus* i. *ursinus*, ἀπὸ τῆς ἄρκτου, ab *ursâ*, vicino sydere; alter *Antarcticus* nominatur, ab oppositione quam habet cum *Arctico*.

[23] Conciperet flammas, longusque ardesceret [24] axis.
Esse quoque in [25] fatis reminiscitur, [26] affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat; & [27] mundi moles [28] operosa [29] laboret.
[30] Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.
Pœna placet [31] diversa; Genus mortale sub undis
Perdere, & ex omni [32] nimbos [33] dimittere cœlo.
[34] Protinus [35] Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcunque fugant inductas [36] flamina nubes:
Emittitque Notum. Madidis Notus evolat [37] alis,
[38] Terribilem [39] picea tectus caligine vultum:
Barba [40] gravis [41] nimbis, canis fluit [42] unda capillis,
Fronte sedent nebulæ, [43] rorant pennæque sinusque.
[44] Utque manu lata pendentia nubila pressit,
Fit [45] fragor, hinc [46] densi funduntur ab æthere nimbi.
Nuncia Junonis varios induta colores
Concipit [47] Iris aquas, alimentaque nubibus affert.
[48] Sternuntur segetes, & deplorata [49] coloni
[50] Vota jacent, longique labor perit [51] irritus anni.
Nec cœlo contenta suo Jovis ira: sed [52] illum
[53] Cæruleus frater juvat [54] auxiliaribus undis.
Convocat [55] hic [56] amnes: qui postquam tecta [57] tyranni

25 In dispositione fatorum, ut totus mundus conflagraret. Est autem Fatum externi decreti divini opus ac divinæ providentiæ effectum; undè Boëtius: *Fatum est rebus mobilibus* (id est, mutationibus obnoxiis) *inhærens dispositio, per quam divina providentia suis quæque nectit ordinibus.* 26 Adventurum esse. 27 Machina mundi. 28 Multi operis. 29 In labore & periculo propter incendium futura sit. 30 Fulmina à Cyclopibus confecta. Cyclopes enim Jovi fulmina fecisse dicuntur. Fuerunt autem populi Siciliæ, unum in mediâ fronte oculum habentes. 31 Contraria. Diluvium enim incendio contrarium est. 32 Pluvias. 33 Deorsum mittere. 34 Statim Iupiter clausis in speluncâ iis ventis, qui inducunt serenitatem, Austrum, pluviâ gaudentem, emisit. 35 Æoli speluncis. Æolus enim ventorum rex est. 36 Ventos, à flando sic dictos. 37 Alæ ventis attribuuntur ob velocitatem. 38 Tectum vultum habens. 39 Nigris nubibus. Nam Auster nubilosus est ventus. 40 Plena. 41 Pluviis. 42 Aqua. 43 Stillant, in roris similitudinem. 44 Postquam Notus manibus nebulas compressit, maximæ pluviæ esse cœperunt. 45 Propriè strepitus rerum fractarum. 46 Crebræ pluviæ. 47 Irim esse Junonis nunciam docet *Virg.* IX. *Æn. Irim de cælo misit Saturnia Juno Audacem ad Turnum.* *Iris* est arcus multicolor in nube roridâ, partim translucida, partim opaca, & concava ex radiorum Solis oppositi repercussione apparens oculis spectantium. Iris derivatur ab εἴρω, quod est, *dico, loquor*, quòd signum sit pluviæ, tum præteritæ, tum instantis adhùc: siquidem non nisi in nube roridâ, & quæ in imbrem solvi parata sit, resplendet. 48 Frumenta in agris existentia in terram ab aquis dejiciuntur. *Seges* autem dicitur frumentum nondum demessum. 49 Agricolarum. 50 Spes valdè ploratæ, vel etiam desperatæ, ut de quarum eventu nulla spes sit reliqua. Vota pro felici proventu suscepta. 51 Vanus ac sine ullo fructu. 52 Jovem. 53 Neptunus. 54 Auxilium adferentibus ad perdendum genus humanum. *Auxiliares milites* propriè dicuntur, qui à sociis in auxilium mittebantur quique in legionum numerum non erant cooptati. 55 Neptunus. 56 Deos fluviorum. *Amnis* enim fluvius dicitur ab *ambiendo*, ut ait Varro, quòd omnia flumina *circumeant*. 57 Regis.

In

Intravêre ſui, Non eſt [58] hortamine longo
Nunc, ait, utendum; vires effundite veſtras:
(Sic opus eſt) aperite [59] domos, ac [60] mole remotâ,
Fluminibus veſtris totas immittite [61] habenas.
Juſſerat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et [62] defrænato volvuntur in æquora curſu.
[63] Ipſe [64] tridente ſuo terram percuſſit: at illa
Intremuit, motuque ſinus patefecit aquarum.
[65] Expatiata ruunt per apertos flumina campos;
Cumque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſque, viroſque,
Tectaq; cumq; ſuis [66] rapiunt [67] penetralia ſacris.
[68] Si qua domus manſit, potuitque reſiſtere tanto
[69] Indejecta malo: [70] culmen tamen altior hujus
Unda tegit, [71] preſſæque labant ſub [72] gurgite turres.
Jamque mare & tellus [73] nullum diſcrimen habebant:
[74] Omnia pontus erant, deerant quoq; littora ponto.
[75] Occupat hic collem; cymba ſedet alter aduncâ
Et [76] ducit remos illic, ubi nuper ararat.
[77] Ille ſupra ſegetes, aut merſæ culmina [78] villæ
Navigat: hic ſumma piſcem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi ([79] ſi fors tulit) [80] anchora prato:
Aut ſubjecta terunt curvæ [81] vineta carinæ.
Et [82] modò quà [83] graciles [84] gramen carpſere capellæ;
Nunc ibi [85] deformes ponunt ſua corpora phocæ.
Mirantur ſub aqua lucos, urbeſque, domoſque
[86] Nereïdes: ſylvaſque tenent delphines, & altis
[87] Incurſant ramis, [88] agitataque [89] robora [90] pulſant.
[91] Nat lupus inter oves; fulvos vehit unda leones;
Unda vehit [92] tigres; nec [93] vires [94] fulminis apro,

58 Hortatu, exhortatione. 59 Fontes, qui fluviorum domus eſſe videntur. 60 Obſtaculo. 61 Tranſlatio ab equis ſumpta, qui habenis inhibentur. 62 Effrænato, ac ſine ullo retinaculo. 63 Neptunus. 64 Ut Jovi fulmen, ſic Neptuno tridens attribuitur, quo dùm perculit terram, ſit terræ motus. Fictio autem à cauſâ naturali ſumpta eſt. Nam aquæ cavernis terræ interclusæ, quando vi erumpunt, terræ motus efficiunt, quos aliquando eruptiones aquarum ſequuntur. 65 Latè ſparſa. 66 Vi abſtrahunt. 67 Penetralia cum Diis Penatibus. Nam *Penetralia* ſunt Penatium Deorum ſacraria. 68 Ordo eſt: *Si qua domus remanſit indejecta, & potuit reſiſtere tanto malo.* 69 Non dejecta in terram. 70 *Culmen* eſt tecti ſummitas, à culmo dictum, quod culmo domus tegerentur. 71 Submerſæ. 72 Sub mari. *Gurges* propriè locus eſt in flumine profundior. 73 Nullam differentiam. 74 Omnia mare occupaverat. 75 Alius ex hominibus in montem confugiebat, alius in cymbam. 76 Remigat. 77 Alius. 78 Domus & ædificii in agris. Eſt enim villa domus in agro, agri colendi, & fructuum condendorum, aut etiam habitationis causâ conſtituta. Dicta autem eſt villa à *vehendo*, i. trahendo, quaſi *vehilla*, quòd in eam fructus *convehantur* ex agris, & *avehantur*, cum venduntur. 79 Si caſu evenit. 80 Inſtrumentum ferreum, quod ad continendas naves in mare demittitur. Undè *anchorarii funes* dicuntur quibus anchoræ ligantur. 81 Loca vitibus conſita. 82 Paulò antè. 83 Macræ & agiles capræ. 84 Herbam. Species pro genere. 85 Turpes & vaſti vituli marini. 86 Nymphæ marinæ, à Nereo patre appellatæ. 87 Frequenter incurrunt. 88 Impulſa. 89 Arbores. Sp. pro gen. 90 Percutiunt. 91 Natat. 92 Feras truculentas, miranclæ velocitatis, in Armenia Indiaque naſcentes. *Tigris* etiam eſt fluvius Armeniæ, à velocitate, quâ decurrit, ſic appellatus. 93 Quia aquæ vis, curſum impediebat. 94 Quia eadem ferè vis eſt dentis apri in feriendo & penetrando, quâ fulminis: undè idem & *fulmineus* à Poëtis appellatur.

Crura nec ablato prosunt velocia cervo.
Quæsitisque diu terris, [95] ubi sidere detur,
In mare [96] lassatis volucris vaga decidit alis.
[97] Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
[98] Pulsabantque [99] novi [100] montana cacumina fluctus.
[101] Maxima pars unda rapitur: [102] quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.
[103] Separat [104] Aonios [105] Actæis [106] Phocis ab arvis
Terra [107] ferax, dum terra fuit: sed tempore in illo
Pars maris, & latus subitarum campus aquarum.
[108] Mons ibi verticibus [109] petit arduus astra duobus,
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.
[110] Hîc ubi Deucalion (nam [111] cætera texerat æquor)
[112] Cum consorte tori parva rate vectus adhæsit,
[113] Corycidas Nymphas, & [114] numina montis adorant,
[115] Fatidicamque Themin; quæ tunc [116] oracla tenebat.
Non [117] illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa metuentior ulla deorum.
[118] Jupiter ut liquidis [119] stagnare paludibus orbem,
Et [120] superesse videt de tot modò millibus unum,
Et superesse videt de tot modò millibus unam;
[121] Innocuos ambos, cultores numinis ambos;
[122] Nubila disjecit; nimbisq; [123] Aquilone remotis,
[124] Et [125] cœlo terras ostendit, & æthera terris.
Nec maris [126] ira [127] manet; positoque [128] tricuspide telo,
[129] Mulcet aquas [130] rector pelagi; supraque profundum
Exstantem, atque humeros [131] innato murice [132] tectum

95 In quibus terris se firmare possit. 96 Defatigatis, fessis. 97 Cooperuerat montes. *Obruere* enim est terra aquave cooperire. 98 Percutiebant. 99 Insoliti. 100 Montium summitates. 101 Hominum. 102 Qui submersi non fuerunt, fame periêre. 103 Montem Parnassum describit, in cujus cacumen, suâ altitudine ab undis tutum, Deucalion & Pyrrha se receperunt. 104 Bœotiam. 105 Ab Attica regione. 106 Regio est inter Bœotiam & Atticam, à *Phoco* denominata, in quæ mons Parnassus duobus collibus eminens conspicitur. 107 Fertilis. 108 Parnassus mons est Phocidis, à *Parnasso*, antiquissimo vate, cognominatus. 109 Tendit in altum sydera versus. 110 In hoc monte Parnasso. 111 Reliqua loca mare occupaverat. 112 Cum uxore. Nam uxor lecti mariti consors est. 113 Corycum antrum est Parnassi, Nymphis sacrum. Unde *Corycides Nymphæ* dicuntur. 114 Apollini, Baccho, & Musis Parnassus dicitur esse consecratus. 115 Themidem arcana fatorum prædicentem *Themis* autem filia Cœli & Terræ fuisse scribitur. Hæc Dea fuit, quæ præcipiebat hominibus, ut a Diis peterent id quod fas esset undè etiam nomen accepit. Nam θέμις apud Græcos *fas* ac *justum* significat. 116 Responsa dabat. 117 Deucalione. Hæc eò pertinent, ut ostendat Poëta, Deucalionem & Pyrrham ob pietatem in Deos meritò fuisse incolumes conservatos. 118 Postquam Jupiter vidit totum terrarum orbem sic aquis esse obrutum, ut stagnum esse videretur, atque ex hominibus solos Deucalionem & Pyrrham superesse, reductâ serenitate, diluvium ita decrescere jussit ut terræ cœperint apparere 119 Stagnum & lacum esse effectum. *Stagnare* enim propriè dicuntur *terræ*, aquis non defluentibus coopertæ. *Stagna* enim paludes vocantur. 120 Superstites esse, supervivere. 121 Insontes, innocentes 122 Nubes dissipavit. 123 Ab Aquilone depulsis. Est enim Aquilo ventus nubila expellens. 124 Eleganter: nam terræ aquis ita tegebantur, ut aëri occultæ essent. 125 Aëri. 126 Tempestas. 127 Perseverat. 128 Tridente deposito: tres enim cuspides habet, undè & tridens dictus est. 129 Mitigat mare tumidum atque iratum. 130 Neptunus Deus maris. 131 Murex est concha, ex cujus sanguine purpureus conficitur color, pro ipso colore sæpius à Poëtis usurpatur. 132 Tectos & coopertos humeros habentem.

Cæruleum [133] Tritona vocat; conchæque ſonaci
Inſpirare jubet: fluctuſque & flumina [134] ſigno
Jam revocare dato. Cava buccina ſumitur [135] illi
[136] Tortilis, in latum [137] quæ turbine creſcit ab imo:
Buccina, quæ medio [138] concepit ut aëra ponto, [bo.
[139] Littora voce replet ſub [140] utroq; jacentia Phæ-
[141] Tum quoq; ut ora Dei madida [142] rorantia barbâ
Contigit, & cecinit juſſos inflata [143] receptus;
Omnibus audita eſt telluris, & æquoris undis:
Et quibus eſt undis audita, [144] coërcuit omnes.
Jam mare [145] littus habet; plenus capit alveus am-
Flumina [146] ſubſidunt; colles exire videntur. [nes:
Surgit humus, creſcunt loca decreſcentibus undis.
[147] Poſtq; diem longam [148] nudata cacumina ſylvæ
Oſtendunt, limumque tenent in fronde relictum
Redditus orbis erat: quem poſtquam vidit inanem,
Et [149] deſolatas agere alta ſilentia terras;
Deucalion lacrimis ita Pyrrham affatur [150] obortis:
O [151] ſoror, ô conjux, ô fœmina ſola ſuperſtes,
Quam commune mihi genus, & [152] patruelis origo,
Deinde [153] torus junxit; nunc ipſa pericula jungunt:
Terrarum, quaſcunque vident occaſus & ortus,
Nos duo turba ſumus: poſſedit cætera pontus.
Nunc quoque adhuc vitæ non eſt fiducia noſtræ
Certa ſatis: terrent etiam-num nubila mentem.
Quid tibi, ſi ſine me fatis [154] erepta fuiſſes,
Nunc animi [155] miſeranda foret? Quo ſola timorem
Ferre modo poſſes? Quo conſolante dolores?
Namque ego, (crede mihi) [156] ſi te modo pontus haberet,
Te ſequerer conjux; & me quoque pontus haberet.
O utinam poſſem populos reparare [157] paternis
Artibus; atq; animas formatæ [158] infundere terræ?
Nunc genus in nobis reſtat [159] mortale duobus;
(Sic viſum ſuperis) hominumque [160] exempla ma-
Dixerat, & flebant: placuit cœleſte precari [nemus.
Numen; & auxilium [161] per ſacras quærere ſortes.
Nulla mora eſt: adeunt pariter Cephiſidas undas,

133 Tubicinem Neptuni, cui mandat ut receptui canat, fluvioſque in ſuos fontes revocet.
134 Facto ſigno, ut redeant.
135 Ab illo Tritone. 136 Retorta in latitudinem.
137 Quæ ab ore anguſto incipit, & in amplum deſinit, ad turbinis ſimilitudinem.
138 Poſtquam inflari cœpit.
139 Omnia littora reſonant.
140 Sic in *Epiſt. Deiani. Impleſti meritis Solis utramque domum.* Eſt autem hyperbole Poëtica: ab Oriente ad Occidentem.
141 Poſtquam ori Tritonis fuit admota.
142 Stillantia.
143 Canere receptui dixerunt veteres, cum militibus âpugnâ deſiſtere juſſerunt.
144 Inhibuit, & continuit.
145 Quo paulò antè carebat.
146 Diminuuntur, & minus profunda ſunt.
147 Poſt longum tempus.
148 Foliis privata. 149 Deſtitutas ab hominibus & à beſtiis. 150 Repentè natis. 151 Oratio eſt affectus plena, quâ Deucalion maximoperè ſibi Pyrrham devincit, taciteque eò inducit, ut ſecum de genere humano reparando conſilium capiat. 152 Deucalion & Pyrrha patrueles fuerunt: nam Japetus duos habuiſſe filios dicitur, Prometheum, qui Deucalionem, & Epimetheum, qui Pyrrham genuit. 153 Lectus & nuptiæ. 154 Liberata ab hoc diluvio 155 Miſericordiâ digna. 156 Si tu in mare decidiſſes ac ſubmerſa eſſes: ego quoque, cujus in te amor ſummus eſt, in mare præcipitem me darem. Sic *Vir. 1. Æn. Et te, pater optime Teucrum, Pontus habet Lybia.* 157 Nam Prometheus, ut ſupra vidimus, terram in imaginem hominis figuravit, eique animam ex igne eductam immiſit. 158 Immittere. 159 Humanum. 160 Exemplaria. Exemplum enim eſt id, quod proponitur aut ad imitandum, aut ad fugiendum. Exemplar autem id, ad cujus ſimilitudinem aliquid fit. 161 Per ſacra oracula & Deorum reſponſa. Horat. *Dictæ per carmina ſortes.*

Ut nondum [162] liquidas, [163] sic jam vada nota secantes.
[164] Inde ubi libatos [165] irroravere [166] liquores
Vestibus, & capitis; flectunt vestigia sanctæ
Ad [167] delubra [168] deæ: quorum [169] fastigia turpi
[170] Squallebant [171] musco, [172] stabantque sine ignibus aræ.
Ut templi tetigere gradus; [173] procumbit [174] uterq;
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo:
Atque ita, Si precibus, dixerunt, numina [175] justis
Victa [176] remollescunt, si flectitur ira Deorum;
Dic, Themi, qua generis damnum reparabile nostri
Arte sit; & [177] mersis fer opem, mitissima, rebus.
Mota [178] dea est; [179] sortemque dedit: *Discedite templo;*
Et [180] *velate caput*; [181] *cinctasque resolvite vestes*;
[182] *Ossaque post tergum magnæ jactate parentis.*
[183] Obstupuere diu: [184] rumpitque silentia voce
Pyrrha prior; jussisque deæ parere recusat:
Detque sibi veniam [185] pavido rogat ore; [186] pavetque
Lædere jactatis [187] maternas ossibus umbras.
Interea [188] repetunt cæcis obscura [189] latebris
Verba datæ sortis secum, inter seque [190] volutant.
[191] Inde [192] Promethides placidis [193] Epimethida dictis
[194] Mulcet; &, Aut fallax, ait, est [195] sollertia nobis,
Aut pia sunt, [196] nullumque nefas oracula [197] suadet.
[198] Magna parens terra est: lapides in corpore terræ
Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur.
[199] Conjugis augurio quanquam [200] Titania mota est;
Spes tamen in dubio est: adeò cœlestibus ambo
[201] Diffidunt monitis! [202] sed quid tentare nocebit?
[203] Descendunt; [204] velantque caput tunicasque recingunt;

162 Puras ac limpidas, sed limo turbidas. 163 Sed jam alveos suos tenentes: neque enim ripis egrediebantur. Virg. *Ille viam secat ad naves*, i. tenet. 164 Antiqui templa ingressuri, Deosque precaturi, prius aqua se aspergebant, & lavabant: quam consuetudinem Deucalion & Pyrrha Diis supplicaturi, servarunt indeque mos aquâ sacrata vestes supplicantium inspergendi in Christianorum Templis originem traxit. 165 Inspersêre. 166 Haustas aquas. 167 Templa. Nam *delubra* sunt templa, aut loca, in quibus sunt simulachra Deorum. Ita dicta, quod in iis Dii *ponantur*; sicut *candelabrum* dicitur, ubi candela ponitur, ut ait Varro. 168 Themidis. 169 Summitates: nam fastigium est altitudo ac summitas cujuscunque operis. 170 Squallida erat. 171 Herbula minutissima quæ parietibus & corticibus arborum plurimarum adnascit. 172 Altaria sine sacrificiis erant. 173 Procidit. 174 Deucalion & Pyrrha. 175 Justorum hominum. 176 Mitia fiunt. 177 Dejectis & oppressis. 178 Themis. 179 Oraculum & responsum, quod subjicitur. 180 Velato capite Deos adorare signum erat humilitatis. 181 Discingite vestes vestras, quæ sunt cinctæ more sacrificantium. 182 Lapides terræ, ut mox Deucalion interpretatur. 183 Per longum tempus stupentes admirati sunt, quidnam sibi vellet tale responsum. 184 Locuta est. 185 Ipsa pavida. 186 Quia timet. 187 Matris animam. 188 Mente revolvunt. 189 Mysteriis. 190 Cogitant. 191 Deinde. 192 Deucalion Promethei filius. 193 Pyrrham Epimethei filiam. 194 Mitigat ac solatur. 195 Ingenium, prudentia. Propriè autem est ingenii acumen, & dexteritas ad rem aliquam agendam: à *solers*. 196 Nullam impietatem. 197 Mandant. 198 Rectè oraculum interpretatus est Deucalion. Nam terra meritò magna *parens* dicitur, cùm animata omnia atque inanimata ex ea nascantur. 199 Mariti Deucalionis conjecturâ. 200 Pyrrha Japeti Titanis neptis. 201 Non credunt. 202 Sc. *ajunt*. 203 Templo. 204 Tegunt, uti jussi erant à Themide.

Et

Et jussos lapides sua post [205] vestigia [206] mittunt.
Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste [207] vetustas?)
[208] Ponere duritiem cœpere suumq; rigorem;
[209] Mollirique mora, mollitaque [210] ducere formam.
Mox, ubi creverunt, naturaque [211] mitior illis
Contigit; [212] ut quædam, sic non manifesta videri
Forma potest hominis, sed [213] uti de marmore cœpto,
Non [214] exacta satis, [215] rudibusque simillima signis.
[216] Quæ tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in [217] corporis usum:
Quod solidum est flectique nequit, mutatur in ossa:
Quæ modò vena fuit, sub [218] eodem nomine mansit.
Inq; brevi spatio, superorum [219] munere, saxa
[220] Missa [221] viri manibus faciem [222] traxere virilem;
Et [223] de fœmineo reparata est fœmina jactu.
Indè genus durum sumus, [224] experiensq; laborum:
Et [225] documenta damus, [226] qua simus origine nati.

205 Post sua terga. *Vestigia* autem pedum signa dicuntur, sed sæpius pro ipsis pedibus ponuntur. 206 Jaciunt. 207 Antiquitas, quæ maximæ est autoritatis. Hoc autem idcircò fingitur, quòd Deucalion, rex Thessaliæ, post diluvium, quo tota Græcia fuit inundata, rudes homines ac feros moribus ac legibus instruxit, quibus informati duritiem omnem ac feritatem deposuêre. 208 Deponere.

209 Mollia fieri. 210 Accipere formam & figuram humanam. 211 Mollior. 212 Aliqua quandam quidem formam habere videbantur saxa illa, sed non humanam apertè præ se ferebant formam. Talem autem habebant, qualem statuæ marmore inchoatæ. 213 Tanquam. 214 Perfecta. 215 Impolitis statuis. *Signa* etiam statuas significant. Sic lib. 3. *Vite Pario formatum marmore signum.* *Signum* propriè est parva quædam significatio, indicans totius rei qualitatem. 216 Terrenæ partes lapidum molles & humidæ in corpus fuerunt mutatæ. Solidæ verò & duræ, in ossa. Venæ autem in venas, nam & lapides venas suas habent. 217 Carnis. *Corpus* enim propriè *viventium* dicitur: caro mortuorum. 218 Venæ. 219 Voluntate Deorum. 220 Jacta. 221 Deucalionis. 222 Acceperunt figuram masculorum. 223 Lapides à Pyrrha jacti, in fœminas creverunt. 224 Patiens laborum ac pœnarum. Sic *Virg. Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem, unde homines nati, durum genus.* 225 Experimenta, probationes. 226 Quam originem simus sortiti. Cùm enim tam patientes laborum simus, facilè ostendimus nos de lapidibus esse generatos.

Python serpens. *Fab.* VIII.

ARGUMENTUM.

Post Diluvium factum edidit terra Pythonem serpentem, speciem ignotam mortalibus. Hunc Apollo sagittis interemit; & ne ejus nomen abolesceret instituit ludos; & certamina quædam in his ostendit. Unde etiam Apollo Pythius est appellatus, ludique Pythii.

[1] CÆtera diversis tellus animalia formis
Sponte sua peperit; postquam vetus humor ab igne
Percaluit solis, cœnumque, [2] udæque paludes
Intumuere æstu; fœcundaque semina rerum
[3] Vivaci nutrita solo, ceu matris in [4] alvo,

1 Reliqua animalia ex terrâ humidâ & sole calefacta orta sunt. 2 Humidæ. 3 Terrâ vitam subministrante. 4 Tanquam in utero matris.

Creverunt,

Creverunt, [5] faciemque aliquam [6] cepêre morando.
Sic ubi deseruit madidos [7] septemfluus agros
[8] Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alveo,
[9] Æthereoque recens exarsit sidere limus:
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt; & in his, quædam [10] modò cœpta [11] sub ipsum
Nascendi spatium; quædam imperfecta, suisque
Trunca vident numeris; & eodem in corpore sæpe.
Altera pars vivit; rudis est pars altera tellus.
[12] Quippe ubi temperiem sumsere humorq; calorq;
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta [13] duobus.
[14] Cumque sit ignis aquæ pugnax; vapor humidus omnes
Res creat; & [15] discors concordia [16] fœtibus apta est.
Ergò ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus æthereis altoque [17] recanduit æstu;
Edidit innumeras species; partimque figuras
[18] Reddidit antiquas; partim nova monstra creavit.
Illa quidem [19] nollet; sed te quoque, maxime Python,
Tum genuit; populisque novis, incognita serpens,
Terror eras: [20] tantùm spatii de monte [21] tenebas.
Hunc [22] Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, nisi in damis [23] capreisque fugacibus usus,
Mille gravem telis, [24] exhausta pene pharetrâ,
Perdidit, effuso [25] per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam posset delere vetustas;
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia de domitæ serpentis nomine dictos.
[26] His juvenum quicunque manu, pedibusve, [27] rotave
Vicerat; [28] esculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat: longoque [29] decentia [30] crine
Tempora cingebat de qualibet arbore [31] Phœbus.

5 Formam & figuram. 6 Concepêre, accepêre. 7 Quòd septem ostiis in mare erumpat. 8 Exemplo declarat reliqua animalia ex terrâ sponte fuisse orta. *Nilus* autem fluvius singulis quibusque annis Ægyptum inundans, fœcundam non solùm frumentorum, sed variorum quoque animalium (ut fertur) eam reddit. 9 Igneo sole. 10 Tantummodò inchoata. 11 Propter breve nascendi tempus imperfecta videntur quædam. 12 Ex humore & calore aït omnia generari. 13 Humore & calore. 14 Quamvis ignis aquæ sit contrarius, calor tamen cum humore commixtus omnia generat. 15 Nam calor & humor separati pugnant & discordes sunt: juncti atque mixti concordes ad agendum atque generandum videntur. 16 Partubus. 17 Calefacta fuit. 18 Repræsentavit ac restituit. 19 Sc. *generasse*. 20 Acclamatio est, quâ magnitudo serpentis declaratur. 21 Occupabas. 22 Apollo, qui cum arcu & pharetrâ pingebatur. 23 Capreæ, capræ sunt sylvestres velocissimæ. Sunt et sylvestrium caprarum genus Damæ. 24 Evacuata. 25 Hypallage est. Nigrum enim venenum per vulnera effusum est. 26 Quique Pythia certamina vicisset aut pugnis, aut cursu, aut curru, esculeâ coronâ donabatur. 27 Vel curru. Pars pro toto. 28 Coronam ex frondibus esculi confectam. Nam *esculus* arbor est glandifera, sic dicta, quòd veteres ex illius fructu escam sumerent. 29 Pulchrum caput. Pars pro toto. 30 Longis capillis. Ita enim Apollo pingebatur. 31 Apollo.

Daphne

Daphne in Laurum. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Daphne Penei fluminis filia, cum omnium virginum, quæ in Thessalia essent, speciosissima haberetur, adeo quidem, ut Deos pulchritudine sua caperet; Apollo cum eam conspexisset, forma ejus expalluit, quam cum neque pollicitis, neque precibus adire potuisset; vim ei inferre instituit, & illa cursu conspectum ejus effugere cupiens, patrem invocavit, ut virginitati suæ, quam sibi promiserat, ferret auxilium: cujus ille auditis precibus, filiam deorum auxilio, ut vim effugeret, in laurum convertit.

PRimus amor Phœbi Daphne [1] Peneïa; quem non
[2] Fors ignara dedit; sed [3] sæva Cupidinis ira.
[4] Delius [5] hunc nuper victa [6] serpente superbus
Viderat [7] adducto flectentem cornua nervo:
Quidque tibi, lascive puer, cum fortibus armis?
Dixerat: ista decent humeros gestamina nostros;
Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti;
Qui modò pestifero tot [8] jugera ventre prementem
[9] Stravimus innumeris [10] tumidum Pythona sagittis.
Tu [11] face, [12] nescio quos, esto contentus amores
[13] Irritare tua: nec laudes [14] assere nostras.
[15] Filius [16] huic Veneris; [17] Figat tuus omnia, Phœbe;
Te meus arcus, ait: quantoque animalia cedunt
Cuncta tibi, tanto minor est tua gloria nostrâ.
Dixit; & [18] eliso percussis aëre [19] pennis,
Impiger umbrosa Parnasi constitit [20] arce:
Eque sagittifera [21] prompsit duo tela pharetrâ
Diversorum operum: [22] fugat hoc, [23] facit illud amorem.
Quod facit, auratum est, & cuspide fulget acutâ:
Quod fugat, [24] obtusum est, & habet sub arundine [25] plumbum.

1 Penei fluvii filiæ. 2 Fortuna, quæ nullum rerum habet delectum. 3 Magna Dei amoris indignatio. Cupido enim masc. gen. significat Deum amoris; fœm. verò cupiditatem. Quomodo in amorem Daphnes Apollo inciderit, Poëta describit. 4 Apollo, à Delo insulâ cognominatus, in quâ unà cum Diana natus esse dicitur. 5 Cupidinem. 6 Pythone. 7 Contracto. 8 Jugerum tantum terræ dicitur, quantum par boum die uno exarare potest. 9 Prostravimus, interfecimus. 10 Inflatum veneno. 11 Sagittâ tibi conveniente. Fax autem Cupidini tribuitur, quâ juvenum animi amore inflammantur. 12 Q. d. leves, molles, atque viris negligendos. 13 Provocare, stimulare. 14 Arroga, vendica. 15 Cupido. 16 Apollini. 17 Licet tuus arcus omnia animalia figat, meum tamen arcum tu effugere non poteris. Sicque gloria tua tantò minor est quam nostra, quantò animalia, quæ tu feris, Deo sunt inferiora. 18 Impulso. 19 Alis. Nam alatus Cupido pingitur. 20 Cacumine, vertice. 21 Deprompsit. *Promere* propriè est ea, quæ reposita fuerunt, proferre. *Promere consilia*, est patefacere consilia. *Promere potum*, haurire è dolio. 22 Depellit. 23 Amorem scil. 24 Sine cuspide. 25 Quod segnes & tardos ad amandum facit.

[26] Hoc deus in Nympha Peneïde fixit: at illo
Læsit Apollineas [27] trajecta per ossa medullas.
Protinus [28] alter amat: fugit [29] altera nomen [30] amantis
Sylvarum latebris, [31] captivarumque ferarum
[32] Exuviis gaudens innuptæque [33] æmula Phœbes;
[34] Vitta [35] coërcebat [36] positos sine lege capillos.
Multi illam [37] petiere; [38] illa [39] aversata petentes,
Impatiens expersque viri, nemorum avia [40] lustrat:
Nec quid [41] Hymen, quid Amor, quid sint connubia curat.
Sape pater dixit: Generum mihi, filia, debes:
Sæpe pater dixit: Debes mihi, nata, nepotes.
Illa velut crimen [42] tædas exosa jugales,
Pulchra [43] verecundo suffunditur ora rubore,
Inque patris [44] blandis hærens cervice lacertis,
Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit,
Virginitate frui: [45] dedit hoc [46] pater ante Dianæ,
Ille quidem [47] obsequitur: sed te [48] decor iste, quod optas,
Esse vetat: [49] votoq; tuo tua forma repugnat.
Phœbus amat; visæq; cupit connubia Daphnes:
Quæque cupit, sperat; suaq; illum oracula [50] fallunt.
Utque leves stipulæ demptis [51] adolentur [52] aristis,
Ut facibus [53] sepes ardent, quas forte [54] viator
[55] Vel nimis admovit, vel jam [56] sub luce reliquit:
Sic [57] Deus in [58] flammas abiit; sic pectore toto

26 Obtuso. Hic enim respicit posterius & proptus: illeverò prius & remotius. Illo ergo, sc. aurato, quod *cuspide fulget acutâ*. 27 Per transfixa ossâ transeunte sagittâ. 28 Apollo. *Alter* enim plerumque de uno ex duobus dicitur: sic narrat Livius Annibalem in transitu Alpium *alterum* amisisse oculum. Atque in hoc distinguitur à voce *alius*, quòd *alius* de pluribus dicatur: ut *alii* virtutem præponunt, alii voluptatem, *alii* divitias, *alii* honores. Interdum *alter* accipitur pro secundo è duobus; ut hic est *alter* annus belli Punici, i. secundus à belli Punici origine. Sic dicimus *alterum tantum*, i. tantundem amplius. 29 Daphne. 30 Apollinis 31 Captarum. 32 Pellibus. *Exuviæ* dicuntur spolia non solùm hominibus ut hostibus, detracta, sed etiam aliis animalibus. *Exuviæ* autem ferarum pelles dicuntur. Est autem hæc vox à verbo *exuere*, quo propriè est indumenta detrahere. 33 Imitatrix Dianæ, quæ perpetuà gaudet virginitate, Æmulus enim aliquando idem est, quod ejusdem rei studiosus, sectator, atque imitator. Cic. Licebit eum solus ames, me *æmulum* non habebis, i. imitatorem: Aliquando idem est quod invidus. Ovid. *Sed demit honorem Æmulus* (Ulysses sc.) *Ajaci* 34 Ligamentum capitis, fascia. 35 Quomodo Daphne Dianæ esset imitatrix, exponit: nam neque ornatu capitis gaudebat, & viros omnes aspernabatur. 36 Positos sine ordine: mox dicet, *Inornatos*: & alibi, *Male compositos, & nondum digestos*. 37 Ad connubium sollicitavêre. 38 Daphnen. 39 Aspernata. 40 Peragrat, circumit. 41 Pro Deo quoque nuptiarum ponitur. 42 Nuptias. Pars pro toto: novis enim nuptiis quinque faces accensæ præferebantur. Tæda autem arbor est, ex qua optimæ conficiuntur faces. 43 Pudico, & à verecundiâ proveniente. 44 Pro ipsa blanda. Sic Virg. *Sceleratam intorserit hastam*, pro ipse sceleratus. 45 Exemplo persuadere nititur patri Daphne, ut se virginem vivere permittat. Nam & Jupiter concessit Dianæ filiæ, ut perpetuâ frueretur virginitate. 46 Jupiter. 47 Morem gerit tibi, ait Ovidius. Est autem Apostrophe & conversio sermonis ad puellam. 48 Pulchritudo ista tua excellens. 49 Tuæ cupiditati. 50 Decipiunt. Id enim sperabat, quod minimè est assecutus. 51 Ardent, comburuntur. 52 Ablatis spicis. Pars pro toto. *Aristæ* enim partes sunt spicæ acutissimæ. 53 Sepes ex arbustis constant, quibus ab ingressu agrorum viatores arcentur. 54 *Viator* à viâ derivatur, atque is propriè dicitur, qui iter aliquod suscipit peragendum. Tametsi apud Romanos illi *viatores* dicebantur, qui magistratus ex agris in urbem evocabant. 55 Vel faces nimis propè sepes posuit. 56 Circà lucem diei advenientem: solent enim viatores noctu faces secum ferre, quas adveniente luce, juxtà sepes relinquunt. 57 Apollo. 58 Accensus & inflammatus est amore Daphnes.

Uritur,

Uritur, & [59] sterilem sperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos:
Et, quid si [60] comantur? ait: videt igne micantes
Sideribus similes oculos: videt [61] oscula; [62] quæ non
Est vidisse satis: laudat digitosque, manusque,
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos:
[63] Si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aurâ
[64] Illa levi: neque ad hæc [65] revocantis verba [66] resistit.
Nympha, precor, [67] Penéi, mane: non insequior hostis:
Nympha, mane: sic [68] agna lupum, sic cerva leonem,
Sic aquilam [69] penna fugiunt trepidante columbæ;
Hostes quæque suos: amor est mihi causa sequendi.
Me miserum! ne prona cadas, indignave lædi
Crura [70] secent sentes: & sim tibi causa doloris.
Aspera, qua properas, loca sunt: [71] moderatius, oro,
Curre, fugamque [72] inhibe: moderatiùs insequar ipse.
Cui placeas, inquire tamen. Non incola montis,
Non ego sum pastor; non hic [73] armenta, gregesve
[74] Horridus observo: nescis, temeraria, nescis
Quem fugias: ideòque fugis: mihi Delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Pataræaque regia servit.
[75] Jupiter est genitor: per me, quod eritque, fuitque,
Estque patet: per me [76] concordant [77] carmina [78] nervis.
[79] Certa quidem nostra est: nostra tamen [80] una sagittâ
Certior, in [81] vacuo quæ vulnera pectore fecit.
[82] Inventum medicina meum est; [83] opiferque per orbem
Dicor; & herbarum subjecta potentia nobis.
Hei mihi, [84] quòd nullis amor est medicabilis herbis;
Nec prosunt [85] domino, quæ prosunt omnibus, artes!
Plura locuturum [86] timido Penëia cursu
Fugit; cumque [87] ipso verba imperfecta reliquit.

59 Vanum, ex quo nullam voluptatem i est habiturus. 60 Ornentur. Q. d. Si ornarentur capilli, multò decentiores essent. 61 Parva ora, non basia: est enim ab ore diminutivum. Os autem parvum maximè virginem commendat. Quod & Poëta noster, egregius formarum spectator, belle novit. 62 Illam enim etiam osculari cupiebat. 63 Puta omnes illas cæteras corporis partes, quæ veste tegantur. 64 Daphne. 65 Apollinis. 66 Manet, stat, consistit, remoratur cursum. 67 Penei fluvii filia. 68 Sc. fugit. Lupum verò, ut hostem, oves naturâ, & cervi leones, ac denique omnia animalia bruta suos quæque fugiunt hostes. Ergo his similitudinibus ostendit Apollo, se ut hostem à Daphne vitari, cùm ipsam amore captus sequatur. 69 Cum quodam timore properantibus alis. 70 Spinæ pungant ac lacerent. 71 Modestiùs, lentiùs. 72 Contine fugam, noli fugere. 73 *Armentum* id genus pecoris appellatur, quod est idoneum ad opus armorum. In hoc itaque differt *armentum à grege*, quòd *armentum* sit congregatio majorum animalium, ut camelorum, boum, equorum, asinorum; grex vero minorum, ut ovium, porcorum, caprarum. 74 Incultus. 75 Pater meus: Apollo enim Jovis ex Latonæ filius fuisse dicitur. 76 Musicæ & harmoniæ ego sum inventor. 77 Cantilenæ. 78 Chordis. 79 Se peritum quidem esse sagittarium profitetur. Sed Cupidinem, à quo est percussus, peritiorem esse ait. 80 Sagitta Cupidinis. 81 Libero ab amoris affectu. 82 Apollinem, medicinæ inventorem fuisse, docuit etiam 3 Fast. *Vos quoq; Phœbeâ morbos qui pellitis arte.* Et 4. Trist. *Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.* Et alibi: *Carminis & medicæ Phœbe repertor opis.* 83 Opem & auxilium ferens. *Opifex* verò opus faciens. 84 Quod nullam inveniam medicinam quæ amorem levet. 85 Mihi Apollini. 86 Pro ipsa timida. 87 Apolline.

[88] Tum quoque visa [89] decens: nudabant [90] corpora venti,
Obviaque adversas [91] vibrabant [92] flamina vestes,
Et levis impexos retro [93] dabat aura capillos.
Auctaq; forma fuga est. Sed enim non sustinet ultrà
[94] Perdere blanditias [95] juvenis Deus: utq; movebat
Ipse amor, [96] admisso sequitur vestigia passu.
[97] Ut canis in vacuo leporem cùm [98] Gallicus arvo
Vidit; [99] & hic [100] prædam [101] pedibus petit, [102] ille salutem:
[103] Alter inhæsuro similis, jam jamque tenere
Sperat, & extento [104] stringit vestigia [105] rostro;
[106] Alter in [107] ambiguo est, an sit [108] deprensus, & ipsis
Morsibus [109] eripitur; tangentiaque ora relinquit:
Sic Deus, & virgo est: hic spe celer, illa timore.
Qui tamen insequitur, pennis adjutus amoris,
Ocior est, requiemque negat; tergoque [110] fugaci
Imminet; & [111] crinem sparsum cervicibus [112] afflat.
Viribus absumptis expalluit [113] illa; [114] citæque
Victa labore fugæ, spectans Peneïdas undas,
Fer, pater, inquit, opem, [115] si flumina [116] numen habetis.
[117] [Quâ [118] nimiùm placui, tellus, aut [119] hisce; vel istam,
Quæ facit ut lædar, mutando [120] perde figuram.]
Vix prece finita, [121] torpor gravis alligat artus:
Mollia cinguntur tenui præcordia [122] libro:
In frondem crines, in ramos brachia crescunt.
Pes [123] modò tam velox [124] pigris radicibus hæret:
[125] Ora cacumen obit: remanet [126] nitor unus in illâ.
[127] Hanc quoque Phœbus amat: positâque in [128] stipite dextrâ
Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus.
Complexusque suis ramos, ut membra, lacertis,
Oscula dat ligno: refugit tamen oscula lignum.
Cui [129] Deus: At conjux quoniam mea non potes esse;
Arbor eris, certè, dixit, mea: semper habebunt
Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ.

88 Cùm curreret Daphne. 89 Pulchra. 90 Corporis membra. 91 Ventilabant, agitabant. 92 Venti 93 Vertebat. 94 Projicere blanda verba. 95 Apollo, quia erat juvenis, non sustinet ultrà blandiri. 96 Velocibus passibus. 97 Pulchrâ similitudine declarat & Daphnes fugientis & Apollinis insequentis velocitatem. 98 Qui nunc venaticus votur. 99 Canis Gallicus. Angl. *a Greyhound.* 100 Leporem. 101 Pedum velocitate. 102 Lepus. 103 Canis Gallicus. 104 Radit pedes leporis. 105 Porrecto ore. 106 Lepus 107 Dubitat. 108 Captus à cane. 109 Liberatur. 110 Fugientis puellæ. 111 Capillos per collum sparsos. 112 Flatu & spiritu attingit. 113 Daphne. 114 Velocis cursus. 115 Si, hic intelligas, pro quoniam. 116 Divinam potestatem, qua mihi possitis succurrere. 117 In qua. 118 Tellurem rogat, ut se vel absorbeat, vel in aliam transmutet figuram. 119 Aperitor, ut me accipias. 120 Destrue. Hos versus non esse Ovidii existimat Heinsius; vide spicilegium. 121 Magnus stupor. 122 Cortice. 123 Paulò antè. 124 Lentis, immobilibus; significat autem pedes in radices fuisse conversos. 125 Os & facies Daphnes in summitatem lauri fuerunt mutata. 126 Solus splendor, sola pulchritudo. 127 Arborem Nam laurus Apollini dicata esse dicitur. 128 Trunco. 129 Apollo, sc. dixit.

Tu

Tu [130] ducibus Latiis aderis, cùm [131] læta triumphum
Vox canet: & longæ [132] visent [133] Capitolia [134] pompæ.
Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante [135] fores stabis; mediamque tuebere [136] quercum:
Utque meum intonsis caput est juvenile capillis,
Tu quoque [137] perpetuos semper gere frondis honores.
Finierat [138] Pæan: factis modò [139] laurea ramis
Annuit; utque caput, visa est agitasse cacumen.

130 Imperatores, ducesve, qui devictis hostibus triumpharent, caput lauro ornabant, sive lauream gestabant coronam. 131 Militum, qui canentes Jo triumphe, Imperatorem sequebantur triumphantem. 132 Videbunt. 133 Arx Tarpeja. Capitolium enim templum erat Jovis in monte Jovis, in monte Tarpejo, sic dictum, quod in eo, cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum fuerit. Quanquam non desint, qui velint montem hunc sic appellatum, à capite Toli, cujusdam hominis, ibi reperto, qui in Capitolino monte fuerit sepultus. Anteà enim *arx Tarpeja*, aut *Tarpejus* hic mons dicebatur, à virgine Vestali *Tarpejâ*, quæ ibi à Sabinis necata & sepulta est. Benè dicit *Capitolia*: nam triumphantes in Capitolium ascendebant, Capitolino Jovi sacrificaturi. 134 Captivorum ac rerum omnium pretiosarum in bello captarum, preterea simulachrorum urbium expugnatarum. Hæc enim omnia in triumpho gestabantur. 135 Pendebis antè januas. Nam in vestibulo ædium Imperatoris coronæ ex lauro & quercu ita suspendebantur, ut querna in medio fores vestibulo suspensa. 136 Quernam coronam, quæ observatos cives & civica dicebatur, & Cæsari in vestibulo dicabatur. Alii tamen ipsas etiam arbores antè fores Imperatorum seri solitas intelligunt. 137 Gere semper folia. Laurus enim nunquam folia abjicit. 138 Apollo. Παιών Græce feriens, nempe sagittis. Pæan quoque Hymnus dicitur in Appollinem compositus. 139 Laurus. Laurea quoque dicitur corona ex lauro confecta.

Iô in vaccam. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Io, Inachi amnis filia, cum æquales suas specie præcederet, à Jove adamata est, qui admotis precibus desiderium explevit: & ne puella in Junonis iram incideret, à compressore in vaccam est transfigurata, cujus fallaciam Juno cum intellexisset, petit eam à Jove velut munus sibi dari, quia speciosior erat cæteris armentis quæ in Peloponneso essent. Jupiter verò, ne, si negasset, proderet puellam, tribuit confestim. Juno autem, ne amplius ejus pellex cum Jove concumberet, Argum Aristonis filium centum oculos habentem ei præposuit.

Est [1] nemus Æmoniæ, [2] prærupta quod undique claudit
Sylva: vocant [3] Tempe; [4] per quæ Penëus ab imo

1 Topographia est. Describit enim *Tempe*. 2 Alta. 3 *Tempe* est nemus amœnissimum Thessaliæ: hinc amœnissima quæq; loca *Tempe* vocantur. Est pluralis num. Τέμπεα Græcè, loci arboribus consiti, & pratis ac herbis virentibus amœni. Sic Theocrit. Idyl. 1. Ἢ κατὰ Πηνειῶ καλὰ τέμπεα, ἢ κατὰ Πίνδω. 4 Per media Tempe labitur Penëus fluvius, qui claritate cunctos Thessaliæ fluvios superans, nascitur in radicibus Pindi montis.

Effusus Pindo spumosis volvitur undis:
[5] Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, [6] summasque aspergine sylvas
Impluit & [7] sonitu plus quam vicina fatigat.
Hæc domus, hæ sedes, hæc sunt [8] penetralia magni
[9] Amnis: in hoc residens facto de [10] cautibus [11] antro,
Undis jura [12] dabat, Nymphisque colentibus undas.
Conveniunt illuc [13] popularia flumina primum;
Nescia [14] gratentur, consolenturne [15] parentem,
[16] Populifer [17] Spercheos; & irrequietus [18] Enipeus,
Apidanusque [19] senex, [20] lenisque [21] Amphrysos, & [22] Æas:
[23] Moxq; [24] amnes alii; qui, qua tulit impetus illos,
In mare deducunt fessas erroribus undas.
[25] Inachus [26] unus abest; imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas; natamque miserrimus [27] Iô
Luget, ut amissam: nescit [28] vitane fruatur,
[29] An sit apud manes: [30] sed, quam non invenit usquam,
Esse putat nusquam, [31] atque animo pejora veretur.
Viderat à patrio redeuntem Juppiter [32] Jô
[33] Flumine: &, ô virgo Jove digna, tuoque beatum
Nescio quem factura [34] toro, pete, dixerat, umbras,
Altorum nemorum, (& nemorum monstraverat [35] umbras)
[36] Dum calet, & medio sol est altissimus orbe.
Quòd si sola times [37] latebras intrare ferarum;
Præside tuta Deo nemorum secreta subibis:
Nec de plebe Deo; [38] sed qui cœlestia magna

5 Vehementi cursu. 6 Influere videtur per altas sylvas aspergine nebularum humidarum, quæ ex undis illius excitantur. 7 Non solum vicini, sed longè quoque stantes strepitum illius sentiunt. 8 Loca domus secretiora, in quibus Diis Penatibus sacrificabatur, *penetralia* dicebantur. 9 Penei fluvii. 10 Lapidibus. 11 Speluncâ. 12 Reddebat. 13 Vicina, ac ex eodem populo. *Popularis* propriè dicitur, quod est populi. Interdum *popularis* dicitur gratus & charus populo, qui sibi populi favorem conciliat, quique populi est studiosus. Cic Nihil tam *populare*, quam bonitas. *Popularis* item dicitur, qui est ejusdem conditionis, sortis & fortunæ ut apud Ter. in Phorm. vocat Davus Getam *popularem suum*: erat enim & ipse servus. 14 Gratulentur Peneo, quod Daphne filia in laurum fuerit conversa 15 Peneum, quod filiam amiserit. 16 Populo arbores ferens. 17 Fluvius Thessaliæ. 18 Fluvius quoque Thessaliæ in Apidanum defluens. 19 Quia tardè admodum fluit, donec Enipeum admittat. 20 Leniter fluens. 21 Hic quoque fluvius est Thessaliæ, juxtà quem Admeti regis armenta pavit Apollo. 22 Fluvius Epiri. 23 Et deinde. Respondet autem adverbio *primum*. 24 Sc. *conveniunt*. 25 Fluvius Achaiæ, ab *Inacho* rege dictus. Ejus filiam Jo cùm deprehendisset Jupiter spatiantem, compressit: ac, ne id à Junone agnosceretur, ipsam mutavit in juvencam. Mœrens itaque Inachus propter amissam filiam, se domi continebat. 26 Solus. 27 Accusativus est Græcus: nam Io Jûs Græcè declinatur. 28 An vivat. 29 An sit mortua. Illi enim *apud manes esse* dicuntur, qui mortui sunt. *Manes* autem sunt animæ mortuorum. 30 Quam nullo in loco invenire potest, eam in rerum naturâ non esse putat. 31 Putat eam esse mortuam. 32 Io. 33 Ab Inacho, Achaiæ fluvio. 34 Tuo lecto, ac tuis nuptiis. 35 Et dextras & sinistras. Hæc verba sunt Poëtæ. Exponit enim Poëta, quas umbras dixerit Jupiter Inachi filiæ. 36 Donec calor est. Hortatur autem puellam Jupiter, ut meridiei æstum fugiat. 37 Sylvas, in quibus occultantur feræ. 38 Sed qui cœli imperium habeo. Significat autem se esse Jovem, maximum Deorum, quò faciliùs illi persuadeat, ut sibi morem gerere velit.

Scepera

Sceptra manu teneo, sed qui [39] vaga fulmina mitto.
Ne fuge me (fugiebat enim) jam pascua [40] Lernæ,
Consitaque arboribus Lyrcia liquerat arva:
Cùm [41] Deus inducta latas caligine terras
[42] Occuluit, [43] tenuitque fugam, [44] rapuitque pudorem.
Interea medios Juno [45] despexit in agros:
Et noctis faciem nebulas fecisse [46] volucres
Sub [47] nitido mirata die; non [48] fluminis [49] illas
Esse, nec humenti sentit tellure remitti:
Atque suus [50] conjux, ubi sit, circum spicit; [51] ut quæ
Deprensi toties jam nosset furta [52] Mariti.
Quem postquàm cœlo non repperit: Aut ego fallor,
Aut ego lædor, ait. Delapsaque ab æthere summo
Constitit in terris: nebulasque recedere jussit.
[53] Conjugis adventum [54] præsenserat, inque nitentem
[55] Inachidos vultus mutaverat [56] ille juvencam.
[57] Bos quoque formosa est; [58] speciem [59] Saturnia vaccæ,
Quanquam invita, [60] probat: [61] nec non & [62] cujus, [63] & unde,
Quove sit armento, veri quasi nescia, [64] quærit.
Juppiter è terra genitam mentitur, [65] ut auctor
Desinat inquiri. Petit hanc Saturnia munus.
Quid faciat? Crudele, suos [66] abdicere [67] amores:
[68] Non dare, suspectum. Pudor est, qui suadeat [69] illinc;
[70] Hinc dissuadet amor: victus pudor esset amore;
Sed leve si munus sociæ generisque torique
Vacca negaretur, pòterat non vacca videri.
[71] Pellice donata, non protinùs exuit omnem
[72] Diva metum; timuitque Jovem, [73] & fuit anxia furti:

39 Non in rectum, sed in obliquum euntia. Fulmina enim in obliquum feruntur.
40 Paludis Argivorum, in quâ habitavit Hydra serpens ab Hercule interfecta.
41 Jupiter.
42 Occultavit.
43 Cohibuit fugam, illamque fugientem retinuit.
44 Illam stupravit.
45 Deorsùm aspexit. *Despicio* enim propriè est deorsum aspicio. Quoniam verò ea, quæ contemnimus, quasi deorsùm, & ad pedes nostros projecta, aspicere solemus, sumitur *despicio* quoque pro contemno.
46 Nebulas, quæ ut aves volare videntur.
47 Sereno.
48 Physici ajunt nebulas aut à fluviis, aut à vaporibus terræ generari.
49 Nebulas.
50 Jupiter maritus suus, i. Junonis.
51 Utpote.

52 Jovis. 53 Uxoris suæ Junonis. 54 Jupiter. 55 Iô Inachi filiam. 56 Jupiter. 57 Io ut virgo erat formosa sic in juvencam quoque versa, pulchra videbatur. 58 Pulchritudinem. *Species* dicta est ab inusitato verbo *specio* i. video: undè *aspicio* &c. Primò, sumitur (ut hoc loco) pro formâ seu pulchritudine: quæ est apta membrorum figura cum quadam coloris suavitate. Secundò, accipitur *species* pro imagine seu ideâ: sic dicimus architectum habere speciem domus in mente. Tertiò pro apparentiâ rei: ut cùm dicimus aliquid esse *specie* tenus, i. apparenter bonum. 59 Juno Saturni filia. 60 Laudat. *Probare* enim propriè est probum facere, laudare, bonum dicere. Cic. Meum factum à te *probari* gaudeo. *Probare* aliquando est argumentis demonstrare, & argumentando planum facere; quod ea laude digna videantur, quæ probari rationibus possunt. Hinc *probatio*, demonstratio dicitur. Et *probabile*, quod licet non sit verum, rationibus tamen quibusdam videtur probari & persuaderi posse. 61 Et. 62 Sc. sit. 63 Sc. *venerit*. 64 Interrogat. 65 Ut dominus vaccæ à Junone non investigetur. 66 Abdicare, alienare & se amovère. 67 Vaccam sive Iô quam amabat. 68 Non tradere petitam vaccam Junoni suspecta res esset, cogeretque Junonem aliquid mali suspicari. 69 Sc. dare. 70 Ab illa Junoni tradendâ. 71 Concubinâ. Nam *pellex* dicitur, quæ cum eo viro cui uxor est, se miscet. 72 Juno. 73 Fuit sollicita, ne sibi furto auferretur.

Donec Arestoridæ servandam tradidit [74] Argo.
Centum [75] luminibus cinctum caput Argus habebat.
[76] Inde suis vicibus capiebant [77] bina quietem;
[78] Cætera [79] servabant, atq; in [80] statione manebant.
Constiterat quocunque modo; spectabat ad Iô:
Ante oculos Iö, quamvis [81] aversus, habebat.
[82] Luce sinit pasci: [83] cùm Sol tellure sub alta est;
[84] Claudit, & [85] indigno circumdat vincula collo.
Frondibus arbuteis, & [86] amara vescitur herba:
[87] Proque toro, terræ non semper gramen habenti
[88] Incubat infelix: [89] limosaque flumina potat.
Illa etiam supplex Argo cum brachia vellet
[90] Tendere: non habuit, quæ [91] brachia tenderet Argo:
Conatosque queri mugitus [92] edidit ore.
Pertimuitque sonos, propriâque exterrita voce est.
Venit & ad ripas, ubi ludere sæpe solebat,
[93] Inachidas [94] ripas: [95] novaque ut conspexit in unda
Cornua, pertimuit, seque [96] externata refugit.
[97] Naides ignorant, ignorat & Inachus ipse,
Quæ sit: at illa patrem sequitur, sequiturq; sorores;
Et patitur tangi, seque admirantibus offert.
Decerptas senior porrexerat Inachus herbas;
Illa manus [98] lambit, patriisque dat oscula palmis:
Nec retinet lacrymas: &, si modò verba sequantur,
[99] Oret opem; nomenq; suum, [100] casusq; loquatur.
[101] Littera pro verbis, quam pes in pulvere [102] ducit,
Corporis indicium [103] mutati [104] triste peregit.
[105] Me miserum! exclamat pater Inachus: inque gementis
Cornibus, & niveæ [106] pendens cervice juvencæ,
Me miserum! [107] ingeminat: T'une es quæsita per omnes

74 Argo, Aristonis filio. 75 Centum oculis. 76 Illorum centum oculorum. 77 Duo dormiebant. 78 Cæteri oculi, sc. octo & nonaginta. 79 Custodiebant. 80 Vigilabant. Metaphora est à militibus sumpta, qui in statione tunc manêre dicuntur, cùm diligenter excubias agunt. Statio propriè de quovis loco dicitur, ubi statur. Est etiam locus in littore sinuosus in quo naves ad tempus possunt consistere, minùs tamen tutò, quam in portu. Virg. *Statio malèfida carinis*, *Stationes* item dicuntur loca, in quibus milites consederunt, quæ & *stativa* dicuntur; Locum item vigilibus ad excubias agendum assignatum, *stationem* vocamus. Hinc *stationarii milites* dicuntur, quibus custodiæ, aut præsidii gratiâ statio assignata est. 81 In aliam partem vultum aversum haberet. 82 Tempore diei eam pascere permittit Argus. 83 Cùm sol occidit, i. nocte. 84 Ad præsepe eam ligans in stabulis claudit. 85 Cervici vincula non merenti, propter mollitiem atque pulchritudinem. 86 Ipsi filiæ Inachi amarâ, non vaccis, quibus est suavis. 87 Loco lecti. 88 Cubat & jacet in terra. 89 Lutosa ac cœno infecta. 90 Extendere, porrigere. 91 Manus junctas, ut illum ad misericordiam commoveret. 92 Emisit. Edere enim, cùm primam syllabam habet longam, idem est quod emittere, quasi *extrà dare*, in lucem proferre. Undè *edere libros* dicimus, i. libros publicè legendos emittere. *Edere* sæpè significat exhibêre, ostendere: ut *edere spectacula*, *edere munus gladiatorium*: ab hoc *edita* loca vocantur alta, & sese *edentia*, i. ostendentia. 93 Inachi patris. 94 Ripa est labrum amnis, i. terræ extrema ora, quæ utrimque flumine alluitur. 95 Noviter nata. 96 Externata ut consternata; suâ formâ erat exterrita, quam, modò potuisset, aufugisset. 97 Non agnoscunt sororem suam. *Naïades* propriè sunt fontium & fluviorum Nymphæ. 98 Lingit. 99 Orare vellet. 100 Infortunia. 101 Loco verborum, litera, quam pedibus in pulvere vacca effecit, indicavit patri filiam. 102 Effecit. 103 In vaccam. 104 Significationem mœstam, i. quæ mœrore affecit patrem Inachum. 105 Sc. ò. quod frequenter in exclamationibus levioribus omittitur. 106 Amplectens cornua & cervicem. 107 Duplicat.

Nata mihi terras? Tu non inventa reperta
[108] Luctus eras levior. Retices, [109] nec mutua nostris
Dicta refers; alto tantùm suspiria prodis
Pectore: [110] quodque unum potes, ad mea verba remugis.
At tibi ego ignarus [111] thalamos tædasque parabam;
Spesque fuit generi mihi prima; secunda nepotum:
De grege nunc tibi vir, nunc de grege [112] natus habendus.
[113] Nec finire licet tantos mihi morte dolores:
Sed nocet esse Deum; præclusaque janua [114] lethi
Æternum nostros luctus [115] extendit in ævum.
Talia moerenti [116] stellatus [117] summovet Argus;
Ereptamque patri diversa in pascua natam
[118] Abstrahit. [119] Ipse [120] procul montis sublime [121] cacumen
[122] Occupat; unde sedens partes speculetur in omnes.

108 Tu nunc cum sis inventa, es magis lugenda quam cum nondum reperta fuisti. 109 Nec vicissim mihi respondes. 110 Quod solum facere potes. 111 Nuptias. 112 Vituli. 113 Nec possum morte tantis doloribus imponere finem, cùm Deus sim immortalis. 114 Mortis. 115 Producit, prolongat. Q. d. semper me in luctu esse oportet. 116 Quòd oculi ejus ad similitudinem stellarum micarent. 117 Removet, abire facit Iô à patre Inacho talia dicente. 118 Violenter abducit. 119 Argus. 120 Propè. 121 Verticem, summitatem: undè sedens in omnes partes spectabat. 122 Celeriter ascendit.

FAB. XI.

ARGUMENTUM.

Jupiter mittit Mercurium in habitu pastoris ad Argum interficiendum.

NEc superûm [1] rector mala tanta [2] Phoronidos ultra
Ferre potest: [3] natumq; vocat; quem [4] lucida partu
Pleias [5] enixa est; lethoq; [6] det, imperat, Argum.
[7] Parva mora est, [8] alas pedibus, [9] virgamq; potenti
Somniferam sumpsisse manu, [10] tegimenque capillis.
Hæc ubi disposuit, patria Jove [11] natus ab arce
Desilit in terras: illic tegimenque removit,
Et [12] posuit pennas; tantummodo virga retenta est.
[13] Hac [14] agit, ut pastor, per devia rura capillas,

1 Jupiter. 2 Phoronei neptis, Phoroneus enim Inachi Pater fuit. 3 Mercurium. 4 Pleiadum splendidissima: *Maja* nempe. 5 Peperit. Interdum *eniti* idem est, quod conari, allaborare. 6 Interficiat. 7 Quòd sumpserit: i. statim sumsit. 8 Talaria alata, quæ Mercurio attribuuntur, quòd planetarum omnium sit velocissimus. 9 Caduceum, quem Mercurius ab Apolline acceperat pro Lyra inventa. Hunc vulgo virgam Poëtæ vocant. Ejus virtutes Virgil. lib. Æneid. 4. sic narrat:

——— hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimittitque, & lumina morte resignat.

Hinc *somnifera virga*. 10 Pileum. 11 Mercurius Jovis filius ex Maja. 12 Deposuit talaria alata. 13 Virgá. 14 Ducit capellas congregatas.

Dum

Dum venit, abductas: & [15] structis cantat avenis.
[16] Voce [17] novæ [18] captus custos [19] Junonius artis,
Quisquis es, hoc poteras mecum considere [20] saxo,
Argus ait: neq; enim pecori [21] fœcundior ullo
Herba loco est: aptamq; vides [22] pastoribus umbram.
Sedit [23] Atlantiades, & euntem multa loquendo
Detinuit sermone diem; junctisq; canendo [tentat.
[24] Vincere [25] arundinibus [26] servantia lumina [27]
[28] Ille tamen [29] pugnat [30] molles [31] evincere somnos:
Et quamvis sopor est oculorum parte receptus;
Parte tamèn vigilat: [32] quærit quoq; (namq; reperta
Fistula nuper erat) qua iit ratione reperta.

15 Tibiâ, quam ex avenis construxerat. Est autem *avena* genus frumenti, ex cujus calamis pastores sibi fistulas conficere solent. 16 Sono. 17 Tibiæ novissimè à Mercurio inventæ. 18 Allectus. 19 Argus, à Junone custos Iô, in vaccam mutatæ, appositus. 20 Monte. 21 Uberior. 22 Otio & quieti pastorum. 23 Mercurius nepos Atlantis ex Maja. 24 Superare, in somnum inducere. 25 Sono tibiæ. 26 Oculos observantes atque custodientes vaccam. 27 Conatur. 28 Argus. 29 Conatur. 30 Suaves somnos à Mercurio immissos. 31 Repellere. 32 Inquirit, Argus ex Mercurio.

Syrinx in fistulam. *Fab.* XII.

ARGUMENTUM.

Syrinx Nympharum Najadum, quæ circa Nonacrinum montem Arcadiæ vagabantur, speciosissima proditur fuisse: quam cum Pan Mercurii filius adamasset, & eam persequens ad amnem Ladonem Arcadiæ compulisset; ne vi castitatem deponere cogeretur, sororum auxilio in arundines conversa est. Ex quibus fistula est composita, quæ nomine apud Græcos Syrinx nuncupatur, cujus cantu Argus in somnos compulsus est: quo facilius eum Mercurius interficere posset.

TUm [1] Deus, Arcadiæ gelidis in montibus, inquit,
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas
Naîas una fuit; Nymphæ [2] Syringa vocabant.
[3] Non semel & [4] Satyros [5] eluserat [6] illa sequentes,
[7] Et quoscunque deos umbrosave sylva, feraxve
Rus habet: Ortygiam studiis ipsâque colebat
Virginitate Deam: [8] ritu quoque cincta Dianæ
Falleret, & credi posset [9] Latonia, si non
Corneus [10] huic arcus, si non foret aureus [11] illi.
[12] Sic quoque fallebat. Redeuntem colle Lyceo
[13] Pan videt hanc, pinuque caput præcinctus acuta,

1 Mercurius narrare cœpit. 2 Ab illius nomine tibia à Græcis σύριγξ appellatur. 3 Sæpius. 4 Sylvarum Deos. *Satyri* autem Dii sylvestres esse creduntur, quòd hujusmodi animalia in desertis solùm, præsertim Æthiopiæ, inveniuntur. 5 Deceperat. Dianam enim imitabatur, virginitatemque servare decreverat. 6 Syrinx. 7 Sylvanos, Faunos, ac Panes. 8 More. 9 Diana, Latonæ filia. 10 Syringi. 11 Dianæ. 12 Quamvis Syrinx corneum habeat arcum, Diana tamen esse videbatur, adeò illi similis erat. 13 Deus pastorum & nemorum.

Talia

Talia verba refert: [14] restabat verba referre:
[16] Et [17] precibus spretis fugisse per [18] avia [19] Nympham;
Donec arenosi placitum [20] Ladonis ad amnem
Venerit; [21] hic [22] illi, cursum impedientibus undis,
Ut se mutarent, [23] liquidas orasse sorores:
Panaque, cùm prensam sibi jam Syringa putaret,
[24] Corpore pro Nymphæ [25] calamos tenuisse palustres.
Dumque [26] ibi [27] suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem, similemque querenti:
Arte nova vocisque [28] Deum dulcedine captum,
[29] Hoc mihi concilium tecum, dixisse, manebit:
Atque ita [30] disparibus calamis [31] compagine ceræ
Inter se junctis [32] nomen tenuisse puellæ.

14 Ordo est: *O Nympha*, sc. Syrinx, *Cede votis*, i. obsequere cupiditati Dei, i. mei, Panos. 15 Cupientis te uxorem ducere. 16 Describit ea, quæ à Mercurio narranda de Syringe restabant. Nam verba sequentia Panos ad Syringa à Mercurio non fuerunt relata, cùm videret Argum somno oppressum: ideòque statim vocem cohibuit, Argumque interfecit. 17 Panos. 18 Loca invia. 19 Syringa. 20 Ladon fluvius est Arcadiæ lenissimus. 21 In hoc amne. 22 Syringa. 23 Najades. 24 Loco corporis Syringis. 25 Cannas in paludibus nascentes. 26 In calamo. 27 Gemit, sc. *Pan*. 28 Pana. 29 Volo (inquit Pan) hoc consilium mihi tecum esse commune. Ut enim tu in arundine quereris, ita ego hac eadem arundine meos solabor ardores. 30 Inæqualibus. 31 Conjunctione. 32 Græci enim fistulam σύριγγα vocant.

Argus in caudam pavonis. *Fab.* XIII.

ARGUMENTUM.

Mercurius Patris jussu Argum custodem dormientem gladio ferit, cujus oculis Juno pavonis caudam implet.

TAlia dicturus, vidit Cyllenius omnes
[1] Succubuisse [2] oculos, adopertaq; lumina somno.
[3] Supprimit extemplo vocem; firmatque soporem
[4] Languida permulcens [5] medicatâ lumina virgâ.
Nec mora: [6] falcato [7] nutantem vulnerat ense,
[8] Quà collo confine caput; [9] saxoque cruentum
Dejicit; & maculat [10] præruptam [11] sanguine cautem.
Arge, jaces; quodque [12] in tot lumina [13] lumen habebas,
Extinctum est; centumque oculos [14] nox occupat una.

1 Victos fuisse. 2 Argi. 3 Cohibet, sc. *Mercurius*. 4 Oculos somno occupatos. 5 Caduceo. 6 Gladio instar falcis recurvo. 7 Argum caput concutientem, ut dormitantes faciunt. 8 Qua caput conjungitur cum collo. 9 Monte. 10 Altam, præcipitem. 11 Interfecti Argi. 12 In centum oculis. 13 Lucem. 14 Una obscuritas & mors.

[15] Excipit

[15] Excipit [16] hos, [17] volucrisque suæ [18] Saturnia pennis
[19] Collocat; & gemmis caudam [20] stellantibus implet.

15 Ex capite Argi capit. *Excipio* autem modò significat cadentia suscipio, & verba dictata, cùm scribuntur: modò demo, eximo numero: hinc *exceptio*, quam appellat Ulpianus quandam quasi exclusionem, quæ interponi actioni cujuslibet rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum est. Modò *excipio* est per dolum capio. Virg. *Nonne ego te vidi Damonis, pessime, caprum excipere insidiis?* Hinc *excipulus* derivatur, quod est instrumentum, quo aliquid excipitur, & incautum comprehenditur, ut est septum ex viminibus, aliave materia contextum ad capiendos pisces. 16 Oculos. 17 Pavonis: nam pavones sub tutela Junonis esse dicuntur. 18 Juno Saturni filia. 19 Apponit. 20 More stellarum fulgentibus.

FAB. XIV.

ARGUMENTUM.

Io supra dicta cum furiis exagitata orbem terrarum percurrisset, novissimè in Ægyptum delata, ac placata Junone à Jove, in pristinam figuram regressa, Isidis deæ nomen accepit, Niligenaque dea est appellata, quæ Epaphum ex Jove enixa est. Hinc transit Poëta ad contentionem inter Phaëtontem & Epaphum.

[1] PRotinus exarsit, [2] nec tempora distulit iræ;
Horriferamq; oculis animoq; [3] objecit [4] Erinnyn
[5] Pellicis Argolicæ, [6] stimulosque in pectora cœcos
[7] Condidit, & [8] profugam per totum terruit orbem.
Ultimus immenso restabas, [9] Nile, labori.
[10] Quem simul ac tetigit, positisque in margine ripæ
Procubuit genibus, resupinoque ardua collo,
Quos potuit, solos tollens ad sydera vultus,
Et gemitu, & lacrymis, & [11] luctisono mugitu
Cum Jove visa queri est, finemque orare malorum.

1 Statim inflammata est ira: nam in Iô vaccam indignata est Juno, cujus causa Argus fuerat interfectus. 2 Nec distulit vindictam in aliud tempus. Juvenal. *Tantum admirari, tantum laudare disertos, ut pueri Junonis avem. i. e.* pavonem. 3 Immisit. 4 Horrendum furorem quo per totum terrarum orbem agitata est. *Erinnyes* autem furiæ dicuntur infernales. 5 Jûs Inachi, Argivorum fluvii, filiæ. Ab *Argis* enim, clarissima Peloponnesi urbe, cujus rex fuit Inachus, *Argolicus* declinatur. 6 Furores occultos. *Stimulus* propriè est instrumentum, quo punguntur boves. Plaut. Utinam nunc *stimulus* in manu mihi sit, quo latera conteram tua. Hinc per Metaphoram *stimulus* vocatur omne id, a quo vexamur: hinc *stimulum carnis & vitiorum* dicimus. Hinc fit verbum *stimulare*, pungere, vexare. Ter. Magis nunc me amicæ dicta *stimulant*. 7 Abscondit. Propriè enim *condo* significat abscondo, quasi in unum & interiorem locum ad custodiam *do*. Plin. Formicæ (inquit) *condunt* æstate, quibus hyeme fruantur. Aliquando *condo* idem est quod ædifico, struo. Virg. *Pallas, quas condidit arces, Ipsa colat.* ita *condere urbem dicimus*, & inde Romani annos ab *urbe conditâ* semper numerabant. 8 Porrò fugatam, procul à patria fugientem. *Profugus* enim is dicitur, qui à patria, domicilio, aliisve finibus, in quibus anteà vivebat, profugit. Sic Horatius Scythas appellat profugos, quòd crebò domicilia mutent. 9 Apostrophe ad Nilum, qui fluvius est Ægypti, à *Nilo* rege nominatus. 10 Ad quem fluvium postquam pervenit. 11 Luctum sonante & referente: heic quoque ars Poetæ nostri est advertenda; rem n. luctuosam describens, numeris utitur gravibus; penultimus n. pes est spondæus.

[12] Conjugis [13] ille suæ complexus colla lacertis,
Finiat ut pœnas tandem, rogat: inque futurum
Pone metus, inquit, nunquam tibi causa doloris
Hæc erit; & [14] Stygias jubet hoc audire paludes.
[15] Ut lenita Dea est, vultus capit [16] illa priores; [
[17] Fitq; quod antè fuit: [18] fugiunt è corpore [19] setæ:
Cornua [20] decrescunt: [21] fit luminis arctior orbis:
Contrahitur [22] rictus: [23] redeunt humerique manusque:
Ungulaque in quinos [24] dilapsa absumitur ungues.
[25] De bove nil superest, formæ nisi candor, in illâ:
Officioq; pedum [26] Nymphe contenta duorum
Erigitur; metuitque loqui; ne more juvencæ
Mugiat: [27] & timidè verba [28] intermissa [29] retentat.
[30] Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.
Huic [31] Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditur esse Jovis: perq; urbes juncta parenti
Templa tenet. Fuit [32] huic animis æqualis & annis,
[33] Sole satus Phaëthon: [34] quem quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phœboque parente superbum
Non tulit [35] Inachides: [36] matrique, [37] ait, omnia demens
Credis; & es tumidus [38] genitoris imagine falsi.
Erubuit Phaëthon, iramque pudore repressit:
Et tulit ad [39] Clymenen Epaphi convicia matrem.
Quoque magis doleas, genitrix, ait, [40] Ille ego liber,
Ille ferox, tacui: pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuisse, & non potuisse [41] refelli.
At tu, si modo sum cœlesti stirpe creatus,
[42] Ede notam [43] tanti generis: [44] meque assere cœlo.
Dixit; & [45] implicuit [46] materno brachia collo;
Perque suum, [47] Meropisque; caput, tædasque [48] sororum,
Traderet, oravit, veri sibi signa parentis.

12 Junonis. 13 Jupiter. 14 Per paludem Stygem juravit, cujus nomen Dii fallere non audebant. 15 Postquam Juno fuit mitigata. 16 Iô in vaccam jam mutata. 17 Humanæ restituitur figuræ. 18 Celeriter. 19 Pili duriores. 20 Decidunt. 21 Oculorum orbes strictiores fiunt. 22 Os diminuitur. *Rictus* est oris distentio, qualis esse solet in ridentibus. 23 Armi in humeros, pedesque anteriores in manus mutati fuerunt. Qui enim in aliis animalibus armi, in homine humeri vocantur. 24 Divisa. 25 De figura bovis nihil restat. 26 Io Nympha, Inachi filia. 27 Cùm timore iterum loqui conatur. 28 Diu omissa. 29 Iterum tentat, experitura an loqui possit. 30 Nunc Iô pro Dea Iside colitur ab Ægyptiis lineas vestes gestantibus. Isidis enim sacerdotes lineis vestibus utebantur. Iidem verò Ægyptii Lunam esse putant, ut Osiridem Solem. 31 Epaphus creditur fuisse filius Jovis ex hoc, quòd Iô, mater ejus, ab Ægyptiis tanquam Dea colebatur. Describit autem Poëta Epaphi ac Phaëthontis jurgia. Epaphus enim in altercatione Phaëthontem non esse Apollinis filium dixit: qua contumelia Phaëthon indignatus, Clymenem matrem rogavit, ut sibi verum ostenderet genitorem. Illa Apollinem esse asseveravit, utque se ad Apollinis regiam conferret, ac ab ipso sciscitaretur, hortata est. 32 Epapho. 33 Natus ex Sole, i. filius Solis & Clymenes Nymphæ. 34 Phaëthontem. 35 Epaphus Inachi nepos. 36 Clymenæ. 37 Phaëthon. 38 Solis aut Phœbi. 39 Clymene Nympha fuisse dicitur Oceani & Tethyos filia, ex qua Apollo sustulit Phaëthontem. 40 Indignatur Phaëthon quòd, cùm alias & liber & ferox in respondendo esse consueverit, nihil tunc Epaphi convitiis responderit. 41 Confutari. *Refello* enim (quod ex *re* & *fallo* componitur) est arguendo falsum ostendo, refuto, redarguo,. 42 Ostende signum. 43 Sc. cœlestis. 44 Me tuâ defensione cœlo ascribe me defende ac præsta Deum esse. 45 Injecit. 46 Matris suæ Clymenes. 47 Per vitam Meropis viri: nam Clymene post phaëthontem, ex Apolline susceptum, Meropi nupsit. 48 Nuptias suarum sororum, quas matri curæ esse sciebat.

[49] Ambiguum, Clymene precibus Phaëthontis, an i- [rā
Mota magis [50] dicti sibi criminis; utraque cœlo
Brachia porrexit: spectansque ad lumina Solis,
[51] Per jubar hoc, inquit, [52] radiis [53] insigne coruscis,
Nate, tibi juro, quod nos auditque videtque;
Hoc te, quem spectas, hoc te, qui [54] temperat orbem,
Sole [55] satum: [56] ficta loquor, neget [57] ipse [58] viden-
Se mihi; sitq; [59] oculis lux ista novissima nostris. [dum
[60] Nec longus [61] patrios labor est tibi [62] nôsse pena-
tes: [stræ.
Unde oritur, [63] terræ domus est [64] contermina no-
[65] Si modò fert animus; [66] gradere; & [67] scitabere ab [68] ipso.
[69] Emicat exemplò lætus post talia [70] matris
Dicta suæ Phaëthon, & [71] concipit æthera mente:
[72] Æthiopasq; suos, positosq; [73] sub ignibus [74] Indos
Sidereis, transit; patriosque adit impiger ortus.

49 Dubium, incertum. *Ambiguum* est, quod in ambas agi partes potest: est autem à verbo *ambigo*, quod propriè significat circumago. Quoniam vero ii, qui in ancipiti sunt, circumvertere mentem, & agitari animo solent, factum est, ut *ambigo* pro dubito sumatur. 50 Objecti. 51 Per hunc Solis splendorem. Jubar enim propriè est splendor Solis aliorumve syderum jubarum, i. crinium equorum à collo pendentium, quandam similitudinem referens. Virg. *It portis, jubare exorto, delecta juventus.* 52 Fulgentibus, micantibus. Radius autem non solùm splendor à sole emicans dicitur, sed virga quoque, quâ Geometræ lineas designant. Virg. *Descripsit radio totum qui gentibus orbem.* Est etiam radius textoris instrumentum. Virg. *Excussi manibus radii.* *Radius* est & instrumentum, quo mensuræ æquantur. Rotæ quoque *radios* habère dicuntur: hinc Radiare, radios emitere, fulgere. 53 Ornatum clarum. *Insignis* enim dicitur, quicquid signo aliquo, vel nota inter alia eminet. Ita qui nobilitate, aut virtute aliqua, aut etiam vitio aliquo inter alios eminent, *insignes* dicuntur: undè *Virgil.* Æneam vocat *Insignem pietate virum.* Undè *insignia* dicuntur signa & ornamenta, quæ in vestibus vexillis, & hujusmodi insignita sunt: aut ipsæ vestes. vexilla, & alia, quæ fiunt, aut feruntur, ita ab aliis discreta, ut nosci possint, cujus sint, & ad quos pertineant: ut vestes militares, & insignia militaria, regalia, aut consularia, quibus acies ab acie, eques ab equite, Rex & Consul à viro privato cognosci debent. Virg. *Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis Aptemus.* Hinc fit verbum *insignire*, quod est signis notare seu distinguere, ornare. 54 Regit ac gubernat; nam Solis calore omnia temperantur. 55 Natum. 56 Si mentior, & falsa dico. 57 Sol. 58 Aspiciendum. Optat autem Clymene, ut moriatur, si mentitur Phaëthonti. 59 Hoc lumen Solis ultimum sit mihi. 60 Nec longo ibi labore opus est, ut cognoscas & videas patris tui domum. 61 Patris tui ædes. 62 Cognoscendi. Est enim constructio Græca; nam Græci infinitivis pro gerundiis utuntur. Sic Propert. *Non datur ad Musas currere lata via*, i. currendi. 63 Æthiopiæ. Æthiopia enim Indiæ, undè Sol oriri videtur, finitima est. 64 Confinis, finitima, vicina. 65 Si modò ad hoc te inclinat animus ut eas ad patris ædes videndas. 66 Ito. 67 Investigabis. *Scitari* enim est interrogare seu investigare quæ occulta magis ac secretiora sunt, ut sciamus. 68 Sole. 69 Exiit. 70 Clymenes. 71 Omnia magna sibi promittit. Nam æthera quoque se pertransire posse sperabat. 72 Qui Æthiopiam incolunt. *Æthiopes* autem dicti sunt ab *Æthiope*, Vulcani filio, qui *Æthiopiam* à nomine suo appellavit; vel à Græco verbo *αἴθω*, uro & *ὢψ ὠπὸς*, *facies*, quod ustam habeant faciem: nam Solis vicinitate ejus regionis incolæ torrentur. 73 Sub fervoribus Solis. 74 Populos Orientis, ab Indo fluvio cognominatos.

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER II.

Phaëthon. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Clymene Oceani & Tethyos filia, cum Phaëthontem ex Sole conceptum genuiſſet, & in adultam perduxiſſet ætatem; monuit ut patrem cognoſceret. Qui infelicitur progreſſus, ad orientem Solem pervenit: agnituſque eſt ab eo per indicia connubii, accenſuſque agitandi currûs amore, quem quatuor equi, Pyrois, Eous, Æthon ac Phlegon per orbem aſſueverant trahere, diu expetitam veniam accepit; & à præminiſtris Horis junctum conſcendit. Monitis itaque patris cùm iter ignotum inſtrui nequiſſet, & equi ignoto agitatore conterriti mundi pronam partem appeterent, ac cultæ mortalium ſubito ardore incenderentur, à Joveque opem ſibi ferri implorarent, ne orbis terrarum conflagraret; Phaëthon fulmine ictus eſt, & è curru præcipitatus: atque ita liberati equi vinculis, agnito itinere ad ſuam ſtationem reverſi ſunt.

[1] REgia Solis erat ſublimibus alta columnis,
[2] Clara [3] micante auro flammaſq; imitante [4] pyropo:

1 Secundum librum auſpicatur Ovidius à deſcriptione ædium Solis, ad quas pervenerat Phaëthon, à Clymene matre exhortatus, ut ipſum rogaret Apollinem, an ſibi pater eſſet. 2 Lucida, illuſtris. 3 Splendente 4 *Pyropus* enim eſt gemma flammæ colorem referens; nam *πῦρ ignem*, & *ὦπα faciem* Græci dicant.

Cujus ebur [5] nitidum fastigia summa tenebat:
Argenti [6] bifores radiabant lumine valvæ.
Materiam superabat [7] opus: nam [8] Mulciber illîc
[9] Æquora [10] cœlârat medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, [11] cœlumque quod imminet orbi.
Cœruleos habet unda deos; Tritona [12] canorum,
[13] Proteaque ambiguum, [14] balænarumque prementem
[15] Ægæona suis [16] immania terga [17] lacertis;
[18] Doridaque & natas: quarum pars nare videntur,
Pars in [19] mole sedens virides siccare capillos;
Pisce vehi quædam. Facies non omnibus una est,
Nec diversa tamen; qualem decet esse sororum.
[20] Terra viros, urbesq; gerit, sylvasque, ferasq;
Fluminaque & Nymphas, & cætera numina ruris.
Hæc super imposita est cœli fulgentis imago;
[21] Signaque sex foribus dextris, totidemque sinistris.
[22] Quo [23] simul acclivo [24] Clymeneïa [25] limite proles
[26] Venit, & intravit [27] dubitati [28] tecta parentis;
[29] Protinus ad patrios sua [30] fert vestigia vultus;
Consistitque procul: [31] neque enim propiora ferebat
Lumina. Purpureo velatus veste sedebat
In [32] solio Phœbus claris lucente [33] smaragdis.
A dextrâ, lævaque Dies, & Mensis, & Annus,
[34] Sæculaque, & positæ spatiis æqualibus [35] Horæ:
Verque novum stabat cinctum florente [36] coronâ:

5 Splendidum. Q. d. Tecta Regiæ Solis eburnea erant, & fores argenteæ. 6 Duplices, duas januas habentes. *Biforis* enim dicitur, quod habet duas fores seu januas. *Valvæ* autem, fores geminas habentes partes in sese coëuntes: ita dictæ, quòd in se revolvantur. 7 Pretiosissimæ materiæ pretiosior ars fuit adhibita. In valvis enim argenteis quatuor elementa cum animalibus suis à Vulcano fuerant sculpta. 8 Vulcanus à *molliendo ferro* dictus est *Mulciber*. Nam *mulcêre* est mollire. 9 Oceanum. 10 Sculpserat. 11 Aërem, qui terrarum orbem complectitur. 12 Canentem tuba. *Triton* enim (ut lib. 1. diximus) tubicen est Neptuni. 13 *Proteus* Deus est marinus, pastor pecorum Neptuni, qui idcircò *ambiguus* dicitur, quòd in varias figuras se commutare fingatur, ut difficile videatur, quid sit, agnoscere. Modò enim fit ursus, modò leo, modò aqua, modò ignis. Variæ Protei mutationes referuntur ab Ovidio nostro *Metam*. 8. Fab. 10. *Nam modo te juvenem*, &c. Et alibi: *Utque levis Proteus modò se tenuabat in undas, Nunc leo, nunc arbor, nunc erat hirtus aper*. Item à Virgil. 4. Georg. 14 Balænæ belluæ sunt marinæ maximæ, quæ & cete dicuntur. 15 *Ægæon* gigas fuit, cœli & Terræ filius qui & Deus marinus habetur. 16 Maxima. 17 Brachiis. Nam Ægæon centum brachia fingitur habuisse. 18 Doris, Oceani & Tethyos filia, Nympharum marinarum mater dicitur. Unde Poëta addit *& natas*. 19 Magno aliquo scopulo. 20 Ita terra erat sculpta, ut & urbes & flumina, & sylvæ & Nymphæ, & feræ ei inesse viderentur. 21 Zodiacus quoque circulus ita erat sculptus, ut sex signa in dextris, totidemque in sinistris conspicerentur. Hæc duodecim sydera, quæ in Zodiaco sunt, *signa* ideò dicuntur quia iter solis annuum eis quasi certis limitibus designatur. Eorum nomina hoc disticho ab Ausonio sunt expressa: *Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces*. Græcè enim ζῶα animalia dicuntur. *Signifer* quoque à Latinis dictus est. 22 Quam regiam. 23 Simul ac, postquam. 24 Phaëthon, filius Clymenes. 25 Per arduum limitem. Regia enim Solis in editiore loco erat. 26 Ascendit. 27 De quo dubitabat. 28 Domum. 29 Statim, quamprimùm. 30 In conspectum patris progreditur. 31 Propiùs non accedebat, quia ferre non poterat splendorem Solis propinquiorem. 32 Solium propriè est regum sedes. 33 Smaragdus gemma est viridis clarè splendens. 34 *Sæculum* spatium dicitur annorum centum. Hinc & *Sæculares* ludi dicti, quòd centesimo anno peragerentur. 35 Diei partes duodecimæ æqualiter à se invicem distantes. Videtur dicta *hora* à Græco verbo ὁρίζω, definio, quod spatia temporis definiat. 36 Vere enim oriuntur flores, ex quibus coronæ conficiuntur.

Stabat

Stabat [37] nuda Æſtas, & [38] ſpicea ſerta gerebat:
Stabat & Autumnus calcatis [39] ſordidus uvis:
Et glacialis Hyems canos hirſuta capillos:
Inde loco medius, rerum novitate paventem
Sol oculis [40] juvenem quibus aſpicit omnia, vidit:
Quæque viæ tibi cauſa? quid hac, ait, arce petiſti
Progenies, Phaëthon, haud [41] inficianda parenti?
[42] Ille [43] refert, O lux immenſi publica mundi
Phœbe pater, ſi [44] das hujus mihi nominis [45] uſum
Nec falſa Clymene culpam ſub imagine celat;
[46] Pignora da, genitor; per quæ tua vera propago
Credar; & [47] hunc animis errorem [48] detrahe noſtris.
[49] Dixerat. At [50] genitor circum caput omne micantes
Depoſuit radios; propiuſque accedere juſſit:
Ampléxuque dato, Nec tu meus eſſe negari
Dignus es; & Clymene veros, ait, [51] edidit [52] ortus.
Quoque minùs dubites; quodvis pete munus; ut illud
Me tribuente [53] feras: promiſſis teſtis adeſto
[54] Diis juranda palus, oculis incognita noſtris.
Vix bene [55] deſierat: currus rogat [56] ille paternos,
[57] Inque diem [58] alipedum [59] jus & [60] moderamen equorum.
Pœnituit juraſſe patrem; qui [61] terque quaterque
[62] Concutiens illuſtre caput, [63] Temeraria, dixit,
Vox mea facta tua eſt: [64] utinam promiſſa liceret,
Non dare! confiteor, ſolum hoc tibi, nate, negarem,
Diſſuadere licet: non eſt tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaëthon, & quæ nec viribus [65] iſtis
Munera conveniant, nec tam puerilibus annis.
[66] Sors tua mortalis: [67] non eſt mortale quod optas.
[68] Plus etiam quàm quod ſuperis contingere fas ſit
Neſcius [69] affectas: [70] placeat ſibi quiſque licebit;

37 Propter æſtum, quo frumenta matureſcunt.
38 Coronas ſpiceas. *Sertum* enim corona dicitur, à *ſerendis* floribus appellatum.
39 Propter vindemiam, quæ Autumno aſſignatur. Sic alibi: *Venerat Autumnus calcatis ſordidus uvis, Redduntur merito debita vina Jovi.*
40 Phaëthontem.
41 Neganda. Nam *inficiari* & *inficias ire*, eſt negare.
42 Phaëthon.
43 Reſpondet.
44 Permittis.
45 Ut tua progenies dicar, & te patrem appellem.
46 Signa & documenta.
47 Hanc dubitationem.
48 Deme.
49 Phaëthon.
50 Sol.
51 Dixit, aſſeruit, vulgavit.
52 Veram originem. Ex me enim verè es ortus.
53 Habebis.
54 Styx palus eſt inferorum, per quam Dii jurare timent.
55 Loqui.
56 Phaëthon.

57 Per unum diem. 58 Alas in pedibus habentium, i. e. velociſſimorum. Undè hos infrà equos *volucres* appellat. 59 Poteſtatem. 60 Regimen, gubernationem. 61 Sæpiùs. 62 Concuſſio autem capitis hic pœnitentiam, alibi ſignificat indignationem. 63 Mea promiſſa temeraria inconſultaque facta ſunt propter tuam petitionem. 64 Utinam poſſem tibi promiſſa negare. 65 Exiguis & mortalibus. 65 Conditio. *Sors* propriè fortuitum alicujus rei eventum ſignificat: à quo fit verbum *ſortior*, quod eſt ſortes *duco*, *jacio*: vel per ſortem eligo: ut, *ſortiri judices*. Præterea *ſors* eſt ſumma, ſive caput, & prima pecunia, quæ confertur in ſocietatem, ut inde lucrum fiat. Ter. Hei mihi etiam de *ſorte* nunc venio in dubium miſer, i. e. de pretio, quo empta erat fidicina. Indè *conſortes*, qui ſortes contulerunt, & qui unam aliquam rem inter ſe habent communem. 67 Currus enim Solis eſt incorruptibilis. 68 Plus etiam cupis, quam Diis ipſis adipiſci concedatur. 69 Cum affectu quodam vehementi appetis. 70 Quamvis unuſquiſq; Deorum multa ſibi arroget, me tamen excepto, nullus eorum in Solis curru commodè poterit conſiſtere: ne ipſe quidem Jupiter, quo nihil majus, nihilque potentius habetur.

Non tamen ignifero quiſquam conſiſtere [71] in axe
Me valet excepto: vaſti quoque [72] rector [73] Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra,
Non agat hos currus. [74] Et quid Jove majus habemus?
[75] Ardua prima via eſt; & quà vix mane [76] recentes
Enitantur equi; medio eſt altiſſima cœlo;
Unde mare, & terras ipſi mihi ſæpe videre
Fit timor, & [77] pavida trepidat formidine pectus.
Ultima [78] prona via eſt; & eget [79] moderamine certo.
Tunc etiam, quæ me ſubjectis excipit undis,
Nè ferar in præceps, [80] Tethys ſolet ipſa vereri.
Adde, quod aſſidua rapitur [81] vertigine cœlum;
Sideraque alta trahit, celerique volumine [82] torquet.
[83] Nitor in adverſum: [84] nec me, qui cætera, vincit
Impetus; & [85] rapido contrarius evehor orbi.
Finge datos currus: quid agas? [86] poteriſne rotatis
Obvius ire polis, nè te citus auferat axis?
[87] Forſitan & lucos illîc, urbeſque Deorum
Concipias animo, delubraque ditia donis
Eſſe: per inſidias iter eſt, formaſque ferarum.
[88] Utque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen [89] adverſi gradieris cornua [90] Tauri,
Hæmonioſque arcus, [91] violentique ora Leonis,
Sævaque circuitu curvantem brachia [92] longo
Scorpion, atque [93] aliter curvantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrupedes animoſos ignibus illis
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant,

71 In curru ignem & Solem ferentè. *Axis* autem eſt lignum illud teres, circà quod rotæ currus vertuntur. Pars pro toto hic ponitur. 72 Jupiter. 73 Cœli. *Olympus* autem mons eſt, cujus vertex uſque adeò attollitur, ut ſumma ejus accolæ cœlum vocent. Hinc Poëtæ cœlum *Olympum* vocant. 74 Q. d. Nihil. Undè 2. Triſt. *Jure igitur genitorque Deûm rectorque vocatur, Jure capax mundus nil Jove majus habet.* 75 Aſcenſus propter acclivitatem laborioſus. Cauſas enumerat, quibus oſtendit difficillimam eſſe currus Solis gubernationem. 76 Inſtaurati, integri viribus, ut qui per noctem quieverunt.

77 Ab effectu quòd pavidos timidoſque reddat. 78 Præceps. 79 Regimine. 80 Oceani uxor, quæ Solem occidentem excipere videtur. 81 Revolutione & converſione. *Vertigo* quoque eſt morbus capitis, qui ex frigidis & lentis humoribus, ſursùm ex ventriculo commeantibus, oritur. 82 Convertit. Sydera enim fixa unà cum cœlo vertuntur. Planetæ verò contrà cœli motum nituntur. 83 Contra cœli converſionem cum quodam niſu & conatu moveor. 84 Nec impetus & rapidiſſima cœli rotatio, quæ omnia alia ſecum trahit, me poteſt inhibere, quo minus meum naturalem motum perficiam. 85 Cœlo veloci. Signa enim Zodiaci Sol pertranſit mundo contrarius. 86 Poteriſne ſic reſiſtere rotationi ac celerrimæ converſioni, quæ fit circà Polos, ne ab ipsâ ſecum traharis, ſed ut ei contrarius pergas? Undè & Poli dicti ſunt, à verbo πολέω, quod eſt *verto*, ut ſuprà diximus: quia circum hos tota mundi machina circumvolvitur. 87 Fortaſsè tibi perſuades illîc eſſe & urbes, & Deorum templa: ſed horum nihil eſt, iterque tibi eſt faciendum per inſidias, ac ferarum figuras. 88 Quamvis. Q. d. Quamvis concedam te viam tenêre ac ſcire, & in nullum errorem caſurum te tamen per Tauri cornua re oportebit. 89 Oppoſiti. 90 Hoc ſignum Zodiaci ita dictum eſt, propter ſimilitudinem, quam habet cum animali terreſtri, quod communiter *Taurus* dicitur: ſicut etiam cum vaccâ: undè etiam à nonnullis vacca nuncupatur, potiſſimùm ab Ovidio noſtro: *Vacca ſit, an Taurus, non eſt cognoſcere promptum.* 91 Quia Sol ſtatim poſt ingreſſum in iſtud ſignum intenſiores radios ejaculari, & calorem vehementiorem producere ſoleat. 92 Multum enim ſpatii Scorpius ſuis brachiis comprehendit. 93 Nam Scorpii brachia à principio ſtatim recurvantur, Cancri verò juxtà ſummitatem flectuntur, ideòque minus ſpatii complectuntur.

In

In [94] promptu regere est: vix [95] me patiuntur, ut acres
Incaluêre animi; cervixque repugnat habenis.
At tu, [96] funesti ne sim tibi muneris auctor;
Nate, cave: dum resque [97] sinit, [98] tua corrige vota.
Scilicet, ut nostro [99] genitum te sanguine credas,
Pignora certa petis: do [100] pignora certa timendo;
Et patrio pater esse metu probor. Aspice vultus
Ecce meos: utinamque oculos in pectora posses
[101] Inserere; & patrias intùs [102] deprendere curas!
Denique quicquid habet dives, circumspice, mundus,
Eque tot ac tantis cœli, terræque, marisque,
Posce bonis aliquid: nullam patiêre [103] repulsam.
Deprecor hoc unum; quod vero nomine pœna,
Non honor est: pœnam, Phaëthon, pro munere poscis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita; dabitur ([104] Stygias juravimus undas)
Quodcunque optâris: sed tu sapientiùs opta.
[105] Finierat monitus: [106] dictis tamen [107] ille [108] repugnat:
[109] Propositumque [110] tenet: [111] flagratque cupidine currûs.
Ergo, [112] quà licuit genitor cunctatus, ad altos
[113] Deducit [114] juvenem, Vulcania munera, currus.
[115] Aureus axis erat, [116] temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ; radiorum argenteus ordo.
Per juga [117] chrysolithi, positæq; ex ordine gemmæ,
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.
Dumq; ea magnanimus Phaëthon miratur, opusq;
Perspicit; ecce vigil rutilo [118] patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena [119] rosarum
Atria: [120] diffugiunt stellæ; quarum agmina cogit
[121] Lucifer, & cœli [122] statione [123] novissimus exit.
At pater, ut terras, [124] mundumq; rubescere vidit,
Cornuaque extremæ velut [125] evanescere Lunæ;

94 Est facile. 95 Qui sum Deus, & peritus, & ipsis equis notus. 95 Perniciosi, mortiferi. 97 Permittit, i. e. dùm potes. 98 Tuos appetitus. 99 Ex me natum. 100 Signa certa. 101 Immittere. 102 Comprehendere. 103 Rejectionem. *Repulsa* enim est eâ rejectio, quâ quis rejicitur ab honore, vel magistratu, aut ab alia repetita, vel sperata. 104 Causa est, cur sit daturus. 105 Phœbus. 106 Phœbi. 107 Phaëthon. 108 Resistit. 109 Quod mente statuerat, & intentionem suam. 110 Retinet. 111 Et ardet cupiditate regendi currus paterni. 112 Quatenus & quousque potuit. 113 Honoris gratia ducit. Liv. Frequentesque eum domum deduxerunt. *Deducere* proprie significat ex superiori loco in inferiorem ducere. Interdum idem est quod subtrahere. Unde *deducere cibum*, est parciùs solito cibum suppeditare. 114 Phaëthontem. 115 Currum Solis eleganter describit Poëta. 116 Signum in curru, inter equos intermedium, continens jugum in curru. 117 Lapides pretiosi aureum habentes colorem, Undè etiam nomen sortiti sunt: χρυσὸς enim *aurum*, & λίθος *lapis* dicitur. 118 Aperuit. Aurora autem antè Solis ortum aërem illustrare, sicque fores ædium suarum aperire videtur. 119 Auroræ enim rosas antiquitas dicavit. 120 Adveniente aurorâ fulgêre desinunt. 121 Congregat & ante se agit. Lucifer enim (qui Græcè φωσφόρος dicitur) ultimus est, qui desinit fulgere Sole oriente, primusque incipit lucere illo occidente, & tunc *Hesperus* vocatur. Cogo autem (dictum quasi *coago*) propriè est, in unum colligo, congrego. Ter. Quasi talenta ad quindecim *coëgi*. Interdum urgeo. 122 Metaphora à ducibus belli. 123 Ultimus. 124 Adventu enim Auroræ cœlum rubescere videtur. 125 Dissolvi ac perire. Luna enim, adveniente Sole, splendere desinit.

Jungere equos Titan [125] velocibus imperat Horis.
Jussa Deæ celeres peragunt: ignemque vomentes
[127] Ambrosiæ succo saturos præsepibus altis
Quadrupedes ducunt; adduntque sonantia fræna.
Tum pater ora sui [128] sacro medicamine [129] nati
[130] Contigit, & rapidæ fecit patientia flammæ:
Imposuitque comæ [131] radios; [132] præsagaque luctûs
Pectore sollicito repetens suspiria, dixit:
Si potes hic saltem monitis parêre paternis:
[133] Parce, puer, stimulis, & fortiùs utere loris.
Sponte suâ properant: labor est inhibere volentes.
[134] Nec tibi directos placeat via [135] quinque per arcus.
[136] Sectus in obliquum est lato curvamine limes.
Zonarumque trium contentus fine polumque
Effugito [137] Australem, junctamque Aquilonibus [138] Arcton.
Hâc sit iter: [139] manifesta rotæ vestigia cernes.
Utque ferant æquos & cœlum & terra calores;
[140] Nec [141] preme, nec summum [142] molire per æthera currum.
Altiùs egressus [143] cœlestia tecta cremabis;
Inferiùs, terras: *Medio tutissimus ibis.*
[144] Neu te [145] dexterior tortum [146] declinet in [147] Anguem;
Neve sinisterior pressam rota ducat ad [148] Aram;
[149] *Inter utrumque tene:* fortunæ cætera mando,

126 Agilibus, ac citò prætereuntibus. Horæ autem idcircò Solis equorum curam habere finguntur, quod ex cursu Solis oriantur, seu potiùs mensurentur & distinguantur.
127 Ambrosia esca est suavissima, quâ Dii vescuntur, quâque immortales efficiuntur.
128 Divino, hominibus ignoto & occulto.
129 Filii sui Phaëthontis.
130 Perunxit, ut servori resistere possent.
131 Coronam radios emittentem, quam ipse gestare consuevit. Ex opinione vulgi, quod Solem instar capitis radiati pingit.
132 Prænuncia.
133 Noli uti calcaribus & flagellis ad impellendos equos, verum conare ipsos fortiùs frænis cohibere, atque retinere impetu & furore currentes. 134 Quà iter Phaëthonti sit tenendum, ostendit Phœbus. Non enim (inquit) per quinque circulos rectè est eundum, sed per Zodiacum, qui & obliquus & fines trium Zonarum non egreditur, neutrum enim polorum attingit. 135 Per quinque circulos, qui & Zonæ dicuntur. Cœlum enim per quinque circulos æqualiter à se distantes, dividitur: sc. Arcticum, Antarcticum, Tropicum Caneri, Tropicum Capricorni, Æquinoctialem, quorum Æquinoctialis est medius. Zodiacus autem obliquus est circulus, qui Æquinoctialem secat, & ad Tropicum Caneri ac Capricorni usque pervenit: nec ad circulos Arcticum Antarcticumque procedit. 136 Periphrasis est Zodiaci quem descripsimus. 137 Qui etiam *Antarcticus* dicitur, ab oppositione quam habet cum Arctico. 138 Polum Arcticum, i. e. ursinum, ἀπὸ τῆς ἄρκτου, ab ursâ, vicino sydere, undè flant Aquilones venti. *Arctos* autem *Ursa* dicitur, quæ in eâ parte cœli sita, Polo nomen dedit. Nam Jupiter Callisto, Lycaonis filiam, à Junone in ursam commutatam, unà cum Arcade filio in sydera retulit, & ad Polum collocavit, qui ab Arcto Arcticus fuit denominatus. 139 Orbitam se effecisse frequentissimo decursu dicit, & valdè quidem luculentam. 140 Ne depressiùs, altiùsve currum agas, ne aut terras aut cœlum combu ras. 141 Deprime in partem inferiorem. 142 Impelle. 143 Cælum combures. 144 Neve. 145 Sc. rota. 146 Inclinet, devehat. 147 Ad serpentem, qui ad Polum Arcticum tortuosus seu flexuosus jacet. 148 Ad Polum Antarcticum. Ara enim, in quâ primum Dii existimantur sacra & conjurationem fecisse contrà Titanas, in cœlum dicitur translata, ac juxtà Polum Antarcticum collata. Q. d. Cave ne aut nimium ad Septentrionem versus, ubi est anguis, rapiaris, aut ad Meridiem, ubi est Deorum ara. 149 Inter utrumque spatium currum contine, atque coërce. Sic lib. 8. de Icaro; *Inter utrumque vola.*

Quæ

Quæ juvet, & meliùs, [150] quàm tu tibi, [151] consulat opto.
Dùm loquor; [152] Hesperio positas in littore metas
Humida nox tetigit: [153] non est mora libera nobis.
[154] Poscimur; effulget tenebris Aurora fugatis.
Corripe lora manu: vel, si mutabile pectus
Est tibi, consiliis, non curribus utere nostris;
Dum potes, [155] & solidis etiam num sedibus adstas;
[156] Dumque malè optatos nondum premis inscius axes;
Quæ tutus spectes, [157] sine me dare lumina terris.
[158] Occupat [159] ille levem juvenili corpore currum;
Statq; super; manibusq; datas contingere habenas
Gaudet; & invito grates agit indè parenti.
[160] Intereà volucres Pyroeis, & Eous, & Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
[161] Flammiferis implent, pedibusque [162] repagula pulsant.
Quæ postquam [163] Tethys, fatorum ignara nepotis,
Repulit; & facta est [164] immensi [165] copia mundi;
[166] Corripuêre viam, pedibusque per aëra motis
Obstantes findunt nebulas, [167] pennisque levati
Prætereunt ortos iisdem [168] de partibus Euros.
Sed leve pondus erat; nec quod cognoscere possent
Solis equi; solitâque jugum gravitate carebat.
Utque labant curvæ justo sine pondere naves,
Perque mare instabiles nimiâ levitate feruntur:
Sic onere assueto vacuos dat in aëra saltus,
[169] Succutiturque altè, similisque est currus [170] inani.
Quod [171] simul ac sensere, [172] ruunt, tritumque re- [linquunt

150 Tu enim te perditum ibis cum istâ tuâ cupidine & inconsultâ temeritate.
151 Prospiciat tibi, rationem tui habeat. *Consulere* enim interdùm significat providere, prospicere, rationem habere: ut, *Consule honori tuo, rebus tuis: consule saluti tuæ*, i e. provide. *Consulo* propriè significat, consilium peto, & tùm regit accusativum: ut *consulere amicum*, est ab amico consilium petere: sic, *Consului doctos*, i. à doctis consilium petii. Cùm verò *consulere* significat consilium dare. tùm construitur cum dativo. Undè est versiculus: *Consulo te: posco: tibi consulo, consilium do.* 152 Atlantico: quò cùm nox pervenerit, relinquat terras necesse est.
153 Non est integrum nobis morari.
154 Petimur ad illustrandum mundum. 155 Dùm in terrâ adhuc moraris. 156 Et dùm currus, quos in tuum malum optasti ignarus, non ascendisti. 157 Permitte me terras luce illustrare. 158 Celeriter, agiliterque ascendit. 159 Phaëthon. 160 Currus Solis à quatuor trahitur alatis equis, quibus nomina ab effectu fuerunt imposita Pyroïa enim dicitur quasi ignitus: nam πῦρ est ignis. *Pyroïs* in gen. *Pyroëntis*, ut *Simoïs, Simoëntis*. *Eous* ab Aurorâ dicitur: ἠώ enim est *Aurora*. *Æthon* est *urens*, & *Phlegon*, eo quòd ore & naribus *ignem* emittere fingantur. 161 Ex ore enim flammas efflare dicuntur. 162 Obstacula. *Repagula* enim in ludis equestribus dicuntur, quæ equis objiciuntur, ne antè tempus procurrant. Alludit autem ad carceres, è quibus equi in certaminibus emittebantur. *Repagulum* proprie est obex sive vectis, qui ostio adversos vim opponitur. 163 Oceani uxori & Clymenes mater, apud quam Sol pernoctare creditur. 164 Infiniti. 165 Potestas. *Copia* enim aliquando est facultas & potestas aliquid faciendi, & plerumque cum verbo *facio* vel *do* jungitur: ut *faciam tibi copiam* spectandi ludos, i. e. dabo vel faciam tibi facultatem & potestatem spectandi ludos. Alioqui *Copia* pro abundantiâ accipitur: undè *Copiam orationis, Copiam frumenti* dicimus. 166 Velociter currere cœperunt. Sic Virg. I. Æn. *Corripuere viam intereà, quà semita monstrat.* *Corripio* enim aliquando significat celeriter capio, Ovid. *Et corripit ensem.* Interdum abbrevio: undè *correptas syllabas* dicimus: à quo *correptio*, i. abbreviatio. 167 Alis. 168 De Oriente. 169 Sursum valdè quatitur. 170 Vacuo. 171 Postquam. 172 Cum impetu currunt.

173 Qua-

[163] Quadrijugi [174] spatium; nec, [175] quo prius ordine, currunt.
[176] Ipse [177] pavet; nec [178] quà [179] commissas flectat habenas,
Nec scit, quà sit iter; nec, si sciat, imperet illis.
Tum primùm radiis gelidi caluere [180] Triones,
Et [181] vetito frustrà tentârunt æquore [182] tingi.
[183] Quæque polo posita est glaciali proxima serpens,
Frigore pigra prius, nec formidabilis ulli;
Incaluit; sensitque novas fervoribus iras.
Te quoque turbatum memorant fugisse, [184] Boöte;
Quamvis tardus eras, & te tua [185] plaustra [186] tenebant.
Ut vero summo [187] despexit ab æthere terras
Infelix Phaëthon [188] penitus penitusque patentes;
[189] Palluit, & subito genua intremuere timore;
Suntq; oculis tenebræ [190] per tantum lumen obortæ:
Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos:
Jamq; agnosse genus piget, & valuisse rogando:
Jam [191] Meropis dici cupiens. Ita [192] fertur, ut [193] acta
[194] Præcipiti [195] pinus Borea, cui victa remisit
Fræna suus rector, quam Diis, votisque reliquit.
Quid faciat? multum cœli post terga relictum;
Ante oculos plus est; animo metitur utrumque:
Et modo, quos illi [196] fato contingere non est,
[197] Prospicit occasus; interdum respicit ortus.
Quidque agat ignarus, stupet: & nec fræna remittit,
Nec retinere valet; nec nomina novit equorum.
Sparsa quoque in [198] vario [199] passim [200] miracula cœlo,
[201] Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.

173 Quatuor equi binis jugis alligati. *Bijuges*, n. dicuntur equi cum duo uni jugo alligantur: *quadrijuges* autem erant, cum duobus jugis, bini singulo alligabantur: hoc enim ex nummis quos *quadrigatos* Romani appellabant, patet. 174 Viam sæpiùs calcatam. 175 Sc. *currebant*. 176 Phaëthon, jam rector equorum Solis. 177 Timet. 178 Per quem locum. 179 Sibi concredita & tradita sibi ab Apolline retinacula & lora, quibus equi reguntur, & inhibentur. *Committere* enim est alicujus fidei tradere. Ter. Ovem lupo *commisisti*. Aliquando peccare. Virg. *Quid meus Æneas in te committere tantum, Quid Troës potuêre?* 180 Septentriones frigidi, utpote ad quos Sol propiùs aliàs nunquam accessit. Tunc autem primùm calescere cœperunt, quia Solis currus illuc usque ab equis, quos cohibere Phaëthon non poterat fuit pertractus. *Triones* sunt 7. stellæ ad Polum Arcticum ita dispositæ, ut plaustrum efficere videantur. 181 Septentriones enim nunquam occidunt, ideoque se madefacere non possunt. Juno enim hoc à Tethy, Oceani uxore, impetravit, ne duas ursas, quæ sunt ad Polum Arcticum, in mare descendere permitteret. 182 Occidere, immergi. Sic 1. Trist. *Tingitur Oceano custos Erymanthidos Ursæ*. Et Virg. 1. Georg. *Arctos Oceani metuentes æquore tingi*. 183 Juxta Polum Arcticum serpens est maxima, quæ duas complectitur ursas. 184 Apostrophe & conversio sermonis ad Bootem, qui plaustrum agere videtur. *Bootes* enim Latinè dicitur *bubulcus*. Idem est autem, qui *Arctophylax* dicitur, quòd *ursæ custos* adhibitus esse videatur. 185 Sydus quod vocatur *Bootes*, quod plaustrum vehentis speciem refert. 186 Retardabant, remorabantur. 187 Deorsum aspexit. 188 Terras valdè depressas ac longè à se remotas. 189 Præ timore pallidus effectus est. 190 In tanto lumine. 191 Sc. filius. *Merops* enim Clymenes fuit maritus. Q. d. cupiens jam hominis filius magis, quam Dei, appellari. 192 Trahitur vel agitatur Phaëthon. 193 Impulsa. 194 Rapido & impetuoso. *Præceps* ex *præ* & *capio* componitur, & significat propriè eum qui sine consideratione aliquâ, aut modo aliquid agit, & quasi rem & tempus præoccupat. Virg. *Mox sese ad littora præceps, Cum fletu, precibusque tulit*, i. sine respectu salutis. Unde pro nimis festino poni solet. Sumitur etiam *præceps* pro loco alio, undè quis facilè in præceps dari potest. 195 Navis ex pinu confecta. Est enim Metonymia, vel potiùs Synecdoche. 196 Non potest. 197 Porrò & longe aspicit. 198 Variis signis distincto. 199 Ubique. 200 Monstra. 201 Maximarum, ut Leonis

[202] Est locus, in [203] geminos ubi brachia [204] concavat arcus
Scorpios, & cauda, flexisque utrinque lacertis
Porrigit in spatium [205] signorum membra duorum.
[206] Hunc [207] puer [208] ut nigri madidum sudore veneni
[209] Vulnera [210] curvata minitantem cuspide vidit;
[211] Mentis inops, [212] gelidâ formidine [213] lora [214] remisit:
[215] Quæ postquam summum [216] tetigere jacentia tergum;
[217] Exspatiantur equi; nulloque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt; quaque impetus egit,
Hâc sine [218] lege ruunt; altoque sub [219] æthere fixis
[220] Incursant stellis, rapiuntq; per avia currum.
Et modò summa petunt, modò per decliva, viasque
Præcipites spatio terræ propiore feruntur;
[221] Inferiusque suis fraternos currere Luna
Admiratur equos: [222] ambustaque nubila fumant.
Corripitur flammis, ut quæq; altissima, tellus;
Fissaque agit rimas, & [223] succis aret ademtis.
Pabula [224] canescunt; cum frondibus uritur arbos;
Materiamque suo præbet seges arida damno.
Parva queror: magnæ pereunt cum mœnibus urbes:
Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt; sylvæ cum montibus ardent.
[225] Ardet Athos, Taurusque Cilix, & Tmolus, & Oete;
Et nunc sicca, priùs [226] celeberrima fontibus, [227] Ide;
Virgineusque Helicon, & nondum [228] Oeagrius [229] Hæmos:
Ardet in immensum [230] geminatis ignibus [231] Ætne,
[232] Parnasusque biceps, & [233] Eryx, & [234] Cynthus, & [235] Othrys, [que
Et tandem [236] Rhodope nivibus caritura, [237] Mimas-

202 Scorpium describit, ad quem cùm pervenisset Phaëthon, adeò territus est, ut ei fræna è manibus ceciderint. Quòd cùm equi sensissent, per totum ferè cœlum discurrerunt.
203 Duos similes.
204 Flectit.
205 Alterum enim brachiis, alterum caudâ facit.
205 Scorpium.
207 Phaëthon.
208 Postquam.
209 Ictus.
210 Caudâ reflexâ.
211 Præ ingenti timore.
212 Frigido timore, ab effectu, quòd homines frigidos reddat, ut *Pallida mors*.
213 Habenas frænorum. Inde *lora dare*, i. laxare habenas. *Lorum* propriè significat corrigiam ex *corio*.
214 Dimisit.
215 Lora.
216 Equi.
217 Latè & extrà spatia excurrunt.
218 Ordine.
219 Cœlo.

220 Currendo appropinquant. 221 Infrà suos meritò admiratur, quia Sol multò altior est quàm Luna. Poëtæ autem quadrigas Soli attribuunt, Lunæ bigas: Lucifero & Auroræ singulos equos. 222 Combusta, circumusta. 223 Humoribus exsiccatis. 224 Cana & arida fiunt. 225 Altissimos quosque enumerat, qui primi conflagrare cœperunt. 226 Multos fontes habens, qui tamen omnes tunc erant exsiccati. 226 Mons Phrygiæ celeberrimus. 228 In quo Orpheus tùm nondum fuit discerptus. Nam Orpheus, Oeagrii fluvii filius, dicitur à Mænadibus, i. à mulieribus, quæ insanientium ritu Bacchi Orgya celebrabant, in eo monte fuisse discerptus: à quo etiam Oeagrius fuit appellatus. 229 Mons Thraciæ altissimus. 230 Duplicatis. *Geminatos* dicit, quòd ignis ibi est perpetuò: alterum innuit contraxisse ex Phaëthontis incendio. Hujus montis incendii causas explicat Justinus lib. 4. De quo etiam multa Lucret, lib. 6. 231 Mons Siciliæ semper ardens. 232 Mons Phocidis in duos vertices divisus. 233 Mons Siciliæ, qui Veneri, quæ ab eo *Erycina* dicitur, sacer est. 234 Mons est Deli, undè *Cynthius* Apollo vocatur. 235 Mons est Thessaliæ. 236 Mons Thraciæ nivosus, à *Rhodope* puella, quæ in hunc commutata fuit. 237 Mons est Minoris Asiæ, perpetuis nivibus obrutus, à *Mimante* gigante denominatus.

238 Dindy-

[238] Dindymaque, & [239] Mycale, natusque ad sacra [240] Cythæron. [ardet,
Nec prosunt [241] Scythiæ sua frigora: [242] Caucasus
[243] Ossaque cum [243] Pindo, [244] majorque ambobus Olympus,
[245] Aëriæque Alpes, & nubifer [246] Apenninus.
Tum verò Phaëthon cunctis è partibus orbem
Aspicit accensum; [247] nec tantos sustinet æstus:
[248] Ferventesque [249] auras, velut è fornace profundâ,
Ore trahit, currusque [250] suos [251] candescere sentit.
Et neque jam cineres, ejectatamque [252] favillam
[253] Ferre potest; calidoque [254] involvitur undique fumo;
Quoque eat, aut ubi sit, piceâ [255] caligine tectus
Nescit; & arbitrio [256] volucrum raptatur equorum.
[257] Sanguine tum credunt in corpora summa vocato,
Æthiopum populos nigrum traxisse colorem:
Tum facta est [259] Libye [259] raptis humoribus æstu
Arida; tum [269] Nymphæ [261] passis fontesque lacusque,
Deflevêre comis: queritur Bœotia [262] Dircen;
[263] Argos Amymonen, Ephyre [264] Pirenidas undas.
[265] Nec sortita loco distantes flumina ripas
Tuta manent: mediis [266] Tanaïs fumavit in undis,
[267] Penëosque senex, Theutranteusque Caïcus,
Et celer [268] Ismenos, cum [269] Phocaïco Erymantho,
Arsurusque [270] iterum [271] Xanthus, flavusque Lycormas,
Quique recurvatis ludit Mæandros in undis,

238 Mons est Phrygiæ, matri Deorum sacer. Undè ipsa mater Deorum *Dindymene* fuit appellata. 239 Mons est & urbs Cariæ. 240 Mons est Bœotiæ Baccho dicatus, ad cujus Orgya natus esse videtur. 241 Scythia regio est ad Septentrionem frigidissima, à *Scythâ*, Herculis filio, cognominata. 242 Mons est Scythiæ, Promethei relegatione nobilis. 243 Montes Thessaliæ sunt altissimi. 244 Altior. Nebulas enim & ventos excedere putatur. 245 Montes sunt altissimi, Italiam à Gallia Germaniâque distinguentes. 246 Mons est longissimus Italiam dividens. 247 Nec pati potest tantum calorem. 248 Calentes. 249 Ventos. *Aura* propriè est lenior ventorum flatus. Metaphorice ponitur pro favore: ut, *Aura popularis*. 250 A se tantopere expetitos. 251 Ignescere & inflammari. Nam *candêre* propriè dicitur ferrum ignitum. 252 Favilla propriè est scintilla igne destituta. 253 Pati. 254 Implicatur. 255 Obscuritate tam crassâ, ut si picea esset. 256 Velocium. 257 Obiter transformationem Æthiopum exponit Poëta. Æthiopes enim cum anteà candidi essent, tunc nigri fuerunt effecti. 258 Regio est Africæ aridissima. 259 Ereptis, exsiccatis aquis & liquoribus. 260 Quemadmodum montes conflagrarunt, ita etiam fontes lacusque eo incendio exsiccati fuerunt. 261 Sparsis comis: quod in mœrore fieri consuevit. 262 *Dirce* Bœotiæ fons est. 263 *Amymone* fons est apud Argos, ab *Amymone*, Danai Argivorum regis filiâ, quæ in hunc mutata fuisse dicitur appellatus. 264 *Pyrene* fons est Corinthi. 265 Non solùm fontes exaruere, sed etiam amnes latissimi sunt exsiccati. 266 Fluvius est Scythiæ maximus, Europam ab Asiâ dividens. 267 Fluvius est Thessaliæ. 268 Fluvius est Bœotiæ, ab *Ismeno*, Pelagi filio, denominatus. 269 Erymanthus Phocydis est fluvius, & Arcadiæ mons. 270 Secundò, nam bis arsit: primò hac vice: deinde, tempore Belli *Trojani*, cum precibus *Achillis Vulcanus* magnam in eum ignis vim injecit. 271 Fluvius Trojæ.

Mygdoniusque

Mygdoniusque [272] Melas, & [273] Tænarius Eurotas:
Arsit & Euphrates Babylonius, arsit [274] Orontes,
[275] Thermodonque citus, [276] Gangesque, & [277] Phasis, & [278] Ister.
[279] Æstuat [280] Alphëos, ripæ [281] Sperchëides ardent,
Quodque suo [282] Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum:
Et, quæ [283] Mæonias celebrârant [284] carmine ripas,
[285] Fluminææ volucres medio caluêre [286] Caÿstro.
[287] Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet: [288] ostia septem
[289] Pulverulenta [290] vacant, [291] septem sine flumine valles.
[292] Sors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,
[293] Hesperiosque amnes [294] Rhenum, [295] Rhodanumque, [296] Padumque,
Cuique fuit rerum promissa potentia [297] Tybrin.
Dissilit omne solum; penetratque in Tartara rimis
Lumen, & [298] infernum terret cum [299] conjuge regem:
Et mare contrahitur; siccæque est campus arenæ,
Quod modò pontus erat; quosque altum texerat æquor,
[300] Exsistunt montes, & sparsas [301] Cycladas augent.
Ima petunt pisces: nec se super æquora curvi
[302] Tollere consuetas audent delphines in [303] auras.
Corpora [304] phocarum summo resupina profundo
[305] Exanimata natant: ipsum quoque [306] Nerea fama est,
Doridaque, & natas, tepidis latuisse sub antris.

272 Melas fluvius est Mygdoniæ, qui oves nigras efficere dicitur: μέλας enim dicitur *niger*. 273 Laconiæ fluvius est juxtà Tænarum promontorium in mare exiens. Est enim *Tænarus* & promontorium, & urbs, & portus Laconiæ. 274 Syriæ fluvius est. 275 Scythiæ fluvius est, juxtà quem Amazones olim habitaverunt. 276 Indiæ fluvius est. 277 Fluvius est Colchorum, undè *Phasiani* sunt dicti. 278 Fluvius est Pannoniæ, qui & *Danubius* dicitur. 279 Fluctuat, agitatur. 280 Fluvius Elidis juxtà Pisam urbem decurrens, qui absorptus à terrâ subter mare in fontem Arethusam apud Syracusas influit. 281 Sperchëi, fluvii Thessaliæ velocissimi. 282 Fluvius Hispaniæ, aureas vehens arenas, quæ tunc incendio liquescebant. Tres autem sunt fluvii aureas vehentes arenas, Pactolus, Hermus, & Tagus. 283 Fluviorum Lydiæ. Nam Lydia à *Mæone* fluvio *Mæonia* fuit appellata. 284 Cantu. 285 Cygni flumina incolentes. 286 Asiæ fluvio. 287 Ægypti fluvius est, cujus origo antiquis ignota. Ideòque & tunc *caput occuluisse*, & *adhuc latere* ait. Sic Tibullus: *Nile pater, quanam possum te dicere causâ, Aut quibus in terris occuluisse caput.* 288 Exitus per quos in mare se exonerat. *Ostia* enim sunt fluviorum exitus, per quos in mare exonerantur. Virg. *Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.* 289 Pulvere plena. 290 Vacua sunt aquâ. 291 Septem Nili ostia valles sine aquâ sunt effecta. 292 Idem infortunium. Q. d. Eadem sorte Hebrus ac Strymon Thraciæ fluvii siccantur. *Ismarios* vocat per Synecdochen ab *Ismaro* Thraciæ monte. 293 Occidentales. 294 Fluvius est Galliam à Germaniâ dividens. 295 Galliæ fluvium. 296 Italiæ fluvium. 297 Latii fluvium, per mediam Romam labentem. 298 Plutonem. 299 Uxore Proserpina. 300 Extant, apparent, ac extrà aquas stant. 301 *Cyclades* insulæ sunt Ægæi maris, in orbem dispositæ. Undè etiam *Cyclades* sunt dictæ, κύκλος enim *circulus* dicitur. Scopuli ergo, qui tùm è mari extabant, Cycladum numerum augebant. 302 Jactare. 303 In aërem, sc. propter calorem, quod naturâ facere consueverunt. 304 Vitulorum marinorum, quòd boum imitentur mugitum. 305 Perturbata, & ferme mortua. 306 *Nereus* Deus marinus.

Ter

Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
[307] Exserere ausus erat; ter non tulit [308] aëris æstus.
[309] Alma tamen [310] Tellus, ut erat circumdata ponto,
Inter aquas pelagi, [311] contractos undique fontes,
Qui se condiderant in opacæ viscera matris:
Sustulit [312] omniferos [313] collo tenus arida vultus:
Opposuitque manum fronti; magnoque tremore
Omnia concutiens paulùm [314] subsedit; & infrà
Quàm solet esse, fuit: siccâque ità voce locuta est.
Si [315] placet hoc, meruique, quid ô tua fulmina cessant,
Summe Deûm? liceat perituræ viribus ignis,
Igne [316] perire [317] tuo; [318] clademque [319] auctore levare.
[320] Vix equidem fauces hæc ipsa in verba [321] resolvo:
(Presserat ora vapor) tostos en aspice crines,
Inque oculis tantùm, tantùm super ora favillæ.
Hosne mihi fructus? hunc fertilitatis honorem,
Officiique refers, quòd adunci vulnera aratri
[322] Rastrorumq; [323] fero, totoque [324] exerceor anno?
Quòd pecori frondes, alimentaque mitia fruges
Humano generi, vobis quod [325] thura ministro?
Sed tamen [326] exitium [327] fac me meruisse: quid [328] undæ,
Quid meruit [329] frater? cur illi tradita sorte
Æquora decrescunt, & àb æthere longiùs absunt?
Quod si nec fratris, nec te mea gratia [330] tangit;
At cœli miserere tui: circumspice utrumque,
[331] Fumat uterque polus; quos si vitiàverit ignis
Atria vestra ruent. [332] Atlas en ipse laborat;
Vixque suis humeris [333] candentem sustinet axem.
Si freta, si terræ pereunt, si regia cœli;
In chaos antiquum confundimur. Eripe flammis
Si quid adhuc superest; [334] & rerum consule summæ.

307 Emittere, extollere ex aquis. 308 Fervores & æstus aëris. 309 Fœcunda, alens, ab *alendo* dicitur: nam terra omnia alit ac nutrit animantia. 310 Dea ipsius esse dicitur terræ: nam terra ipsum est elementum. 311 Ex omni loco congregatos atque coactos: ob nimium enim æstum fontes in ima terræ refugerant, ne penitus exsiccarentur. 312 Omnia ferentes & producentes. 313 Usque ad collum. 314 Terræ motu compressa esse videtur. 315 Telluris sive Terræ querela hæc est ad Jovem, significantis ut, si igne sibi pereundum sit, potiùs suo fulmine, quam incendio illo Phaëthontis, conflagrari permittat: rogantisque eum, ut jam sibi, ne tali casu pereat, velit ignoscere. Siquidem inter alia quæ cunctis animantibus *quotidie* præstat, ipsi etiam thura, quæ in sacrificio adhibentur suo, ministrat. 316 Sc. *mihi*, i. si mihi pereundum sit. 317 Tuo fulmine. 318 Levem facere & extinguere hunc ignem quo omnia comburuntur. 319 Illæ verò calamitates leviùs feruntur, quarum autores magni sunt atque potentes. 320 Cùm difficultate hæc paucula eloqui possum. *Fauces* autem sunt superior pars gulæ mento propinqua. 321 Aperio. 322 Instrumentorum rusticorum, quibus agri coluntur. Est autem objectio ingratitudinis. 323 Patior. 324 Defatigor. 325 Quibus in sacrificiis utimini. 326 Paulò antè *cladem* dixit. 327 Esto, finge, pone. 328 Aquæ, sc. *meruerunt*. 329 Neptunus, cui sorte in mundi divisione maria obtigerunt. 330 Movet. 331 Duobus polis cœlum sustinetur, qui si fuerint combusti, casurum est cœlum. 332 Mons est Mauritaniæ, qui cœlum ideò sustinere fingitur, quòd Atlas, qui in illum montem fertur mutatus, primus omnium astrologica scrutari cœperit: vel etiam propter altitudinem: est enim tam altus, ut cacumen ejus cerni nequeat, nubibusque perpetuis tegitur. 333 Ardentem polum. 334 Vide ne summa rerum pereat, ac genera perdantur.

Dixerat hæc Tellus: neque enim tolerare vaporem
Ulteriùs potuit, nec dicere plura; suumque
335 Rettulit os in se, 336 propioraq; Manibus antra.
At 337 pater omnipotens superos 338 testatus, & 339 ipsum,
Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi; summam petit 340 arduus arcem;
341 Unde solet 342 latis nubes 343 inducere terris;
Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
Sed neque, quas posset terris inducere, nubes,
Tunc habuit: nec, quos cœlo dimitteret, imbres.
344 Intonat, & dextra 345 libratum fulmen ab aure
Misit in 346 aurigam: pariterque, 347 animaque rotisque
348 Expulit, & sævis 349 compescuit ignibus ignes.
350 Consternantur equi: & saltu in contraria facto
Colla jugo excutiunt, abruptaq; lora relinquunt.
Illîc fræna jacent, illîc temone 351 revulsus
Axis; in hac radii fractarum parte rotarum:
Sparsaque sunt latè 352 laceri 353 vestigia currûs.
At Phaëthon, 354 rutilos 355 flamma populante capillos,
356 Volvitur in præceps, longoque per aëra tractu
357 Fertur: ut interdum de cœlo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.
358 Quem procul à patria diverso maximus orbe
Excipit 359 Eridanus, spumantiaque abluit ora.

335 Translatum à serpentibus. 336 Speluncas inferis propriores. Sunt enim *Manes* Dei subterranei, quorum curæ mortuorum animæ antiquitùs credebantur. 337 Jupiter. 338 Cùm in testimonium seu testes vocasset, testes fecisset. Testari enim aliquando idem est, quod testem vocare, adhibere. Virg. *Vos æterni ignes, & non violabile vestrum Testor numen*, ait. *Testari* propriè nihil aliud est, quam testimonium dicere. Accipitur etiam *testari*, pro testamentum condere, i. voluntatem supremam testificari: hinc enim dictum est *testamentum*, quòd voluntatis nostræ veluti testimonium fit. 339 Apollinem. 340 Arduus petit arcem, i. e. petit arcem arduam, vel altam. 341 Ex quâ arce. 342 Immittere nebulas. 343 Latè patentibus. 344 Tonat, tonitrua mittit. 345 Vid. quæ nos infra ad Vers. 626. 346 Phaëthontem, currus Solis rectorem. 347 Vitâ. 348 Exuit. 349 Extinxit. Sic alibi: *Nec quia rex mundi compescuit ignibus ignes, Ipse suis Phaëthon inficiandus erat.* 350 Terrentur. 351 Avulsus, abstractus. 352 Fracti, dissipati. 353 Signa & partes. 354 Flavos. 355 Igne comburente. *Populari* vel *populare* autem est depredari, diripere, spoliare. Vir. *Populantque ingentem farris acervum.* 356 In caput cadit. 357 Agitatur. 358 Phaëthontem. 359 Qui alio nomine Padus dicitur. Italiæ fl. maximus.

Sorores Phaëthontis in arbores. *Fab.* II. III.

ARGUMENTUM.

Sorores Phaëthontis, Phaëthusa, Lampetie, Phœbe, casum fratris dum deflent, Deorum misericordiâ in arbores populos mutatæ sunt: earum lacrymæ, ut Hesiodus & Euripides indicant, in electrum sunt conversæ.

NAides 1 Hesperiæ 2 trifida fumantia flammâ
Corpora dant tumulo, 3 signantque hoc carmine 4 saxum:

1 Italicæ. 2 Fulmine in tres partes fisso. 3 Inscribunt. 4 Sepulchrum.

Hic [5] situs est Phaëthon, currûs auriga paterni;
[6] Quem [7] si [8] non tenuit, magnis tamen [9] excidit ausis.
Nam [10] pater [11] obductos luctu [12] miserabilis [13] ægro
Condiderat vultus: &, si modo credimus, unum
Isse diem sine sole ferunt: incendia lumen
Præbebant; [14] *aliquisque malo fuit usus in illo.*
At [15] Clymene postquam dixit, quæcunque fuerunt
In tantis dicenda malis; [16] lugubris & [17] amens,
Et laniata sinus totum [18] percensuit orbem,
[19] Exanimesque artus primò, [20] mox ossa requirens,
Repperit ossa tamen peregrinâ [21] condita ripâ.
[22] Incubuitque loco: nomenque in marmore lectum
Perfudit lacrymis, & [23] aperto pectore fovit.
Nec minus [24] Heliades fletus, &, inania morti
Munera, dant lacrymas, & [25] cæsæ pectora [26] palmis
Non auditurum miseras Phaëthonta querelas
Nocte dieque vocant; [27] adsternuntur que sepulcro.
[28] Luna quater junctis implêrat cornibus orbem;
[29] Illæ more suo (nam [30] morem fecerat usus)
Plangorem dederant, è quîs Phaëthusa sororum
Maxima, cùm vellet [31] terræ procumbere, questa est
[32] Diriguisse pedes: ad [33] quam conata venire
Candida [34] Lampetie; [35] subita radice retenta est.
[36] Tertia cùm crinem manibus [37] laniare pararet;
Avellit frondes: hæc stipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.
Dumque ea mirantur; complectitur [38] inguina cortex;
Perque gradus uterum, pectusque, humerosque, manusque,
[39] Ambit: & [40] exstabant tantùm ora vocantia matrem.
Quid faciat mater? nisi, quò trahat impetus illam,
Huc eat, atque illuc? &, dum licet, oscula jungat?
Non satis est; [41] truncis [42] avellere corpora [43] tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpere: at [44] inde
Sanguineæ [45] manant, tanquam de vulnere, guttæ,
Parce, precor, mater, quæcunq; est [46] saucia, clamat,
Parce, precor: nostrum laniatur in arbore corpus.

5 Positus, sepultus. Est autem Epitaphium in Phaëthontem. 6 Currum. 7 Quamvis. Ovid. *Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.* 8 Tenere non potuit. 9 Magna tamen aggredi ausus est. 10 Apollo. 11 Tectos, velatos. 12 Miserandus, miseratione dignus. 13 Ab effectu, quòd homines ægros & mœstos reddat. 14 Aliqua utilitas. 15 Mater Phaëthontis. 16 Pullis vestibus, quæ luctui conveniunt, induta. 17 Exanimata, perturbata. 18 Peragravit. 19 Cadaver filii & membra mortua primùm quærens. 20 Deinde. 21 Sepulta. 22 Sepulchro se prostravit. 23 Nudo. 24 Solis filiæ, ἀπὸ τοῦ ἡλίου, à *Sole*, quæ etiam à fratre Phaëthonte *Phaëthontiades* fuerunt appellatæ. Earum nomina sunt, *Phaëthusa, Lampetie*, & *Phœbe*: quæ cùm fratrem per quatuor menses assidue flevissent, tandem Jovis misericordiâ in populos arbores sunt mutatæ. 25 Cædentes & percutientes. 26 Manibus. 27 Stratæ super sepulchro jacent. 28 Quatuor menses transierant. Nam singulis quibusque mensibus Luna repletur. 29 Heliades. 30 Consuetudinem plangendi. 31 Se in terram prosternere. 32 Rigidos & duros esse factos. 33 Phaëthusam. 34 Phaëthusæ soror. 35 Subitò natâ. 36 Phœbe. 37 Lacerare. 38 Ventres. 39 Circumdat. 40 Extra corticem stabant. 41 Truncus est pars arboris crassior, è quâ rami enascuntur. 42 Abstrahere. 43 Conatur. 44 Ex ramis. 45 Defluunt. 46 Vulnerata.

Jam-

Jamque [47] vale: [48] cortex in verba noviſſima venit;
[49] Inde fluunt lacrymæ; ſtillataq; ſole [50] rigeſcunt
De ramis [51] electra novis; quæ [52] lucidus amnis
[53] Excipit, & [54] nuribus mittit geſtanda Latinis.

47 Vox ſalutantis eſt, cum ab aliquo recedimus, quo verbo, & qui recedit, utitur dicens, vale: & qui remanet, reſpondet, tu quoque vale: ſicut ſalve & ave ſalutationes ſunt venientis: quibus vocibus ſimiliter utuntur & qui ſalutant, & qui ſalutati reſalutant. 48 Cortex, os obducens, verba Heliadum ultima occupavit. 49 Ex illis arboribus. 50 Rigida ac dura ſunt. 51 Quæ Latinè ſuccina dicuntur. Eſt autem Electrum gummi ſpecies. 52 Eridanus. 53 Quæ circà Eridanum inveniuntur. 54 Italis mulieribus.

Cycnus. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Cycnus Sthenelei filius, materno genere Phaëthonti proximus, cùm Liguriam incoleret, & in ripa Eridani amnis, quem quidam Padum vocant, vidiſſet corpus Phaëthontis à ſororibus ejus ablui; pari calamitate concuſſus deflendo propinqui interitum, Deorum voluntate in volucrem cycnum abiit, qui peroſus cæleſtes ignes, paludes, ac flumina, quibus inſeneſceret, eſt ſecutus.

[1] AD fuit [2] huic monſtro proles Stheneleïa Cycnus,
Qui tibi materno quamvis à ſanguine junctus,
Mente tamen, Phaëthon, propior fuit. [3] Ille relicto
(Nam [4] Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)
Imperio ripas virides amnemque querelis
Eridanum implêrat, ſylvamque ſororibus auctam:
Cùm vox eſt [5] tenuata viro: [6] canæque capillos
Diſſimulant plumæ; collumq; à pectore longùm
[7] Porrigitur, digitoſque ligat [8] junctura rubentes:
Penna latus veſtit, [9] tenet os ſine acumine roſtrum;
Fit nova Cycnus avis; [10] nec ſe cœloque Jovique
Credit, ut injuſtè [11] miſſi memor ignis ab [12] illo;
Stagna petit, [13] patuloſque lacus; ignemque [14] peroſus;
Quæ colat, elegit contraria [15] flumina flammis.
[16] Squalidus interea genitor Phaëthontis, & [17] expers

1 Interfuit. 2 Quo Heliades in populos arbores, ipſarum autem lachrymæ in electra fuerunt mutatæ. 3 Cygnus. 4 Cygnus enim erat rex Liguriæ. *Liguria* Italiæ regio eſt inter amnes Varum & Macram ſita, Thuſciæ contermina, cujus caput Genua eſt. Illius incolæ *Ligures* appellantur. 5 Tenuis ac gracilis facta. 6 Et capilli cani in plumas itidem canas fuerunt mutati. 7 Prolongatur. 8 Copulatio: nam cygnorum digiti & rubent, & quadam cartilagine junguntur. 9 Os in roſtrum obtuſum ac ſine ullo acumine fuit mutatum. 10 Nec ſe aëri ætherive committit. Hoc autem idcircò fingitur, quia cygni nunquam altiùs volant. 11 Jacti fulminis. 12 Jove. 13 Latè patentes. 14 Odio habens: Paſſivè etiam ſumitur, & ſignificat eum qui odio habetur. 15 Ita in 1. *Cumque ſit ignis aquæ pugnax.* 16 Mœrorem deſcribit Phœbi, quem ex Phaëthontis filii morte conceperat. 17 Sine parte ſui ſplendoris & ornatus, eoque privatus & carens *Expers* enim dicitur, quod eſt ſine parte, carens ſeu vacuus. Sic *expers doloris* dicitur, qui non ſentit dolorem.

Ipse sui decoris: [18] qualis, cùm deficit orbem,
Esse solet; lucemque odit, seque ipse, diemque;
[19] Datque animum in luctus; & [20] luctibus adjicit iram;
Officiumque negat mundo. [21] Satis, inquit, ab ævi
Sors mea principiis fuit irrequieta, pigetque
Actorum sine fine mihi, sine honore, laborum.
Quilibet alter [22] agat portantes lumina currus:
Si nemo est, omnesque dei non posse fatentur;
[23] Ipse agat; ut saltem, dum nostras [24] tentat habenas,
[25] Orbatura patres aliquando fulmina [26] ponat.
[27] Tunc sciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruisse necem, qui non bene rexerit illos.
Talia dicentem circumstant omnia Solem
Numina; neve velit tenebras inducere rebus
Supplice voce rogant: [28] missos quoque Juppiter ignes
Excusat, precibusque minas [29] regaliter addit.
[Colligit amentes; & adhuc terrore paventes,
Phœbus equos: stimuloque domans, & [30] verbere [31] sævit:
Sævit enim, natumque objectat, & imputat illis.]

18 Tunce enim obscurus esse videtur, cùm lumen illius terris aufertur, ut cùm occidit, aut Eclipsin patitur. 19 Luget. 20 Lugendo ira exardescit. 21 Ordo est: *Sors mea fuit satis irrequieta à principiis ævi*, i. Simul ac natus fui, *vita & conditio mea nunquàm quievit & tranquilla fuit*. 22 Ducat. 23 Jupiter, qui tam potens terribilisque est. 24 Tenet, retinet. Est enim à *teneo* derivatum. 25 Filiis privatura. *Orbare* enim est aliquâ re charâ (ut sunt filii atque oculi) privare. Undè *orbi* dicuntur, qui oculis filiisve aut parentibus privati sunt. 26 Deponat. 27 Ordo & sensus est: Tunc Jupiter expertus vires ignipedum & velocium equorum, sciet eum, qui non rexerit benè illos, non meruisse mortem. 28 Missa fulmina in Phaëthontem. 29 Imperiosè, ac eo jure quod habent reges. 30 Flagello & scuticâ. 31 Furit, ac sævitiam in equos, nihil mali meritos, exercet. Hi tres versus Heinsio sunt suspecti.

Calisto in Ursam, & Arcas in Arctophylaca. *Fab.* V, & VI.

ARGUMENTUM.

Jupiter cùm reliquias torrentis ignis persequeretur, ut laborantibus opem ferret mortalibus, cùm circa Nonacrinum montem Arcadiæ, ubi genitus existimatur, vagaretur; in Callistûs Lycaonis filiæ incidit amorem: cui cùm preces ut desiderium expleret admovisset, frustratasque voces suas intellexisset; astu eam subiit: in Dianæ namque sexum se trajecit, ac fatigatæ, ornatus pharetrâ sagittisque, velut Diana, occurrit; ac veste pariter posita Jovem virgo experta est. Neque ideo à Junone immerenti delictum remissum est: nam confestim pellicatu ejus incensa, ne amplius pulchritudine conjugem caperet, in ursam eam transfiguravit. Quæ à Jove cum Arcade filio, quem erat enixa, inter sidera collocatur. A

Græcis autem Helice, à noſtris Septentrio nuncupater : & à Tethy & Oceano ob Junonis iram inter cætera ſidera liquore non tingitur, ut Heſiodus indicat. Hinc illud : Sed lucet in aſtris Calliſto, renovatque ſuos ſine fluctibus ignes. *Ipſe autem Arcas in cœlum tranſlatus, Arctophylax dicitur.*

AT [1] pater omnipotens ingentia mœnia cœli
[2] Circuit ; &, ne quid [3] labefactum viribus ignis
[4] Corruat, [5] explorat : quæ poſtquam firma, ſuique
Roboris eſſe videt : terras, hominumq; labores
Perſpicit. Arcadiæ tamen eſt [6] impenſior illi
Cura [7] ſuæ. Fonteſque, & nondum audentia labi
Flumina [8] reſtituit ; dat terræ gramina, frondes
Arboribus, lætaſque jubet revireſcere ſylvas.
Dum redit, itque [9] frequens ; in [10] virgine Nonacrinâ
[11] Hæſit ; & [12] accepti [13] caluere ſub oſſibus ignes.
Non erat [14] hujus opus lanam [15] mollire trahendo ;
Nec poſitas [16] variare comas : ubi [17] fibula veſtem,
[18] Vitta [19] coërcuerat [20] neglectos alba capillos,
Et modò leve manu [21] jaculum, modò ſumpſerat arcum.
Miles erat [22] Phœbes : nec Mænalon attigit ulla
Gratior [23] hâc [24] Triviæ. Sed *nulla potentia longa eſt.*
[25] Ulterius medio ſpatium Sol altus habebat ;
Cùm [26] ſubit [27] illa nemus, [28] quod [29] nulla cecîderat ætas.

1 Jupiter. 2 Circumit. 3 Ruptum, fractum. 4 Concidat, ſimul ruat. 5 Diligenter inquirit. Undè *exploratores* dicti, qui hoſtium conſilia ſcrutantur. 6 Major. 7 A ſe amatæ : ſive propter Majam, quæ in Cyllene, Arcadiæ monte, Mercurium peperit ; ſive quòd Arcades non minùs, quam Cretenſes, apud ſe natum eſſe Jovem contendùnt. 8 In ſtatum priſtinum reducit. Juſtin. Hunc regno à patre privatum filius *reſtituerat.* Aliquando *reſtituere* eſt reddere. Ter. Ut ſuis *reſtituam.* 9 Sæpiùs. 10 Calliſtone, Lycaonis & Nonacridis filia : quam cùm vidiſſet Jupiter, ita excellenti ejus pulchritudine captus eſt, ut, cùm blanditiis eâ potiri non poſſet, ſe finxerit eſſe Dianam, cujus Calliſto fidiſſima comes erat. Hac igitur arte compreſſa à Jove cùm Arcadem peperiſſet, in urſam à Junone, ne iterum Jovi placeret, mutata eſt. Eam verò cùm filius Arcas, jam adultus, in venatione ferire vellet, miſeratione Jovis ambo in ſydera fuerunt tranſlati, ac juxtà polum, qui ab ipſis Arcticus fuit cognominatus, collocati. Quod cùm Juno animadvertiſſet, Tethym nutricem rogavit, ne unquam permitteret eos in mare deſcendere. Ideoque Septentriones nunquam occidere dicuntur. Nonacris eſt etiam mons Arcadiæ. 11 Fixus eſt. 12 Amores concepti. *Ignis* enim frequenter pro amore ponitur à Poëtis : ut enim ligna comburuntur igne, ſic juvenum corda amore dicuntur ardêre. 13 Inflammati ſunt. 14 Calliſtonis. 15 Filare ac ſubigere lanam. 16 Variis coloribus ornare : quod laſcivæ virgines maxime facere ſolent. 17 A *figo.* 18 Ligamentum capitis, i. faſcia, qua circùm caput veteres, vel crines, vel ſerta, aut flores, aut quidvis aliud religabant. 19 Conſtrinxerat. 20 Impexos, inornatos crines. 21 Telum. 22 Dianæ, quæ eadem cum Lunâ eſſe putatur. 23 Calliſtone. 24 Dianæ : quòd in *triviis* coli conſueverit, vel à triplici curſu ſub Zodiaco. 25 Meridies jam Prætertlapſus erat, aut major diei pars præterierat. 26 Ingreditur. 27 Calliſto. 28 Cujus nemoris arbores nullo unquam tempore fuerant cæſæ. Sic 12. Metam. *Sylva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas.* 29 Nullius ætatis homines. Continens pro contento.

[30] Exuit [31] hîc humero pharetram, [32] lentosque [33] retendit
Arcus; inque [34] solo, quod texerat herba, jacebat:
Et pictam posita pharetram cervice premebat.
Juppiter [35] ut vidit [36] fessam, & custode vacantem:
Hoc certè [37] conjux [38] furtum mea nesciet, inquit:
Aut si rescierit, [39] sunt ô, sunt jurgia tanti!
[40] Protinus induitur faciem [41] cultumque Dianæ:
Atque ait, O comitum virgo pars una mearum,
In quibus es venata [42] jugis? De [43] cespite [44] virgo
Se [45] levat; &, salve numen, me judice, dixit,
Audiat [46] ipse [47] licèt, majus Jove: ridet, & audit;
Et sibi [48] præferri se gaudet: & oscula jungit:
Nec moderata satis, nec sic à virgine danda.
Qua venata foret sylva narrare parantem
[49] Impedit amplexu: nec se sine crimine [50] prodit.
[51] Illa quidem contrà, quantum modò fœmina posset,
(Aspiceres utinam, [52] Saturnia, mitior esses!)
Illa quidem [53] pugnat: sed quæ superare puella,
Quisve Jovem poterat? Superum petit æthera victor
Juppiter: [54] huic odio nemus est, & [55] conscia sylva.
[56] Undè, pedem [57] referens, pænè est oblita pharetram
Tollere cum telis, & quem suspenderat, arcum.
[58] Ecce, suo comitata choro Dictynna per altum
Mænalon ingrediens, & cæde superba ferarum,
Aspicit [59] hanc, visamque vocat: clamata refugit;
Et timuit primò, [60] ne Juppiter esset in illâ.
[61] Sed postquam pariter Nymphas [61] incedere vidit:
Sensit abesse dolos: numerumque accessit ad [62] harum.
Heu quàm difficile est, crimen non [63] prodere vultu!
Vix oculos [64] attollit humo: nec, ut antè solebat,
Juncta [65] Deæ lateri, nec toto est agmine prima:
Sed silet, & læsi dat signa rubore [66] pudoris.
Et (nisi quòd virgo est) poterat sentire Diana
[67] Mille notis culpam: Nymphæ sensisse feruntur.
[68] Orbe resurgebant lunaria cornua nono:

30 Callisto deposuit. 31 In hoc nemore. 32 Flexibiles. Virg. *Lenta salix.* 33 Remisit, relaxavit: arcus enim, nisi retendantur, molles efficiuntur. Ubi obiter notandum est, præpositionem (*Re*) sæpè verbi significationem, cum quo componitur, contrariam facere; ut, *Retego*, i. quod tectum erat denudo; *Resero*, quòd serâ clausum erat, aperio; *Recludo*, clausum patefacio: *Revelo* velamentum tollo; *Resigno*, signatum aperio; *Retexo*, quod textum erat dissolvo, & alia hujusmodi. 34 Terrâ. 35 Postquam. 36 Lassam & defatigatam. 37 Stuprum. *Furta* enim etiam stupra dicuntur, quòd *furtim* committantur. 38 Juno. 39 Q. d. Jurgia nequaquam tanti sunt æstimanda, ut me voluptate hujus potiendæ virginis privem. 40 Statim. Jovis transmutationem in Dianam obiter exponit Poëta. 41 Habitum, ornatum. 42 Montibus. 43 De terrâ. *Cespes* autem terra est cum propria herba avulsa. 44 Callisto. 45 Surgit. 46 Jupiter. 47 Quamvis. 48 Præponi. pluris æstimari. 49 Implicat amplectendo. 50 Manifestat. 51 Callisto. 52 Juno, Saturni filia. 53 Repugnat. 54 Callistoni. 55 Stupri ab Jove illati. 56 Ex illa sylva. 57 Discedens. 58 Hæc particula subitum aliquid significat. 59 Callistonem. 60 Ne Jupiter lateret sub formâ Dianæ. 61 Cum gravitate quadam & veluti fastu ambulare. 62 Nympharum. 63 Detegere, manifestare. *Prodi* autem propriè arcana dicuntur. 64 Elevat, erigit. 65 Dianæ. 66 Pudicitiæ violatæ. 67 Plurimis. Numerus finitus pro infinito. 68 Mense nono. Luna enim singulis mensibus suum reparat orbem.

Cùm [69]Dea [70] venatrix [71] fraternis [72] languida flammis,
Nacta nemus [73] gelidum: de quo cum murmure labens
Ibat, & [74] attritas [75] versabat rivus arenas.
[76] Ut loca laudavit: summas pede contigit undas;
His quoque laudatis: Procul est, ait, [77] arbiter omnis:
Nuda superfusis [78] tingamus corpora [79] lymphis.
Parrhasis erubuit: [80] cunctæ velamina ponunt:
[81] Una moras quærit: [82] dubitanti vestis [83] ademta est:
[84] Qua [85] posita nudo patuit cum corpore crimen.
[86] Attonitæ, manibusque [87] uterum celare volenti,
I procul hinc, [88] dixit, nec sacros [89] pollue [90] fontes,
Cynthia: deque suo jussit [91] secedere [92] cœtu.
Senserat [93] hoc olim magni matrona Tonantis:
Distuleratque graves in idonea tempora pœnas:
Causa moræ nulla est: & jam puer Arcas ([94] id ipsum
Indoluit Juno) fuerat de [95] pellice natus.
[96] Quò [97] simul obvertit sævam cum lumine mentem;
[98] Scilicet hoc unum restabat adultera, dixit,
Ut [99] fœcunda fores: fieretque injuria partu
Nota: Jovisque mei [100] testatum dedecus esset.
[101] Haud impunè feres: adimam tibi nempe figuram;
Quâ tibi, quâq; places nostro, [102] importuna, marito.
[103] Dixit: & arreptis adversâ fronte capillis
[104] Stravit humi pronam. [105] Tendebat brachia [106] supplex:
Brachia cœperunt nigris [107] horrescere [108] villis,
Curvarique manus, & [109] aduncos crescere in ungues,
Officioque pedum fungi: laudataque [110] quondam

69 Diana. 70 Propter venationem. 71 Nimio Solis, fratris sui, calore. Nam Diana (ut diximus) eadem est cum Lunâ, quæ Solis soror esse dicitur. 72 Defessa & debilis effecta. 73 Frigidum. 74 Ob assiduum fluxum. 75 Volvebat. 76 Postquam Diana laudavit loca, quòd pulchra essent & amœna, aquas pedibus tetigit. 77 Testis nemo adest. 78 Madefaciamus, lavemus. 79 Aquis. Ut, *Hausit de gurgite lymphas.* 80 Omnes Nymphæ deponunt vestes suas. 81 Sola Callisto vestem deponere non curat. 82 Moranti Callistoni. 83 Vi detracta ab aliis Dianæ comitibus. 84 Veste. 85 Depositâ. 86 Perculsæ Callistoni. 87 Ventris tumorem. 88 Diana.

89 Contamina. 90 Veteres enim omnes aquas putabant esse sacras. Hæc eadem sententia legitur in principio 2. Fast. *Inter Hamadryadas*, usque ad *ne lavet Arcton aquis.* 91 Seorsum abire, & recedere. *Secedere* enim est seorsum ab hominum frequentia recedere. Hinc *secessus* derivatur, i. recessus in locum secretiorem. 92 Consortio, conventu. 93 Quòd Callisto à *Jove* esset vitiata. 94 Propter id ipsum indignata est Juno, sc. quòd Callisto puerum peperisset. 95 Callistone, concubina Jovis. Postquam Juno convertit & oculos & animum in Arcadem, è Callistone natum, excandescere verbis cœpit. 94 In quem puerum Arcadem. 97 Postquam. 98 Hæc vox affectui servit & indignationi. Ferè autem Juno indignata loqui fingitur à Poëtis. 99 Conciperes. *Fœcundæ* enim *mulieres* dicuntur, quæ concipiunt. 100 Tanquam testimonio approbatum. 101 Non abibis impunita. 102 Parùm decora, impertinens. *Importunus* is dicitur, qui neque loci, neque temporis, neque personæ habet rationem, molestus. 103 Juno. 104 Prostravit, projecit in terram. 105 Extendebat. 106 Humiliter orans. 107 Horrida & aspera fieri. 108 Pilis. *Villus* autem est multorum pilorum collectio, quales sunt in jubis leonum & luporum. 109 Curvos. 110 Antehac.

Ora [111] Jovi, [112] lato fieri deformia rictu.
Neve preces animos, & verba superflua flectant;
[113] Posse loqui eripitur: vox iracunda, minaxque,
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.
[114] Mens antiqua tamen facta quoq; mansit in ursâ:
Assiduoque suos gemitu testata dolores,
Qualescunque [115] manus ad cœlum & sidera [116] tollit;
Ingratumque Jovem, nequeat cùm dicere, sentit.
Ah quoties, [117] solâ non ausa quiescere sylvâ,
Ante domum, quandamque suis erravit in agris!
Ah! quoties per [118] saxa canum latratibus [119] acta est!
[120] Venatrixque metu venantum territa fugit!
Sæpe feris latuit visis; oblita [121] quid esset:
Ursaque conspectos in montibus [122] horruit ursos:
Pertimuitque lupos, quamvis [123] pater esset in [124] illis.
[125] Ecce Lycaoniæ proles [126] ignara [127] parenti
[128] Arcas adest, ter [129] quinque fere natalibus actis:
Dumque feras [130] sequitur; dum [131] saltus eligit [132] aptos,
Nexilibusque [133] plagis sylvas [134] Erymanthidas [135] ambit;
[136] Incidit in [137] matrem, quæ [138] restitit Arcade viso;
[139] Et cognoscenti similis fuit. [140] Ille [141] refugit:
Immotosque oculos in se sine fine tenentem
[142] Nescius extimuit: propiusque accedere [143] aventi
[144] Vulnifico fuerat fixurus pectora telo:
[145] Arcuit [146] omnipotens; [147] pariterque [148] ipsosque, [149] nefasque
Sustulit; & celeri raptos per [150] inania vento
Imposuit cœlo, [151] vicinaque sidera fecit.
[152] Intumuit Juno, postquam inter sidera pellex

111 A Jove. 112 Amplo oris foramine & spatio. 113 Facultas loquendi. 114 Pristinus animus. 115 Nam ursi prioribus pedibus manuum vice funguntur, eosque erigunt. 116 Attollit. 117 Desertâ, & ab hominibus non habitata. 118 Montes. 119 Agitata, impulsa. 120 Quæ priùs venatrix fuerat. 121 Se esse ursam. 122 Cum quodam horrore timuit. 123 Lycaon, pater Callistonis. 124 Inter illos lupos: Lycaon enim in lupum mutatus fuit, ut vidimus lib. 1. 125 Subjungit Poëta alteram Callistûs & Arcados fabulam, & more comico, quod post annos quindecim factum est, quasi recens subsecutum priori annectit, quò facilius ad cæteras fabulas pergere posit. 126 Nesciens eam in ursam mutatam esse. 127 Matris Callistonis, Lycaonis filiæ. 128 Filius Jovis ex Callistone. 129 Annos quindecim natus. 130 Persequitur. 131 Sylvas. Saltus enim à *saliendo*, i. saltando derivatur, quòd feræ, in illo *saltus* faciant. Unde *saltvarii* dicuntur saltuum & agrorum custodes. 132 Venationi idoneos. 133 Retibus connexis. Multis enim nodis retia nectuntur. *Plagæ* autem, prima brevi, retia dicuntur rariora ad capiendas feras: *Plagæ* item in cœli terræve divisione dicuntur spatia & tractus. 134 Montis Erymanthi, qui est in Arcadiâ. 135 Circumdat, circuit. 136 Casu incurrit. Sæpiùs enim *incido* sumitur pro casu incurro, aut de improviso labor: ut, *incidi* in latrones. Cic. *Incidi in errorem.* 137 Callistonem in ursam mutatam. 138 Mansit stare, ut ipsum exspectaret. 139 Et videbatur Arcadem, filium suum, cognoscere. 140 Arcas. 141 Aufugit. 142 Ignarus esse matrem 143 Volenti, cupienti. 144 Vulnus inferenti jaculo. 145 Vetuit, prohibuit, sc. ne Arcas telum dirigeret in matrem. 146 Jupiter. 147 Simul. 148 In altum tulit Callistonem & Arcadem. 149 Et abstulit removitque parricidium, quod Arcas ignatus perpetrasset, ni Jupiter prohibuisset. Et sic duo diversa unico verbo isto *Sustulit* significantur. 150 Per aërem, qui *inane* quoque dicitur, quòd vacuus esse videatur. 151 Major enim Ursa & Arctophylax vicina sunt, ac propinqua sydera. 152 Indignata est,

Fulſit; & ad canam deſcendit in æquora [153] Tethyn,
[154] Oceanumque ſenem: quorum reverentia movit
Sæpe Deos: cauſamque viæ [155] ſcitantibus, infit,
Quæritis æthereis quare [156] regina Deorum
Sedibus hûc adſim? [157] Pro me [158] tenet altera cœlum.
Mentiar, obſcurum niſi nox cùm fecerit orbem,
Nuper honoratas ſummo [159] mea vulnera cœlo
Videritis ſtellas illîc, ubi [160] circulus axem
Ultimus extremum ſpatioque breviſſimus ambit.
Eſt [161] verò, cur quis Junonem lædere nolit,
Offenſamque [162] tremat, quæ proſim ſola nocendo?
En [163] ego quantum egi! quàm vaſta potentia noſtra eſt!
Eſſe hominem vetui; facta eſt Dea: ſic ego pœnas
[164] Sontibus impono; ſic eſt mea magna poteſtas.
[165] Vindicet antiquam faciem, vultuſque ferinos
Detrahat; Argolica [166] quod in antè Phoronide fecit.
[167] Cur non [168] & pulsâ [169] ducat Junone, meoque
Collocet in thalamo, ſocerumque Lycaona ſumat?
At vos ſi [170] læſæ [171] contemtus tangit [172] alumnæ,
[173] Gurgite cœruleo ſeptem [174] prohibete [175] Triones;
Sideraque in cœlo ſtupri mercede recepta
[176] Pellite: nè [177] puro tingatur in æquore pellex.

153 *Tethys* Cœli & Veſtæ filia fuiſſe dicitur, uxor Oceani, ac Junonis nutrix, multorumque Deorum mater. 154 Maritum Tethyos. 155 Inquirentibus. 156 Ego Juno. 157 Loco mei. 158 Occupat, poſſidet. 159 Meos dolores & cruciatus. 160 Ad Polum Septentrionalem, ubi eſt ultimus ac breviſſimus circulus. Arcticus enim & Antarcticus circuli & ultimi ſunt, & aliorum breviſſimi. 161 Ironia indignationis plena. 162 Timeat me læſam. 163 Ironicè hæc dicuntur à Junone. Q. d. Parùm, ac potiùs nihil. 164 Nocentibus, pellicibuſque meis. 165 Revocet & Jupiter Calliſtonem in humanam faciem potiùs, quam inter ſydera conſtituatur. *Vindicare* autem hic idem eſt quod aſſerere, revocare. Sic dicimus *vindicare* aliquem in libertatem. *Vindico* propriè ſignificat ulciſcor, punio, caſtigo. Ovid. *Quique necem Craſſi vindicat, ultor erit.* Hinc *vindicta* dicitur: quoties injuriam, contumeliamve illatam punimus: & etiam *vindex* ultor injuriæ. *Vindico* verò compoſitum eſt ex *vis* & *dico*: qui enim ulciſcitur *injuriam*, *vim* ſibi factam dicit. Aliquando eſt, ab *injuria*, contumeliave defendo, & libero. Cic. Eſt & ſenectus naturâ loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar *vindicare*, i. defendere, liberare. Item attribuere, appropriare. Cic. Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum *vindicant*. 166 Ordo eſt: *Quod antè in Phoronide*, i. in Iò, Phoronei nepte, *fecit*: illa enim, cùm in vaccam Junonis metu fuiſſet mutata, humanæ formæ tandem à Jove fuit reſtituta. 167 Pulchra Ironia, quâ id concedere videmur, quod maximè nolumus. Sic Dido apud Virg. 4. Æn. I, *ſequere Italiam ventis, pete regna per undas.* 168 Ejecta, repudiatâ 169 Eam uxorem. 170 Offenſæ. 171 Commovit 172 Mei, quæ à Tethy ſui educata. *Alumnus* autem eſt filius, vel diſcipulus, qui ab aliquo, velut à patre, alitur, vel inſtruitur. 173 A mari profundo, cœli puri colorem imitante. *Cæruleus* enim eſt, quod cœli puri colorem imitatur. 174 Arcere. 175 Majorem Urſam cum Arctophylace, vel cum Minore. 176 Expellite. 177 Ne Calliſto, pellex & concubina Jovis, in purum mare deſcendens, illud contaminet.

Corvus

Corvus. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Corvus volucris initio naturæ candidis pennis vestiebatur: sed quia Coronida Coronei filiam indicaverat Apollini in adulterio morari, illa propter acerbissimum judicium flagrantis dei sagittis confixa, niger ex candido factus est. Ex hac ergo & Apolline nascitur Æsculapius: quem pater excisum utero matris, cùm ea rogo esset imposita, abstulit. Is ad Chirona à patre in Pelion montem delatus est, ut ab eo incrementum, simulque scientiam acciperet medendi.

Dii [1] maris [2] annuerant: agili [3] Saturnia curru
[4] Ingreditur [5] liquidum [6] pavonibus aëra pictis:
Tam nuper pictis [7] cæso pavonibus Argo;
[8] Quàm tu nuper eras, cùm candidus antè fuisses,
[9] Corve loquax, subitò nigrantes versus in alas.
Nam fuit [10] hæc quondam [11] niveis [12] argentea pennis
Ales, ut [13] æquaret totas sine [14] labe columbas:
Nec [15] servaturis vigili Capitolia voce
Cederat anseribus, nec amanti flumina Cycno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc est [16] contrarius albo:
Pulchrior in tota, quàm Larissæa Coronis,
Non fuit [17] Hæmonia. [18] Placuit tibi, Delphice, certè,
Dum vel casta fuit, vel [19] inobservata: sed [20] ales
Sensit [21] adulterium Phœbëius; utque latentem
Detegeret culpam non [22] exorabilis [23] index,

1 Oceanus & Tethys. 2 Nutu promiserant se prohibituros, ne Septentriones in mare descendant. Quod ideò fingitur à Poëtis, quod hæ stellæ propter elevationem poli suprà horizontem, neque Græcis, neque nobis occidere, i. sub horizontem descendere videntur. 3 Juno Saturni filia. 4 Intrat. 5 Tenuem ac purum. 6 Variis coloribus distinctis. Currus autem Junonis à pavonibus trahi dicitur. 7 Interfecto Argo, cujus oculi caudæ pavonis à Junone fuerunt appositi, ut narravit lib. 1. 8 Corvus initio quidem fuit candidus, sed cùm ejus indicio Apollo cognovisset, Coronida amicam cum alio quodam juvene rem habere, eamque sagittis interfecisset, puerumque Æsculapium exciso utero extraxisset, pœnitentiâ ductus, corvum indicem, sibi aliquid præmii sperantem, ex albo nigrum effecit. 9 Apostrophe ad corvum, quâ significat Poëta, illum suæ loquacitatis meritò pœnas dedisse. 10 Hic corvus. 11 Albis, ut est nix. 12 Alba: ut est argentum. 13 Similis essent columbis. 14 Maculâ. 15 His verbis indicat Poëta Corvum nigrum effectum esse, antequam Roma à Gallis Senonibus obsidione cingeretur. Tunc enim cognita est mira anserum sagacitas. De qua sic Lucret. *Et humanum longe præsentit odorem Romulidarum arcis servator candidus Anser.* 16 Niger, qui color albo est contrarius. 17 Thessaliâ. 18 Apostrophe ad Apollinem, qui *Delphicus* dictus est à *Delphis*, ubi colebatur & oracula edebat. 19 Incustodita. 20 Corvus ab Apolline Coronidi custos adhibitus. 21 Coronidis. 22 Qui nullis præcibus potuit flecti, ne id, quod viderat, indicaret. 23 Indicator, detector, sc. corvus. *Index* enim dicitur, qui rem secretam sibi notam enunciat & detegit, quique indicium facit: *indicium* verò est ipsa detectio. Est prætereà *Index* in libris, quo eorum indicantur argumenta. *Index* etiam dicitur digitus pollici proximus, quia in re quapiam indicanda eo uti solemus. Lapis quoque, quo auri bonitatem exploramus, à Latinis *Index* appellatur.

Ad

Ad [24] dominum [25] tendebat iter; [26] quem [27] garrula motis
Consequitur pennis, [28] scitetur ut omnia, cornix:
Auditâque viæ causâ, Non utile carpis,
Inquit, iter; nè spernè meæ [29] præsagia linguæ.

24 Apollinem. 25 Ibat. 26 Corvum. 27 Loquax. Cornicem Poëta inducit ipsum corvum admonentem, ut taceat, ac quid sibi evenerit, quia linguam compescere nequivit, narrantem. Coronis enim filia fuit Coronei regis, quæ à Neptuno adamata, ne violaretur, ope Palladis in cornicem fuit mutata, ac Palladis ipsius comes effecta. Cæterùm cùm Palladi nunciasset, Cecropis filias cistam, in quâ Erichthonium, ex semine Vulcani natum, ipsa Pallas clauserat, contra Deæ mandatum aperuisse, à comitatu Minervæ fuit repulsa. 28 Roget ut sciat. 29 Prædictiones.

Coronis. *Fab.* VIII.

ARGUMENTUM.

Coronis Coronei filia refert Corvo, ne indicium Apollini faceret. Cùm enim Minerva Erichthonium, qui de complexu sui in terra ceciderat, sustulisset, & comitibus suis Pandroso & Hersæ, Aglauroque Cecropis filiabus cistulâ inclusum custodiendum tradidisset, monuissetque omnino id ne inspicerent: Cornix supradicta, nobilissima virginum, custodiens laxatam & inspectam cistulam, cùm draconem reperissent, divulgavit: quamobrem dea eam à se alienavit. Quæ cum solitudine in littore oblectaretur, Neptunus procul conspecta, venere ejus incaluit; cui cum vim inferret, ab eadem dea propter virginitatem tenaciter custoditam in avem cornicem conversa est.

QUid [1] fuerim, quid [2] simque, vide, meritumque require;
Invenies nocuisse fidem. Nam tempore quodam
Pallas Erichthonium, prolem sine [3] matre creatam,
Clauserat [4] Actæo textâ de vimine cistâ:
Virginibusq; [5] tribus [6] gemino de Cecrope [7] natis
[8] Hanc legem [9] dederat, [10] sua nè secreta viderent.
[11] Abdita fronde levi densa [12] speculabar ab ulmo,

1 Comes enim fui Minervæ. 2 Nunc à comitatu Minervæ repulsa contemnor. 3 Nam ex solo Vulcani semine, quod in terram ceciderat, natus est Erichthonius. 4 Attico vimine. *Vimen* est omne virgultum lentum & flexile, ad ligandum aptum, quasi *vincimen*. 5 Pandroso, Hersæ, & Aglauro, Palladis comitibus. 6 Biformi, quòd ex parte homo, ex parte serpens fuisse vulgatus est. 7 Filiabus Cecropis. 8 Ex auctoritate veterum codicum versum hunc, *Servandum dederat, sed inconfessa quid esset*, delevit *Heinsius*: in vulgaribus editionibus semper legitur. 9 Mandaverat, sc. Pallas. 10 Palladis. 11 Abscondita. 12 Observabam *Speculari* enim ex edito & alio loco observare, & veluti è specula prospicere: à quo *speculatores* dicti, qui vel è speculis aspiciunt, vel in bello antè exercitum explorandi gratia mittuntur. *Specula* autem est locus editus & eminens, undè aliquid eminùs videri & prospici potest.

Quid

Quid facerent. [13] Commissa duæ sine fraude [14] tuentur,
Pandrosos atque Herse; timidas vocat [15] una sorores
Aglauros, nodosque manu [16] diducit, at intus
[17] Infantemque vident, [18] apporrectumq; draconem.
[19] Acta [20] deæ [21] refero; pro quo mihi [22] gratia talis
Redditur, ut dicar [23] tutelâ [24] pulsa Minervæ:
Et [25] ponar post noctis avem. Mea pœna [26] volucres
Admonuisse potest; nè [27] voce pericula quærant:
At [28] puto non ultro nec quicquam talè rogantem
Me petiit: ipsa liceta hoc Pallade quæras:
Quam vis irata est: non hoc irata negabit.
Nam me [29] Phocaïca [30] clarus tellure Coroneus
(Nota loquor) genuit: fueramque ego regia [31] virgo;
Divitibusque [32] procis (nè me contemne) [33] petebar.
[34] Forma mihi nocuit; nam dùm per littora lentis
Passibus, [35] ut soleo, summa [36] spatiarer arenâ,
Vidit, & [37] incaluit pelagi [38] Deus; [39] utque precando
Tempora cum blandis [40] absumsit inania verbis;
Vim parat, & sequitur: fugio, [41] densumque relinquo
Littus, & in molli nequicquam [42] lassor arenâ.
Indè Deos, hominesque voco: nec [43] contigit ullum
Vox mea [44] mortalem: mota est pro [45] virgine [46] virgo,
Auxiliumq; tulit. [47] Tendebam brachia [48] cœlo:
Brachia cæperunt levibus [49] nigrescere pennis.
[50] Rejicere ex humeris vestem [51] molibar: at [52] illa
Pluma erat; inque cutem radices egerat imas.
[53] Plangere nuda meis conabar pectora [54] palmis;
Sed neque jam palmas, nec pectora nuda gerebam.
Currebam; nec, ut antè, pedes [55] retinebat arena:
Et summa [56] tollebar humo. Mox [57] acta per auras
Evehor, & data [58] sum comes [59] inculpata Minervæ.

13 Cistam, quæ sibi concredita erat. 14 Defendunt, custodiunt.
15 Sola.
16 Dissolvit, separat.
17 Erichthonium.
18 Appositum draconem sibi videre visæ sunt, quia Erichthonius serpentinos habebat pedes.
19 Gesta à Ceeropis filiabus.
20 Palladi sive Minervæ.
21 Narro, nuncio. 22 Gratitudo.
23 Protectione.
24 Expulsa, ejecta.
25 Postponar noctuæ, quæ solùm noctu volat.
26 Aves.
27 Loquacitate, lingua.
28 Occurrit tacitæ objectioni cornix. Posset enim objici, idcircò fuisti repulsa, quia Minervæ nunquam fuisti grata. Respondet igitur se ita Minervæ placuisse, ut spontè fuerit ab ipsa comes petita.
29 *Phocis* regio est Græciæ, finitima Atticæ, undè *Phocaïcus* declinatur. 30 Celeber, nobilis. 31 Filia regis. 32 A procis. *Proci* autem dicuntur, qui virginis mulierisve nuptias ambiunt: à *procando*, i. poscendo dicti: *Procari* autem veteres usurpabant pro impudenter petere: undè *procax*, lascivus. 33 Postulabar in matrimonium. 34 Pulchritudo. 35 Nunc cornix facta: nam cornices lentis passibus progrediuntur. 36 Ambularem. Nam *spatiari* est voluptatis causa ambulare. 37 Amore mei exarsit. 38 Neptunus Deus maris. 39 Et postquam. 40 Consumpsit. 41 Durum & solidum. 42 Frustra defatigor: non enim effugere poteram. 43 Tetigit, commovit. 44 Hominem. 45 Me Coronide. 46 Pallas perpetua gaudens virginitate. 47 Extendebam. 48 Ad cœlum. Ut, *It clamor cœlo.* 49 Nigra fieri. 50 Abjicere. 51 Conabar. 52 Vestis. 53 Ferire. 54 Manibus. 55 Detinebat. 56 Extollebar. levabar. 57 Impulsa. 58 Ut Minervam comitarer. Sic & alibis *Eurybati data sum, Talthybioque comes.* 59 Omni culpa & crimine vacans.

60 Quid

[60] Quid tamen hoc prodest, si diro facta [61] volucris
[62] Crimine Nyctimene nostro successit honori?

60 Quid prodest me inculpatam ac sine ullo crimine Minervæ comitem fuisse, cum Nyctimene, ob incestum cum patre admissum, in avem noctuam mutata, mihi præferatur. Nyctimene enim, Nyctei, regis Lesbi, filia, patris amore capta, clam se ei pro uxore subjecit, propter quod in noctuam mutata, sibi nefandi sacrilegii conscia, reliquarum avium conspectum fugit. 61 Noctua. 62 Ob incestum cum patre admissum.

Nyctimene. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Nyctimene Nyctei filia, virgo Lesbia, nimiâ libidine effrænata in patris cubile se implicuit, ideoque adversantibus deis ob admissum cessit in noctuam: quod scelus ipsa nocturno tempore occultat, & in luce visa ab omnibus volucribus petitur obnoxia.

AN, quæ per totam res est notissima [1] Lesbon,
Non audita [2] tibi est? [3] Patrium [4] temerasse cubile
Nyctimenen? Avis illa quidem; sed conscia culpæ
Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudorem
Celat; & à [5] cunctis [6] expellitur æthere toto.
Talia [7] dicenti, Tibi, ait, [8] revocamina, corvus,
Sint precor ista malo: nos vanum [9] spernimus [10] omen.
Nec cœptum [11] dimittit iter: [12] dominoque jacentem
Cum juvene [13] Hæmonio [14] vidisse Coronida narrat.
[15] Laurea delapsa est audito crimine [16] amantis:
Et [17] pariter [18] vultusque [19] Deo, [20] plectrumque, [21] colorque
Excidit. Utq; animus [22] tumida fervebat ab ira,
Arma assueta rapit; flexumque à cornibus arcum
[23] Tendit; & illa suo toties cum pectore juncta
[24] Indevitato trajecit pectora telo.
[25] Icta dedit [26] gemitum, tractoque à vulnere ferro,
Candida [27] puniceo perfudit membra [28] cruore:
Et dixit, [29] Potui pœnas tibi, Phœbe, dedisse;

1 *Lesbos* insula est maris Ægæi. 2 A te. 3 Patris lectum. 4 Violasse. 5 Ab omnibus, sc. *avibus*. Omnes enim aves noctuam persequuntur. 6 Ejicitur. 7 Cornici. 8 Revocationes. 9 Contemnimus, non accipimus. 10 Præsagium, augurium. *Omen* enim augurium, quod fit ore, quasi *Oremen*: & tam de malo, quam de bono dicitur. Virg. *Quod Dii prius omen in ipsum convertant.* 11 Omittit, sc. *corvus*. 12 Apollini. 13 Thessalico, sc. Isthye, *Æmonia* enim Thessalia dicta est. 14 Sc. se. 15 Corona ex lauro confecta. 16 Amicæ Coronidis, à quâ se amari Apollo putabat. 17 Simul. 18 Hilaritas ac lætitia vultus. *Nam* vultus pro animi affectu mutatur, ut modò lætitiam, modò mœstitiam præse ferat. 19 Apollini. 20 Instrumentum est, quo cithara percutitur, ἀπὸ τοῦ πλήττειν, i. à *percutiendo* dictum. 21 Nam ex rubicundo pallidus est effectus, quod indignantibus evenire solet. 22 Ab effectu, quod hominem tumescere cogat. 23 Intendit. 24 Quod nullo pacto potest devitari. 25 Percussa Coronis. 26 Ingemuit. 27 Rubro. 28 Sanguine. 29 Potui abs te puniri.

Sed peperisse prius: [30] duo nunc moriemur in una.
[31] Hactenus: & pariter vitam cum sanguine fudit.
Corpus [32] inane animæ frigus [33] letale secutum est.
Pœnitet heu [34] serò pœnæ crudelis [35] amantem:
Seque, quod audierit, quod sic [36] exarserit, odit;
Odit [37] avem, per quam [38] crimen, causamque [39] dolendi
Scire coactus erat: nervumque, arcumque, manumque
Odit; cumque manu temeraria tela sagittas:
Collapsamque fovet: seraque ope vincere [40] fata
Nititur: & medicas exercet [41] inaniter artes.
Quæ postquam frustra tentata, [42] rogumque parari
Sensit, & arsuros [43] supremis ignibus artus:
Tum vero [44] gemitus ([45] neq; enim cœlestia tingi
Ora decet lacrymis) alto [46] de corde [47] petitos
Edidit: haud [48] aliter, quàm cùm spectante [49] juvencâ,
Lactentis vituli, dextra [50] libratus ab [51] aure,
Tempora discussit claro cava malleus ictu.
Ut tamen ingratos in pectora fudit odores:
Et dedit amplexus, [52] injustaque justa peregit:
Non [53] tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina: sed natum flammis uteroque [54] parentis
Eripuit: geminique tulit [55] Chironis in antrum.
Sperantemque sibi non [56] falsæ [57] præmia linguæ,
Inter aves [58] albas vetuit considere corvum.

30 Et ego & infans. 31 Hæc locuta Coronis. 32 Corpus vacuum animâ & mortuum. 33 Mortiferum. 34 Postquam nullum remedium poterat adhiberi. 35 Apollinem qui amabat Coronidem. 36 Ira excanduerit. 37 Corvum. 38 Coronidis concubitum cum juvene Æmonio. 39 Mœrendi. 40 Mortem. 41 Frustrà. 42 Struem lignorum ad cremandum cadaver Coronidis, *Rogus* enim est strues lignorum ad cremanda cadavera. 43 Ultimis. 44 Ingemuit Apollo. 45 Dii enim flere non possunt. 46 Ex imo pectore. 47 Depromptos. 48 Hac similitudine ostendit, quam graviter gemuerit Apollo. 49 Vaccâ juniore, quæ jam vitula esse desiit. 50 Vibratus, sublatus. 51 Percutientis. Gestum enim exprimit lanii, vitulum interficientis. Malleum enim auriculæ dextræ admovens, ictum vitulo infligit. 52 Perfecit iniquas exequias funebres. Nam injuste illam interfecisse sibi Apollo videbatur. *Justæ* autem dicuntur exequiæ, quæ mortuis impenduntur, ita dictæ, quod *jure* fierent his, qui de nobis viventes benè meriti fuerant. 53 Passus est, 54 Matris Coronidis. 55 *Chiron* filius fuit Saturni ex Philyra, Oceani filia, cum quâ in equum mutatus concubuit, Chironemque Centaurum sustulit, propter quod *geminus* dicitur. Nam ex parte anteriore homo, ex posteriore equus videbatur. 56 Veri iudicii. 57 Mercedem. *Præmium* propriè dicitur id, quod tanquam loco justæ mercedis pro rectè factis datur. Cic. Solon duabus rebus contineri Rempublicam dixit, *præmio*, & pœnâ. In ludis quoque & certaminibus *præmia* dicuntur, quæ proponuntur victoribus. Virg. *Protinus Æneas celeri certare sagittâ Invitat, qui forte velint, & præmia ponit.* 58 Apollo corvum ex albo nigrum fecit.

Ocyroë in equam. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Ocyroë Chironis & Caristæ filia, contemtis patris artibus, vesania futura præcinuit: infanti Æsculapio prædixit quòd medicinâ mortuos ad superos reducturus esset, quòdque esset ab avo fulminis

minis iclum experturus. Patrem quoque Chironæ prædicit serpentibus cruciatum, cupidumque mortis, ex Deo in mortalium numerum venturum. Quæ cùm esset elocuta, in equæ cessit figuram, ne adversantibus fatis plura ederet quàm prædicta Apollinis sinerent.

[1] SEmifer interea divinæ stirpis [2] alumno
Lætus erat; mistoque oneri gaudebat honore.
Ecce venit [3] rutilis [4] humeros protecta capillis
Filia [5] Centauri: quam quondam Nympha Chari-
[6] Fluminis in [7] rapidi ripis enixa, vocavit [clo,
[8] Ocyroën. Non hæc artes contenta paternas
Edidicisse fuit: fatorum arcana [9] canebat.
Ergò ubi [10] fatidicos concepit mente furores,
Incaluitque [11] Deo, quem clausum pectore habebat;
Aspicit [12] infantem, Totique [13] salutifer orbi
Cresce, puer, [14] dixit: Tibi se mortalia sæpe
Corpora [15] debebunt; animas tibi reddere ademtas
Fas erit; [16] idque semel Diis indignantibus ausus,
Posse dare hoc [17] iterum flammâ prohibebere [18] a-
Eque Deo corpus fies [19] exsangue; Deusque, [vitâ;
Qui modò corpus eras; [20] & bis tua fata novabis.
Tu [21] quoque, chare pater, non jam [22] mortalis &
Omnibus [23] ut maneas, nascendi lege creatus; [ævis

1 Chiron semiferus, i. ex dimidiâ parte ferus. 2 Æsculapio Apollinis filio. 3 Flavis crinibus. 4 Habens humeros tectos. 5 Ocyroë filia ipsius Chironis. *Centauri* verò sunt Thessaliæ populi, juxta Pelion montem habitantes, qui primi equos domare, & ex iis pugnare cœperunt: undè factum est, ut a vicinis populis primùm conspecti, membra partim húmana, partim equina habuisse crederentur. 6 Caïci. 7 Rapacis. 8 Sic dicta, quòd in ripis Caïci fluminis Mysiæ rapidissimi, nata fuerit. Ὠκὺς velox, ῥὸη cursus. 9 Prædicebat. *Canere* enim aliquando sumitur pro vaticinari, prædicere. Virg. *Sola mihi tales casus Cassandra canebat.* *Canere* autem propriè. est voce modulari, cantare. Hinc *canere* Poëtæ dicuntur, quoniam versus rhythmicâ ratione compositos, cantando pronuntiare consueverunt. Virg. *Arma virumque cano.* Aliquando etiam *canere* pro prædicare, & divulgare accipitur. Mart. *Quicquid fama canit, donat arena tibi,* i. quicquid fama prædicat & divulgat, quæ non modò à veritate, sed etiam à formâ veritatis remota sunt, tu in Amphitheatro fieri potuisse ostendis. 10 Vaticinandi ac futura prædicandi impetus. 11 Spiritu divino. 12 Æsculapium. *Infans* dicitur propriè qui nondum fari cœpit. Et accipitur *infans* pro brutorum animalium, avium fœtu. Sumitur & pro stulto, & quasi loqui nesciente. 13 Salutem adferens & tribuens omnibus hominibus. Æsculapius enim adeò præstans medicinâ fuit, ut etiam Hippolytum ab inferis revocaverit, propter quod à Jove fulmine fuit extinctus, ac posteà Deus effectus. 14 Ocyroë. 15 Obligata, devincta erunt tibi. *Debeo* enim idem est, quod obligatus sum. Pertinet ad omnia, quibus devincti sumus. 16 Animas reddere ademptas. 17 Secundò. 18 Fulmine avi Jovis. *Avitum* enim est, quod ab *avo*, aut *avia* ad nos pervenit. 19 Sine sanguine, mortuum. i. morieris. *Exsangue* enim *corpus* cadaver notat. Virg. *Corpusque exangue sepulchro Reddit Hectoreum.* Propriè enim *exangue* id dicitur, quod est sine sanguine. Interdum pallidum, quòd pallentes videantur sanguine carêre. cum sanguis per extrema diffusus fit causa ruboris: contrà, recedente sanguine, subitò pallescimus, ut in metu videmus accidere, cum sanguis se recipit ad interiora. 20 Et tuam vitam bis renovabis, sc. semel, natus ex Apolline & Coronide, & secundò à morte & conflagratione fulminis in cœlum sublatus, & Deus factus. 21 Patri quoque Chironi Ocyroë exitum prædicit. 22 Immortalis: cùm enim ei sagittas Herculis tractanti una ex iis decidisset in pedem, amens dolore precibus à Jove impetravit ut sibi, quamvis immortali, mori liceret. Post mortem vero inter sydera relatus Sagittarii nomen obtinuit. Undè Ovid. in Fast. *Nona dies aderat, cùm te, justissime Chiron, Bis septem stellis corpore cinctus eras.* 23 Quamvis.

Posse mori cupies tum, cùm cruciabere diræ
Sanguine [24] serpentis per [25] saucia membra recepto:
Teque ex [26] æterno [27] patientem [28] Numina mortis
Efficient; [29] tricplicesq; Deæ tua fila [30] resolvent.
Restabat [31] fatis [32] aliquid: suspirat ab imis
Pectoribus, lacrymæque genis labuntur obortæ:
Atque ità, [33] Prævertunt, inquit, me fata; vetorq;
Plura loqui; vocisque meæ [34] præcluditur usus.
Non fuerant [35] artes [36] tanti, quæ numinis iram
Contraxêre mihi; mallem nescîsse futura.
Jam mihi [37] subduci facies humana videtur:
Jam cibus herba placet; jam [38] latis currere campis
[39] Impetus est; in equam, cognataque corpora [40] vertor.
Tota tamen [41] quare? [42] Pater est mihi nempe [43] biformis.
  Talia dicenti pars est extrema querelæ
Intellecta parùm: [44] confusaque [45] verba fuere.
Mox, nec verba quidem, nec equæ sonus ille videtur;
Sed simulantis equam: parvoque in tempore certos
Edidit hinnitus; & [46] brachia movit in herbas.
Tum digiti [47] coëunt, & quinos alligat [48] ungues
[49] Perpetuo cornu levis ungula: crescit & oris,
Et colli spatium; longæ pars maxima [50] pallæ
Cauda fit; utq; [51] vagi crines per colla jacebant,
In dextras abière [52] jubas; pariterq; novata est
Et vox & facies: [53] nomen quoque monstra dedere.

24 Hydræ, quæ, cum centum capita haberet, ab Hercule fuit interfecta: ejus sanguine Herculis sagittæ tinctæ, insanabilia vulnera inserebant.
25 Vulnerata.
26 Ex immortali. 27 Mortalem. 28 Dii.
29 Parcæ, quæ tres dicuntur esse, Lachesis, Atropos & Clotho. *Lachesis* dicitur à λαχεῖν, quòd sortiatur exitus: *Atropos* ἀπὸ τοῦ μὴ τρέπεσθαι, quòd fata inevitabilia sint: *Clotho* à κλώθειν, quòd ea quasi *præstituat* & destinet quæ cuique toleranda sunt.
30 Nam in earum filis cujusque vita esse dicitur, donec fila frangantur.
31 De fatorum arcanis, quæ referre instituerat Ocyroë. 32 Dicendum. 33 Occupant & impediunt. Nam in fatis erat, ut verteretur in equam. 34 Insidiose intercipitur. Alioqui *præcludere* est intercludere, præcidere. 35 Vaticinandi & futura prædicendi. 36 Tanti à me æstimandæ seu faciendæ non fuerant, ut irâ Deorum humanam amitterem figuram. 37 Auferri, subtrahi. 38 Per spatiosos campos. 39 Cupiditas est mihi currendi. Est figura loquendi Græca. 40 Mutor. 41 Sc. convertor in equam. 42 Chiron. 43 Utramque habet formam, & hominis, & equi. 44 In unam mixta. 45 Ocyroës. 46 Quibus verbis innuit, brachia in pedes anteriores fuisse commutata. 47 Conjunguntur. 48 Calceus corneus, pedes muniens eorum animalium, quæ digitos non habent. 49 Continuo. 50 Palla est muliebre vestimentum, ita dictum, quòd palam & foris eo utebantur. 51 Dispersi. 52 Crines à collo pendentes. 53 Nam Ἵππη, i. equa, fuit appellata.

Battus in indicem. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Apollo Jovis & Latonæ filius, cùm pecus Admeti Pheretis filii pasceret, fistulæ cantu solitudinem protegens, boves ejus in agros Pyliæ regionis progressæ sunt: quas Mercurius avertit, & in sylva

va occulit. Quod cùm Battus Nelei filius equas pascens vidisset, Mercurius ut indicium premeret, ex armentis formosissimam vaccam ei concessit. At ille discedenti affirmavit, lapidem priùs, quam se, quicquam indicaturum. Deus verò ut mortalis fidem experiretur, paulò post mutata figura ad eundem reversus est, simulavitque se amissas boves quærere; & præmium promittens, si demonstrasset. At ille cùm sub quo monte pascerentur ostendisset, Mercurius perfidia ejus offensus, lapidem eum mutavit; qui ab eventu Index circa Pylion vocatur.

[1] Flebat, opemq; tuam frustra Philyreius heros,
Delphice, poscebat: sed nec [2] rescindere magni
[3] Jussa [4] Jovis poteras; nec, si rescindere posses,
Tunc aderas: [5] Elin [6] Messeniaque arva [7] colebas.
[8] Illud erat tempus, quo te [9] pastoria pellis
Texit; onusque fuit baculum sylvestre sinistræ;
[10] Alterius, [11] dispar septenis fistula cannis.
Dumque amor est curæ, dum te tua fistula [12] mulcet;
Incustoditæ Pylios memorantur in agros
Processisse [13] boves: videt [14] has Atlantide Matre
[15] Natus; & arte sua sylvis occultat [16] abactas.
Senserat hoc [17] furtum nemo, nisi notus in illo
Rure senex. Battum vicinia tota vocabant.
Divitis [18] hic [19] saltus [20] herbosaque [21] pascua [22] Nelei,
Nobiliumque greges custos servabat equarum.
[23] Hunc [24] timuit, blandaque manu [25] seduxit; &, [26] eja,
Quisquis es, hospes, ait, si fortè armenta requiret
Hæc aliquis, [27] vidisse nega: neu [28] gratia facto
Nulla rependatur, nitidam cape præmia vaccam;

1 Mutationem Batti in lapidem indicem nunc Poëta subjungit. 2 Mutare, irrita facere. Ter. Mihi non videtur, quod sit factum legibus, *rescindi* posse. *Rescindi* verò propriè *testamenta* dicuntur cùm rumpuntur atque irrita fiunt. 3 Mandata. 4 Qui Ocyroën in equam commutavit. 5 *Elis* est urbs Peloponnesi, ab *Eleo*, Tantali filio, sic appellata, vel ab *Eleo*, Neptuni filio. 6 *Messena* & regio & urbs fuit Peloponnesi. 7 Habitabas. Virg. *Pallas, quas condidit arces, ipsa colat.* Hinc *cultores* habitatores dicuntur. 8 Apollinis Metamorphosin in pastorem obiter describit Poëta. 9 Quo tempore veste pastorali, ex pellibus confectâ, indutus fuisti. 10 Sinistræ. Nam dextræ onus erat baculus. 11 Inæqualis, tibia ex septem cannis inæqualibus confecta. Sic Virg. Ecl. 2. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula.* 12 Solatur, delectat. 13 Vaccæ. 14 Boves, i. vaccas. 15 Mercurius Majæ filius. 16 Abductas. Propriè enim *abigi* dicuntur armenta, i. abduci, furto tolli. Undè *abactores* vocantur pecorum fures, quos quidam *abigeos* vocant. *Abigo* autem propriè est expello, quasi *extrà ago.* Hinc *abigere* muscas à facie *dicimus*: *abigere* oves à pratis. Et *abacti magistratibus* dicuntur, qui coacti deseruerunt imperium, quasi à magistratu expulsi. 17 Boum à Mercurio abactarum. 18 Battus. 19 Sylvas. 20 Herbis ac graminibus plena. 21 *Pascua* sunt, in quibus pecudes pascuntur. 22 *Neleus* fuit pater Nestoris, regis Pyli. 23 Battum. 24 Mercurius veritus est. 25 Seorsum duxit. *Seducere* enim propriè est seorsum ducere, ab aliis ducere & sejungere. Ter. Post Pamphilus me solum *seduxit* foras. Accipitur & pro *decipere*, & in fraudem inducere. Ter. Etiam nunc me *seducere* istis dictis postulas? 26 Batto. 27 Sc. te, i. dic te non vidisse. 28 Et ut aliqua gratitudo facto tuo referatur.

Et dedit. [29] Acceptâ, voces has reddidit [30] hospes;
Tutus eas; lapis iste priùs tua furta loquatur;
Et lapidem ostendit. [31] Simulat Jove [32] natus abire,
[33] Mox [34] redit: [35] &, versa pariter cum voce figura,
Rustice, vidisti si quas hoc limite, dixit,
Ire boves; fer opem: furtoque silentia deme;
Juncta suo pretium dabitur tibi fœmina tauro.
At [36] senior, postquam merces [37] geminata, Sub illis
Montibus, inquit, erunt; & erant sub montibus illis.
Risit [38] Atlantiades: &, Me mihi, [39] perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait: [40] perjuraq; pectora [41] vertit
In durum [42] silicem; qui nunc quoque dicitur [43] Index:
Inque [44] nihil merito vetus est infamia saxo.

29 Vaccâ. 30 Battus sic locutus est. 31 Præ se fert ac ostendit se velle abire, cùm tamen nollet. *Simulamus* enim *falsa*, seu ea esse, quæ non sunt. Cic. Simulabat se Romam rediturum, cùm in Africam navigaturus esset. *Dissimulamus* autem *vera*, seu ea non esse, quæ sunt. Virg. *Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum Posse nefas?* 32 Mercurius Jovis & Majæ filius. 33 Paulò post. 34 Revertitur ad Battum Mercurius. 35 Et unà cum voce mutata forma, ne agnosceretur. 36 Battus. 37 Præmium duplicatum. 38 Mercurius nepos Atlantis ex Maja. 39 Violator fidei. 40 Quæ jusjurandum violaverant. 41 Commutavit. 42 Silex est lapis durus, ex quo ignis excuti solet. 43 Lapis quo auri argentique bonitatem exploramus: qui & Lydius lapis appellatur. 44 Lapis enim nihil mali commisit.

Aglauros in lapidem. *Fab.* XII.

ARGUMENTUM.

Athenis virgines per solemne sacrificium canistris Minervæ ferebant pigmenta: inter quas à Mercurio eminens specie conspecta est Herse Cecropis filia. Itaque aggressus est sororem ejus Aglauron, precatusque est, ut se Hersæ sorori suæ jungeret. At illa cùm pro ministerio aurum eum poposcisset; Minerva graviter offensa est avaritia ejus: ob quam etiam cistulam traditam sororibus ejus custodiendam adversus prædictum cùm aperuisset, Invidiæ novissimè imperavit, eam sororis Herses exacerbare fortunio: diuque cruciatam in saxum mutavit.

[1] Hinc se sustulerat paribus [2] Caducifer alis:

1 Aglauri, filiæ Cecropis Athenarum regis, mutationem in saxum Poëta annectit. Mercurius enim post Battum in lapidem mutatum, fortè inter virgines Atheniensium, sacra Minervæ celebrantes, vidit Hersen Cecropis filiam, omnium formosissimam: quâ cum aliter potiri non posset, Aglauron sororem illius rogavit, ut sibi opem ferret. Ea operam suam pollicetur, dummodò sibi pecunia tribuatur. Id cùm resciviisset Pallas, ob cistam quoque apertam irata, in quâ Erichthonium clauserat, ei Invidiam immisit, quâ impedita cum Mercurio repugnaret, ne aspectu Herses emptæ frueretur, in saxum ab eo fuit mutata. 2 Mercurius caduceum ferens. Est enim *Caduceus* vel *Caduceum* virga Mercurii, quâ ille ad dissidia & discordias tollendas utebatur: à cadendo dicta, quòd contentiones & bella *cadere* faciat. Hæc ergo virgâ pax significabatur. Undè *Caduceator* legatus dicitur, pacem petens; de ea latius diximus supra Lib. 1. num. 671.

3 Munychiosque volans agros, gratamque 4 Minervæ
5 Despectabat 6 humum, cultique 7 arbusta 8 Lycæi.
Illa fortè die castæ de more puellæ
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.
9 Indè revertentes 10 Deus aspicit ales: iterque
Non agit in rectum, sed in orbem curvat eundem.
Ut 11 volucris visis rapidissima 12 miluus extis,
Dum 13 timet, & densi circumstant sacra ministri,
14 Flectitur in gyrum; nec longiùs audet abire:
Spemque suam motis avidus circumvolat alis:
Sic super 15 Actæas agilis 16 Cyllenius arces
17 Inclinat cursus; & easdem 18 circinat auras.
Quanto splendidior, quàm cætera sidera, 19 fulget
Lucifer; & quanto te, Lucifer, aurea 20 Phœbe;
Tanto virginibus præstantior omnibus Herse
Ibat; eratque 21 decus pompæ, comitumq; suarum.
Obstupuit 22 forma Jove 23 natus: & 24 æthere pendens
25 Non secùs exarsit, quàm cùm 26 Balearica 27 plumbum
28 Funda 29 jacit: volat illud, & incandescit eundo;
Et, quos non habuit, sub nubibus invenit, ignes.
30 Vertit iter; 31 cœloque petit diversa relicto:
32 Nec se dissimulat: 33 *Tanta est fiducia formæ.*
34 Quæ quanquam justa est; cura tamen adjuvat 35 illam:
36 Permulcetque comas, 37 chlamydemque, ut pendeat aptè,
Collocat; ut 38 limbus, totumque appareat aurum:
Ut teres in dextra, qua somnos ducit & arcet,

3 Atticos. *Munychia* enim promontorium est Piræei, portus Athenarum, à *Munycho* dicta, qui illic ædificavit templum Munychiæ Dianæ. 4 Palladi, i. terram Atticam quæ Minervæ gratissima est. 5 Deorsum aspiciebat. 6 Terram. 7 Arbores, aut loca arboribus consita. 8 Exculti etiam Aristotelicis disputationibus. Nam *Lycæum* est gymnasium Athenis, in quo deambulans Aristoteles de Philosophiâ disserebat. 9 Ex arce Palladis. 10 Mercurius. 11 Hac similitudine Poëta ostendit, quomodo in orbem Mercurius volaverit, ut diutiùs aspectu Herses amatæ frueretur. 12 Avis est rapax, quæ in gyrum volat. 13 Ministros exta custodientes.

14 Movetur in orbem & circuitum. 15 Athenienses. *Actæa* enim Attica est, quòd fere tota sit littoralis: ἀκτὴ enim *littus* dicitur. 16 Mercurius, à *Cylleno* monte Arcadiæ. 17 Flectit, vertit volatus. 18 Circumdat, circumit. Propriè *circino* rotundum facio, vel circinum duco. Circinus. 19 Splendet. 20 Luna 21 Gloria. 22 Pulchritudine Herses. 23 Mercurius. 24 In aëre. 25 Non aliter amore est inflammatus. 25 Quâ Balearium insularum incolæ maximè utuntur. *Baleares* dictæ sunt insulæ duæ Hispaniæ adjacentes, & haud longè inter se distantes: & à spatio suo cognominibus acceptis, *Majores* & *Minores*, nunc vulgò *Majorca* & *Minorca* appellantur. Dictæ autem *Baleares* ἀπὸ τοῦ βάλλειν, i. à *jaculando*, propterea quod fundæ jaculatione Baleares peritissimi habiti sunt. 27 Plumbeam pilam. 28 Instrumentum est è funiculo factum, quo funduntur, i. jactantur lapides. Ab hac *funditores* vocati, qui fundis magnis dimicant. 29 Emittit. 30 Convertit ac mutat iter Mercurius. Cùm enim esset in cœlum iturus, in terras descendit. 31 Quò iter & volatum direxerat. 32 Nec se occultat esse Mercurium. 33 Adeò enim formosus erat, ut nulla occultatione opus esset. 34 Fiducia formæ & pulchritudinis. 35 Formam. 36 Pectit capillos. 37 Componit pallium ita, ut antè ex omni parte pendeat. *Chlamys* propriè est vestis militaris pallio brevior, quæ aliis vestibus superim ponebatur. 38 Ut limbus totus aureus appareat. Est autem *limbus* pars infima vestis muliebris, imos pedes contingens.

39 Virga

[39] Virga sit: ut tersis niteant [40] talaria [41] plantis;
[42] Pars [43] secreta [44] domus [45] ebore, & [45] testudine cultos
Tres habuit thalamos: quorum tu, Pandroso, dextrum,
Aglauros [46] lævum, medium possederat Herse.
Quæ [47] tenuit lævum, venientem prima notavit
Mercurium: nomenque Dei scitarier ausa est,
Et causam adventûs. Cui sic respondit Atlantis
Pleïonesq; nepos: Ego sum, qui jussa per auras
Verba patris porto. Pater est mihi [48] Juppiter ipse.
Nec fingam [49] caussas: tu tantùm [50] fida [51] sorori
Esse velis, [52] prolisque meæ [53] matertera dici.
Herse causa viæ, faveas oramus amanti.
Adspicit [54] hunc oculis iisdem, quibus [55] abdita nuper
Viderat Aglauros flavæ secreta Minervæ:
Proque ministerio magni sibi ponderis aurum
Postulat: [56] interea tectis excedere cogit.
[57] Vertit ad [58] hanc [59] torvi [60] dea bellica luminis orbem,
Et tanto penitus traxit suspiria motu,
Ut pariter pectus, positamque in pectore forti
[61] Ægida concuteret. Subit, [62] hanc arcana [63] profanâ
[64] Detexisse manu tum, cùm [65] sine matre creatam
[66] Lemnicolæ stirpem contra data fœdera vidit;
[67] Et gratamque Deo fore jam, gratamque [68] sorori:
Et ditem sumpto, quod avara poposcerit, auro.

39 Caduceus, quo Mercurius *dat somnos, adimitque, Et lumina morte resignat*, ut sup a. *Teres* est quòd undique nodis caret.
40 Mercurii alata calceamenta.
41 Pulchris pedibus.
42 Interiorem partem domus Cecropis describit, in quâ thalami filiarum erant. Græcis *Gynæceum* vocatur.
43 Interior.
44 Ædium Cecropis.
45 Eburneâ testudine, i. eburneâ fornice sive camera testudinei tegminis instar convexa. *Testudo* propriè est animal tardigradum, à *testâ*, qua tegitur, nomen habens. Est item *testudo* machina bellica, tabulatis contexta, ita dicta, quod sub tecto valido ex tabulatis opere imbricato confecto, milites tuti quasi sub testâ, muros urbis inimicæ aggrediuntur. *Testudo* item dicebatur congregata militum multitudo consertis scutis tecta adversus impetum lapidum, aliorumque telorum desuper incidentium. Est item *testudo* musicum instrumentum. 46 Sinistrum thalamum. 47 Ea erat Aglauros. 48 Qui rex est & Deorum & hominum. 49 Excogitabo & comminiscar rationes adventus mei. 50 Fidelis. 51 Hersæ. 52 Sobolis. 53 *Matertera* est matris soror, quasi *mater altera*. 54 Mercurium. 55 Erichthonium in cista clausum. 56 Dùm aurum adferret Mercurius, cogit Aglauros Mercurium exire domo. 57 Convertit. 58 Aglauron. 59 Torvos oculos, quales iratis esse solent. 60 Pallas, quæ & *Bellona* dicitur. 61 *Ægis* munimentum est pectoris æreum à Vulcano fabricatum, habens in medio Gorgonis caput, quo Pallas uti solet. *Ægis* autem scutum est: scuta n. veterum ex tergoribus caprinis conficiebantur, αἴξ, αἰγὸς Græcis *capram* denotat. 62 Aglauron. 63 Impia, scelesta. *Profanum* autem dicitur irreligiosum, & à religione remotum. *Profani* item dicebantur sacris non initiati, qui à fano & sacris arcebantur, quasi *procul* à fano, i. e. æde sacrâ. *Virg. Procul ô procul este profani.* 64 Aperuisse. 65 Quia Erichthonius ex solo semine Vulcani, quod in terram cecidit, cùm Palladi pudorem extorquere vellet, natus est. 66 Vulcani, qui infans a Jove in Lemnum, insulam littoris Thracici, de cælo erat dejectus, eamque postea incolebat. 67 Mercurio, ob petitam pecuniam. 68 Hersæ, quia illam ex avaritia Mercurio prostituebat.

Protinus [69] Invidiæ [70] nigro [71] squallentia tabo
Tecta petit. [72] Domus est imis in vallibus [73] antri
[74] Abdita, sole carens, non ulli pervia vento;
Tristis, & [75] ignavi plenissima frigoris; & quæ
Igne vacet semper, [76] caligine semper abundet.
[77] Huc ubi pervenit belli [78] metuenda virago;
Constitit ante domum, ([79] neq; enim succedere tectis
Fas habet) & postes [80] extrema cuspide pulsat.
[81] Concussæ [82] patuêre fores: videt intus [83] edentem
[84] Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
Invidiam; [85] visâque oculos avertit. At [86] illa
Surgit humo pigra; semesarumque relinquit
[87] Corpora serpentum: passuque incedit inerti.
Utque [88] deam vidit formâque armisque [89] decoram;
Ingemuit: vultumque ima ad [90] suspiria duxit.
Pallor in ore sedet: macies in corpore toto:
Nusquam recta [91] acies: [92] livent rubigine dentes:
Pectora felle virent. Lingua est [93] suffusa veneno.
Risus abest; nisi [94] quem [95] visi [96] movêre dolores
[97] Nec fruitur somno, vigilacibus [98] excita curis:
Sed videt [99] ingratos, [100] intabescitque videndo,
Successus hominum. [101] Carpitque & [102] carpitur unà;
[103] Suppliciumque suum est. [104] Quamvis tamen oderat [105] illam;
Talibus adfata est breviter Tritonia dictis:
[106] Infice [107] tabe tua natarum Cecropis [108] unam,
Sic opus est. Aglauros ea est. Haud plura locuta

69 Primùm Invidiæ domum describit Poëta, deinde *Invidiam* ipsam. Est autem *Invidia dolor conceptus ex aliena prosperitate: vel ægritudo animi, quæ propter res secundas alterius suscipitur, quæ nullam jacturam adferant invidenti*: ut eam Cicero definit Tusc. 4. Differt *invidia* ab *odio*, quòd illa occulta sit, hoc sæpe apertum: illa nascatur ex alterius rebus secundis, quæ nihil invidenti nocent; hoc ex eo quòd læsisse, vel læsurus videatur, quem odimus. Notanda est interim incomparabilis illa ac verè poëtica descriptio, omnibus numeris absolutissima. 70 Nigrâ sanie. 71 Sordida. 72 Invidiæ. 73 Speluncæ. 74 Abscondita. 75 Pigri, ab effectu, quòd ignavos & pigros homines efficiat. 76 Tenebris. 77 Ad hanc Invidiæ domum. 78 Pallas, quæ à Latinis *Bellona* vocatur, quòd in bello maximè sit timenda. 79 Palladi, ut quæ est Dea, non licet Invidiæ domum ingredi. 80 Mucrone hastæ: Pallas enim hastam gestare memoratur. 81 Pulsæ. 82 Apertæ sunt. 83 Invidiam. 84 Viperarum quæ sic sunt appellatæ, quòd *vi pariant*. Nam etiam disrumpi, cùm pariunt, traduntur. 85 A visa Invidia Pallas oculos avertit, ne diutiùs spectaret. 86 Invidia. 87 Carnes. 88 Palladem. 89 Pulchram, eminentem. 90 Cùm enim vultum Deæ vidisset hilarem, Invidia, dolore affecta, suspiravit. 91 Oculorum. Invidi enim non recto, sed obliquo utuntur visu. *Acies* enim interdùm significat oculi lumen. Aliquando acumen falcis, gladii, & similium, quæ secant. Item pro exercitu instructo. Atque interdum pro ipso congressu & prælio. Per translationem sumitur pro ingenii perspicacitate. 92 Lividi & plumbei coloris sunt. 93 Perfusa, infecta. 94 Risum. 95 Non ipsius, sed aliorum. Invidi enim & alienis malis gaudent, & bonis dolent. 96 Excitarunt, fecerunt. 97 Nec dormire potest. 98 Concita, stimulata. 99 Non gratos, ac sibi displicentes. 100 Paulatim consumitur. 101 Simul lædit. 102 Et simul læditur. 103 Et sibi ipsi est pœna. Invidus enim se ipsum semper rodit, paulatimque consumit: nec vanum proverbium, *Suum invidia torquet auctorem*. 104 Ordo est: *Quamvis Tritonia oderit illam, tamen est allocuta eam talibus*. 105 Invidiam. 106 Contamina. 107 Veneno tuo. 108 Aglauron Cecropis filiam.

Fugit:

Fugit: & impressâ tellurem reppulit hastâ. [cernens,
[109] Illa [110] Deam [111] obliquo fugientem lumine, [112]
Murmura parva dedit: [113] successurumque Minervæ
Indoluit: baculumque capit, quod spinea totum
Vincula cingebant: adopertaque nubibus atris,
Quacunque ingreditur, florentia [114] proterit arva,
Exuritque herbas, & summa cacumina carpit:
Afflatuque suo populos, urbesque, domosque
Polluit: & tandem [115] Tritonida conspicit arcem,
[116] Ingeniis opibusque, & [117] festa pace [118] virentem: [cernit.
Vixque [119] tenet lacrymas; quia nil lacrymabile
Sed postquam thalamos intravit Cecrope natæ;
[120] Jussa facit: pectusq; manu [121] ferrugine tincta
Tangit: & [122] hamatis [123] præcordia sentibus implet:
Inspiratque nocens [124] virus; [125] piceumq; per ossa
[126] Dissipat, & medio spargit pulmone, venenum.
[127] Neve mali spatium caussæ per latius errent;
[128] Germanam ante oculos, fortunatumq; sororis
Conjugium, pulchrâq; [129] Deum sub imagine ponit,
Cunctaque magna facit: quibus irritata, dolore
[130] Cecropis occulto [131] mordetur: & anxia nocte,
Anxia [132] luce gemit; [133] lentâque miserrima tabe
[134] Liquitur, ut glacies [135] incerto saucia sole;
Felicisque bonis non seciùs [136] uritur Herses;
Quâm cùm spinosis ignis supponitur herbis;
Quæ neque dant flammas; [137] lenique tepore cremantur.
Sæpe mori voluit; ne quicquam tale videret:
Sæpe velut crimen rigido narrare [138] parenti.
Denique in adverso venientem limine sedit
Exclusura [139] Deum: [140] cui blandimenta, precesq;
Verbaque [141] jactanti mitissima, Desine, dixit:
Hinc ego me non sum nisi te motura repulso.
Stemus, ait, [142] pacto, velox [143] Cyllenius, isto;

109 Invidia. 110 Palladem. 111 Obliquis oculis, qualibus invidi aspicere successus aliorum solent. 112 Aspiciens. 113 Indoluit quod *Minerva* (cujus jussa jam erat executura) optato successu fruitura esset. 114 Prosternit. 115 Athenarum arcem, Palladi dicatam. 116 Propter multitudinem præstantissimorum & artificum, & oratorum, & philosophorum hoc dicit. 117 Ab effectu Nam tempore pacis festa celebrantur. 118 Florentem. 119 Continet. 120 A Pallade. 121 Ferri rubigo *ferrugo* vocatur. 122 Recurvis spinis: qualis est hamus. 123 Cor, quod sedes curarum dicitur. 124 Venenum. 125 Nigrum. 126 Dispergit. 127 Ne causæ doloris longiùs absint, efficit ut felicitatem sororis semper ante oculos cum maximo dolore & cruciatu habere videatur.

128 Sororem Hersen. 129 Mercurium. 130 Aglauros Cecropis filia: est enim nomen patronymicum fœmininum. 131 Cruciatur. *Mordère* enim aliquando est dolore efficere. Cic. Valde me *momorderunt* epistolæ tuæ de Atticâ nostrâ. Propriè est dentibus lædere. Item calumniari, lædere. 132 De die. 133 Corruptione, quæ paulatim fit. 134 Liquescit, atque ut nix ad Solem consumitur. 135 Debili ac parùm vehementi Sole: *incertus* autem *Sol* dicitur, cum nubiloso cœlo nunc splendet, nunc nubibus reconditur. 136 Affligitur. 137 Lento calore. 138 Severo patri Cecropi. 139 Mercurium 140 Mercurio. 141 Frustrâ dicenti: est enim *jactare* interdum inaniter loqui. Virg. *Talia jactanti.* Interdum est ostentare. 142 Isto modo, ut te hinc non moveas, nisi me repulso. Nunquam autem me hinc repellere poteris: tu igitur hic semper maneas. Concessio ironica. 143 Mercurius, à *Cyllene* Arcadiæ monte.

144 Cælatas-

[144] Cælatasque fores virga [145] patefecit. At [146] illi
Surgere conanti partes, quascunque sedendo
Flectimur, ignava nequeunt gravitate moveri.
[147] Illa quidem [148] recto pugnat se attollere [149] trunco:
Sed genuum [150] junctura [151] riget, [152] frigusque per ungues
Labitur: & pallent amisso sanguine venæ.
Utque malum late solet immedicabile [153] cancer
Serpere, & illæsas vitiatis addere partes;
Sic [154] letalis hyems paulatim in pectora venit:
Vitalesque vias, & [155] respiramina clausit.
Nec conata loqui est; nec, si conata fuisset,
Vocis haberet iter: saxum jam colla tenebat;
Oraque duruerant: [156] signumque exsangue sedebat.
Nec lapis albus erat [157] sua mens [158] infecerat illam.

144 Sculptas atque pictas. 145 Aperuit. 146 Aglauro. Describit autem quomodo Aglauros in saxum fuerit commutata, ac limini januæ ita affixa, ut nunquam surgere potuerit. 147 Aglauros. 148 Conatur. 149 Erecto pectore. Nam *truncus* ea pars corporis dicitur, quæ est intra collum & coxas. 150 Conjunctio, compages. 151 Rigida ac dura est facta. 152 Sic alibi; *Frigusque perambulat artus.* Et, *Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus*, *Perque meos artus frigida gutta fluit.* 153 Morbus paulatim corpus rodens. Est item *Cancer* bestia. Item unum ex duodecim Zodiaci signis. 154 Mortiferum frigus. 155 Pulmonis respirationes, halitum seu meatum spiritus. 156 Statua sine sanguine, & mortua. In statuam enim lapideam Aglauros fuit mutata. 157 Invidorum enim corpora sunt nigra, quemadmodum & mens nigra esse solet, & nocens. 158 Maculaverat.

Europa à Tauro rapta. *Fab.* XIII.

ARGUMENTUM.

Cum Mercurius jussu patris in Phœniciam transgressus esset, ut armenta illius regionis ad littus compelleret, Jupiter in Taurum conversus est; cumque se juvencis Agenoris regis immiscuisset, & in amorem sui spatiantes in arena virginis consistere coëgisset; paulatim singulis alludens, novissimè Europam Agenoris filiam, cujus amore compulsus mutaverat figuram, insidentem sibi tergo per mare in insulam Cretam detulit, ibique concubitu ejus fruitus est.

Has ubi verborum pœnas mentisq; [1] profanæ
Cepit [2] Atlantiades; [3] dictas à Pallade terras
Linquit, & ingreditur [4] jactatis æthera pennis.
[5] Sevocat [6] hunc [7] genitor; nec causam fassus amoris,

1 A sacris ac religione remotæ. 2 Mercurius nepos Atlantis ex Majâ. 3 Athenas. Nam *Athenæ* ἀπὸ τῆς ἀθήνης, i. à *Pallade* dicuntur. 4 Motis. 5 Jupiter, Europæ Agenoris, Phœnicum regis, filiæ amore captus, Mercurio, Athenis redeunti, mandat ut se quamprimùm in Phœniciam conferat, regisq; armenta ad litus compellat, ibi enim cum aliis virginibus Europam spatiari viderat. Id verò cum effecisset Mercurius, omni deposita majestate Jupiter se in Taurum convertit, cujus dorsum post multas blanditias Europa ascendere ausa in Cretam per mare ab Jove est advecta. Quod ideò fingitur, quia Cretenses Europam, ex Phœniciâ raptam in Cretam asportaverunt navi, cujus insigne Taurus erat. 6 Mercurium. 7 Jupiter pater Mercurii.

Fide

Fide minister, ait, jussorum, nate, meorum,
Pelle moram, solitoque celer [8] delabere cursu:
9 Quæque tuam matrem tellus à parte sinistrâ
[10] Suspicit, ([11] indigenæ [12] Sidonida nomine dicunt)
Hanc pete; quodq; procul montano gramine pasci
Armentum regale vides; ad littora verte.
[13] Dixit: & expulsi [14] jamdudum monte juvenci
Littora jussa petunt; ubi magni [15] filia [16] regis
Ludere virginibus [17] Tyriis comitata solebat.
[18] *Non bene conveniunt, nec in una sede morantur,*
Majestas & amor. [19] Sceptri gravitate relictâ,
[20] Ille pater rectorq; deûm; cui dextra [21] trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem;
Induitur tauri faciem; mistusque juvencis
Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis:
Quippe color nivis est; quam nec vestigia duri
Calcavêre pedis, nec [22] solvit [23] aquaticus Auster.
[24] Colla [25] toris [26] exstant: [27] armis [28] palearia pendent.
Cornua parva quidem; sed quæ contendere possis
Facta manu, purâque magis perlucida gemmâ.
Nullæ in fronte minæ; nec formidabile [29] lumen;
Pacem vultus habet. Miratur Agenore [30] nata,
Quod tam formosus, quod prælia nulla minetur.
Sed, quamvis mitem, metuit [31] contingere primò.
Mox adit: & flores ad candida porrigit ora.
Gaudet amans; &, [32] dum veniat sperata voluptas,
Oscula dat manibus: 33 vix ah, vix cætera differt.
Et nunc 34 alludit, viridique exsultat in herba:

8 Deorsum labere atque descende, tali velocitate, quali antea jussa mea solebas exequi.
9 Periphrasis est Phœniciæ, quæ à parte sinistrâ, Septentrionem versus, subjacet Pleiadibus, quarum una est Maja, Mercurii mater.
10 Sursum aspicit. Interdum *suspicere* mirari significat.
11 Indè geniti incolæ.
12 Sidoniam. *Sidon* urbs est Phœniciæ. Undè *Phœnicia* ipsa *Sidonia* vocatur. 13 Jupiter.
14 Quamprimùm. 15 Europa. 16 Agenoris.
17 *Tyrus* à *Tyro*, Phœnicis filio, dicta, & insula & urbs est Phœniciæ, *Sidoni* vicina. Nomen autem verum à situ sortiebatur: rupi n. inœdificatâ, *Tzor* Hebræorum & Phoenicum linguâ vocatur; inde Græcorum *Tyrus*. 18 Non decet gravem virum amori indulgêre: quam ob causam se in taurum Jupiter convertit, ut commodiùs virgine amatâ potiretur. Hanc sententiam in XVII. *Epist.* complexus est: *Nunc male res junctæ calor & reverentia pugnant: Quid sequar in dubio est, hæc decet, illa juvat.* 19 Deposita regni gravitate. *Sceptrum* enim est insigne regni: est enim baculus, quo stantes innituntur reges. Unde etiam *sceptrum* dictum est ἀπὸ τοῦ σκήπτεσθαι, quod significat inhærere sive incumbere. 20 Jovem significat. Q. d. Ille potentissimus, qui omnibus præest, qui omnium est causa. 21 Fulminibus, quorum triplex est effectus: afflant enim, scindunt, & urunt. *Trisulcus* enim dicitur, quod tres habet acies. Virg. *Linguis micat ore trisulcis.* 22 Liquefacit. 23 Pluviosus. 24 Pulcherrimum describit taurum, in quem Jupiter est mutatus. 25 Eminentiis musculorum. *Tori* enim dicuntur eminentiæ musculorum. Virg. *Luxuriatque toris.* Indè *torosus* dicitur, quod tororum amplitudine corporis robur præ se fert. Alloqui *torus* sumitur pro lecto. 26 Eminent. 27 Humeris. Illud obiter hic notandum est, *armos* ab *humeris* differre. *Humeri* enim propriè eorum sunt, qui recti in cœlum spectant; unde soli homini inter mortalia *humeros* esse dicimus. Virg. *Os, humerosque Deo similis.* *Armi* verò sunt propriè bestiarum. 28 *Palearia* sunt pelles dependentes ex gutture boum, quasi *pellearia*, Angl. *Dewlaps*. 29 Oculi Tauri illius. 30 Europa Agenoris filia. 31 Attingere. 32 Donec fruatur speratâ concubitus voluptate. 33 Cum difficultate concubitum differte in aliud tempus. 34 Ad ludentem puellam ludit. *Alludere* enim est ludo alicui blandiri. Interdum est obscurè aliquid significare.

Nunc

Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis:
Paulatimque metu demto, [35] modò pectora præbet
Virginea [36] plaudenda manu; modò cornua [37] sertis
[38] Impedienda novis. Ausa est quoque regia virgo,
Nescia quem premeret, tergo considere tauri.
Cum [39] Deus à terra, siccoque à littore, [40] sensim
[41] Falsa pedum primis vestigia ponit in undis.
Indè abit ulteriùs, mediique per æquora ponti
Fert prædam. [42] Pavet [43] hæc: littusque [44] ablata relictum
[45] Respicit: & dextra cornu tenet; [46] altera [47] dorso
Imposita est: tenues [48] sinuantur [49] flamine vestes.

35 Interdum. 36 Blandè tangenda. 37 Corollis ex herbarum frondibus, floribusque consertis. 38 Liganda. 39 Jupiter, qui in Taurum se converterat. 40 Paulatim. 41 Simulatos pedes: non enim erant tauri pedes, sed falsi atque simulati. 42 Timet. 43 Europa. 44 Abducta à Jove in taurum mutato. 45 Retrò aspicit. Oculos enim ad littus convertebat. 46 Sinistra manus. 47 Tergo. 48 Flectuntur, curvantur; *Sinuare* enim est curvare, in sinus flectere: Virg. *Sinuatque immensa volumine terga*, i. in sinus flectit. Hinc *sinus vestium* appellati sunt, laxitates inter plicas intermediæ. 49 Vento.

H PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER III.

Homines è dentibus serpentinis orti. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Agenor, raptâ Europâ, fratres ejus ad requirendam sororem dimisit, ita ut, nisi eam reperissent, ad se ne reverterentur, imperaret. Cilix diversas petit regiones, novissimeque constituit Ciliciam: nec minùs Phœnix à suo nomine Phœnicen. Cadmus verò, desperatâ spe visendi patris, Apollinis oraculum ingreditur, sciscitans, in quibus partibus orbis consisteret. Accepta itaque sorte, ut vaccam à grege secretam, quæ lunæ signum in latere haberet, ageret; & ubi fessa procubuisset, ibi statueret urbem: parens præcepto, in eam terram devenit, quæ postea à bove Bœotia dicta est. Hic cùm ad fontem Martis socios aquatum misisset, atque ille illuc venisset, ut vidit à dracone socios consumtos, serpentem interfecit, dentesque ejus, Minervæ monitu, humo sparsit. Ex quibus armatorum multitudo progignitur, quæ inter se domestico bello confligit. Ita ut ex ea quinque relinquerentur, qui Minervæ voluntate creandi populi, qui Thebis considerent, principes essent, quorum nomina hæc produntur fuisse, Echion, Idæus, Chthonius, Pelorus, Hyperenor.

JAmque [1] Deus [2] positâ [3] fallacis imagine tauri,

1 Jupiter.
2 Depositâ.
3 Falsi vel simulati.

Se

Se [4] confessus erat: [5] Dictæaque rura [6] tenebat.
Cùm [7] pater ignarus, Cadmo perquirere raptam
Imperat: & pœnam, si non invenerit, addit
Exilium, facto [8] pius, & [9] sceleratus eodem.
Orbe [10] pererrato (quis enim deprendere posset
Furta Jovis?) profugus patriamque iramque [11] parentis
Vitat [12] Agenorides; Phœbique [13] oracula supplex
Consulit: &, quæ sit tellus habitanda, requirit.
[14] Bos tibi, Phœbus ait, solis occurrit in arvis,
Nullum passa jugum, curvique [15] immunis aratri.
[16] Hâc duce [17] carpe vias: &, qua requieverit herba,
Mœnia fac condas: [18] Bœotiaque illa vocato.
Vix bene [19] Castalio Cadmus descenderat antro:
Incustoditam lentè videt ire juvencam,
Nullum [20] servitii signum cervice gerentem.
Subsequitur, [21] pressoque [22] legit [23] vestigia gressu;
Auctoremque viæ Phœbum taciturnus adorat.
Jam vada [24] Cephisi, [25] Panopesque [26] evaserat arva:
Bos [27] stetit; &, tollens spatiosam cornibus altis
Ad cœlum frontem, mugitibus [28] impulit auras.
Atque ita, respiciens [29] comites sua terga sequentes,
[30] Procubuit, teneraque latus submisit in herba.
Cadmus [31] agit grates; peregrinæq; [32] oscula terræ
Figit: & ignotos montes agrosque salutat.
Sacra Jovi facturus erat: jubet ire ministros,
Et petere è vivis libandas fontibus undas.
Sylva vetus [33] stabat, [34] nulla violata securi.
Est specus in medio virgis ac vimine densus,
Efficiens [35] humilem lapidum compagibus arcum,
Uberibus fœcundus aquis: hoc [36] conditus antro
[37] Martius anguis erat, [38] cristis [39] præsignis & auro;
Igne micant [40] oculi; corpus [41] tumet omne veneno;
[42] Tresque vibrant linguæ: triplici stant [43] ordine dentes.
Quem postquam Tyria [44] lucum de [45] gente profecti

4 Manifestaverat se esse Jovem. Sic *Virg.* 2. Æn. *Alma Venus confessa Deam, qualisque videri Cœlicolis, &* [illegible] *solet.* 5 Credentia. 6 Occupabat. Cic. Milo campum jam *tenebat.* 7 Agenor. 8 Pius quidem quærendo filiam fuit Agenor. 9 Sceleratus autem fuit, filio exilium indicendo. 10 Pervagato. Sic *Virg.* 2. Æn. dixit, i. e. errato: *Magna pererrato statues quæ denique ponto.* 11 Patris Agenoris. 12 Cadmus Agenoris filius. 13 Responsa Apollinis. Virg. *Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus.* Oraculum est Deorum responsum. Quandoque ponitur pro templo in quo responsa dantur. Nonnunquam etiam pro celebri notatuque digna, & minimè vana sententia. 14 Vacca. 15 Expers, quæ nunquam traxerit aratrum. 16 Bove, i. e. vacca. 17 Vade, perge.

18 Bœotiæ regio in Græcia sic dicta fortè ἀπὸ τῆς βοὸς, de qua hic Poëta mentionem facit. 19 Speluncâ Delphici oraculi. Musæ vocantur Castalides à fonte Castalio inter Delphos & Parnassum. 20 Quæ nullum jugum passa erat. 21 Represso & tardo, ne anteiret, sequitur vaccam. 22 Transit. 23 Signa pedum vaccæ. 24 Bœotiæ fluvii. 25 Urbis Phocidos. Est & Panope Dea marina. 26 Superaverat, transierat. 27 Substitit. 28 Mugitus in aërem emisit. 29 Cadmum cum sociis. 30 Humi jacuit. 31 Apollini. 32 Osculatur. Sic *Virg.* 1. Æn *Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet.* 33 Erecta erat. 34 Quæ nunquam fuerat cæsa. 35 Depressum. 36 Absconditus in speluncâ. 37 Serpens Marti dicatus ac bellicosus. 38 Eadem figura utitur Virg. *Pateris libamus & auro,* i. pateris aureis. 39 Insignis, notabilis. 40 Oculi fulgent rubore. 41 Inflatum est & repletum. 42 Lingua triplex vibrat. 43 Serie. 44 Sylvam sacram. 45 Cadmi socii, qui de Phœnicia, ubi est Tyrus, venerant.

[46] Infausto tetigêre gradu; demissaque in undas
[47] Urna dedit sonitum; longo caput extulit antro
Cœruleus serpens; horrendaque sibila misit.
[48] Effluxere [49] urnæ manibus: [50] sanguisque relinquit
Corpus, & attonitos subitus tremor occupat artus.
[51] Ille volubilibus squamosos [52] nexibus [53] orbes
Torquet, & immensos saltu [54] sinuatur in arcus:
Ac mediâ plus parte leves erectus in auras
Despicit omne nemus: [55] tantoq; est corpore, quanto
Si totum spectes, [56] geminas qui separat Arctos.
Nec mora: [57] Phœnicas, (sive illi tela parabant,
Sive fugam; sive ipse timor prohibebat [58] utrumq;)
[59] Occupat; hos morsu, longis complexibus illos,
Hos necat adflatos [60] funestâ tabe veneni.
[61] Fecerat [62] exiguas jam Sol altissimus umbras:
Quæ mora sit sociis miratur Agenore [63] natus,
[64] Vestigatque viros. Tegimen derepta leoni
Pellis erat: telum splendenti lancea ferro,
Et jaculum; teloque animus præstantior omni.
Ut nemus intravit, [65] letataque corpora vidit,
Victoremque supra [66] spatiosi corporis [67] hostem
Tristia [68] sanguinea lambentem vulnera lingua:
[69] Aut ultor vestræ, [70] fidissima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero. [71] Dixit: dextraque [72] molarem
Sustulit, & magnum magno [73] conamine misit.
[74] Illius [75] impulsu cum turribus ardua celsis
Mœnia [76] mota forent; serpens sine vulnere mansit.
Loricæque modo squamis defensus, & atræ
Duritia pellis, [77] validos cute reppulit ictus.
At non duritiâ jaculum quoque [78] vincit eâdem;
Quod medio [79] lentæ fixum curvamine spinæ
Constitit; & toto descendit in [80] ilia ferro.
[81] Ille dolore ferox caput in sua terga retorsit,
Vulneraque adspexit: fixumque hastile momordit.

46 Infelici passu: omnes enim à Dracone illo necati sunt. 47 Vas est hauriendæ aquæ accommodatum, sive quo aqua è puteis fluminibusve hauritur: alio nomine *situla* dicitur. Dicebatur etiam *urna* apud veteres vas, quo judicum suffragia colligebantur, & in quo crematorum cinis servabatur. Hinc quoque pro sepulchro. 48 Manibus ministrorum timore Draconis illis aqua excidit. 49 *Urnæ* longè elegantiùs; antea *undæ* legebatur hanc autem lectionem multi codices firmant; ita *Lora fluunt manibus*. Heinsius. 50 Ministri expalluerunt metu serpentis. 51 Serpens. 52 Nodis. 53 Spiras, quas serpentes caudâ efficiunt. 54 Curvatur, flectitur. 55 Tantus erat ille serpens, quantus est is, qui inter duas ursas in cœlo spectatur. Est autem tantus, ut fluvius esse videatur. Hyperbole. 56 Duas & similes ursas. 57 Cadmi comites Phœnices, aquatum missos. 58 Et parare tela, & fugam. 59 Invadit. 60 Mortifera veneni corruptione & sanie. 61 Descriptio meridiei. Sic Fab. 2. *Jamque dies medius rerum contraxerat umbras, Et Sol ex æquo metâ distabat utrâque.* Et lib. 14. *Sol erat, & minimas à vertice fecerat umbras.* Et 3. de Arte: *Jamque dies medius tenues contraxerat umbras, Inque pari spatio vesper & ortus erant.* 62 Jam meridies erat: exiguæ enim in meridie solent esse umbræ, quò tempore Sol est altissimus. 63 Cadmus Agenoris. 64 Per vestigia inquirit. 65 Exanima, occisa. 66 Vastissimi. 67 Serpentem, qui Cadmi socios necaverat. 68 Rubra & sanguine infecta. 69 Aut ego Cadmus vestram mortem ulciscar, ô fidissimi socii, aut unâ vobiscum moriar. 70 O fidissimorum cadavera. 71 Cadmus. 72 Lapidem tam magnum, ut ex eo mola confici possit. Hyperbolicè dictum. 73 Impetu. 74 Lapidis molaris. 75 Jactu. 76 Concussa. 77 Validè & fortiter illatos. 78 Repellit. Tunc enim *jacula vinci* dicuntur, cùm repelluntur. 79 Flexibilis dorsi. 80 Intestina. 81 Serpens.

Idque, ubi vi multa partem [82] labefecit in omnem,
Vix tergo eripuit; [83] ferrum tamen ossibus hæret.
Tum vero; postquam solitas [84] accessit ad [85] iras
Plaga recens, plenis tumuerunt guttura venis:
Spumaque pestiferos circumfluit [86] albida [87] rictus:
Terraq; rasa sonat squamis; quique halitus exit
Ore niger [88] Stygio, vitiatas [89] inficit auras.
[90] Ipse modo immensum [91] spiris facientibus orbem
Cingitur: interdum longâ trabe rectior exit:
[92] Impete nunc vasto, [93] ceu concitus imbribus amnis,
[94] Fertur, & obstantes [95] proturbat pectore sylvas.
Cedit [96] Agenorides paulùm: [97] spolioque leonis
Sustinet incursus; instantiaque ora retardat
[98] Cuspide prætentâ. Furit [99] ille, & inania duro
Vulnera dat ferro: figitque in [100] acumine dentes.
Jamque venenifero sanguis [101] manare palato
Cœperat; & virides [102] aspergine tinxerat herbas:
Sed leve vulnus erat: quia se retrahebat ab ictu;
Læsaque colla [103] dabat retrò; plagamque sedere
Cedendo arcebat, nec [104] longius ire sinebat.
Donec Agenorides conjectum in gutture ferrum
Usque [105] sequens pressit: dum retro quercus eunti
Obstitit; & fixa est pariter cum [106] robore cervix.
Pondere serpentis curvata est [107] arbor, & imæ
Parte [108] flagellari gemuit [109] sua robora caudæ.
Dum [110] spatium victor victi considerat [111] hostis;
Vox subitò audita est: ([112] neque erat cognoscere promtum
[113] Unde: sed audita est) Quid, Agenore nate, peremtum
Serpentem spectas? & tu spectabere [114] serpens.
[115] Ille diu pavidus, pariter cum mente colorem
Perdiderat; gelidoq; comæ terrore [116] rigebant.
Ecce viri fautrix superas delapsa per auras
Pallas adest: motæque jubet supponere terræ
[117] Vipereos dentes populi incrementa futuri.
Paret: & ut presso [118] sulcum patefecit aratro,
Spargit [119] humi jussos mortalia [120] semina dentes:
[121] Inde (fide [122] majus) [123] glebæ cœpêre moveri:
[124] Primaque de sulcis acies apparuit hastæ.

82 Labare fecit. 83 Jaculi ferrum ossibus infixum remanet. 84 Adjuncta fuit. 85 Consuetam rabiem. 86 Alba. 87 Venenata ora. *Rictus* autem propriè ferarum est, ut rostrum avium. 88 Venenato: qualis est Styx inferorum palus. 89 Polluit. 90 Serpens interdum spiris seipsum volvens, in vastum orbem contrahitur, interdum in longitudinem extenditur. Eleganter autem serpentis vulnerati naturam effingit Poëta. 91 *Spiræ* in serpentibus dicuntur, cùm in orbem contracti, quosdam quasi circulos imitantur. 92 Impetu. 93 Quemadmodum. 94 Ruit, agitur. 95 Prosternit. 96 Cadmus Agenoris filius. 97 Pelle. 98 Objecto jaculi ferro. 99 Serpens. 100 Cuspide. 101 Fluere. 102 Aspersione sanguinis. 103 Trahebat. 104 Altiùs descendere in corpus. 105 Eousque sequens infixit, donec quercus obstitit illi retrò se à vulnere trahenti. 106 Quercûs stipite. 107 Quercus. 108 Percuti ac verberari. 109 Suum truncum. 110 Magnitudinem. 111 Devicti serpentis. 112 Et non facilè poterat audire. 113 A quo loc. *emissa fuerit vox*. 114 Cadmus in serpentem postea mutatus fuit unà cum uxore Hermione. Vid. infra. Lib IV. Fab. 15. 115 Cadmus. 116 Horrebant. 117 Serpentis. 118 *Sulcus* est fossa illa longa, quæ inter arandum fit vomere. 119 In terras. 120 Hominum semina, non frugum. Nam homines armati ex illis dentibus orti finguntur. 121 Deinde. 122 Quod incredibile est, omnemque exuperat fidem. 123 Illius aratæ terræ. 124 Primæ hastæ apparuerunt, exortæ sunt.

[125] Tegmina mox capitum [126] picto nutantia conó:
Mox humeri pectusque, onerataque brachia telis
[127] Exsistunt, crescitq; seges clypeata virorum.
[128] Sic ubi tolluntur festis [129] aulæa [130] theatris,
Surgere signa solent; primumq; ostendere vultum:
Cætera paulatim: placidoque educta [131] tenore
Tota patent; imoque pedes in margine ponunt.
Territus hoste novo Cadmus capere arma parabat:
Nè cape, de populo, quem terra creaverat, unus
Exclamat; nec te civilibus [132] insere bellis.
Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
Cominus ense ferit: jaculo cadit eminus ipse.
Hic quoque, qui leto [133] dederat, non longiùs illo
Vivit, & exspirat, modò quas acceperat, auras:
Exemploque pari furit omnis turba; suoque
Marte cadunt [134] subiti per [135] mutua vulnera fratres.
Jamque brevis spatium vitæ sortita juventus
Sanguineam trepido [136] plangebant pectore [137] matrem;
Quinque [138] superstitibus: quorum fuit unus Echion.
[139] Is sua jecit humi monitu [140] Tritonidis arma;
Fraternæque fidem pacis petiitque deditque.
Hos operis comites habuit [141] Sidonius hospes;
Cùm posuit [142] jussam [143] Phœbêis sortibus urbem.

125 Galeæ. 126 Crista picta variis coloribus. In galea enim *conus* appellatur summus apex in acuminatam desinens figuram. 127 Exstant, eminent extra terram. 128 Pulchrâ similitudine declarat, quomodo paulatim viri illi armati sint nati. Sic, inquit, nati sunt, ut videntur signa & imagines surgere in Theatris, cum aulæa parietibus affiguntur. 129 Ab aula Attali regis, ubi primùm inventa sunt fuerunt vocata. 130 In quibus ludi ac dies festi celebrantur. *Theatra* autem, cùm ludi fiebant, aulæis ornabantur. 131 Continuatione. 132 Immisce. 133 Interfecerat. 134 Subitò nati. 135 Eodem propè modo infrà: *Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres, Civilique cadunt acie.* 136 Percutiebant. 137 Terram, quòd ea sit communis omnium parens, ex qua fratres hi paulo ante nati. 138 Superviventibus. Omnes enim viri illi armati mutuis vulneribus ceciderunt, præter hos quinque, Idæum, Chthonium, Pelorum, Hyperenorem, & Echionem: quos quidem Cadmus socios urbis condendæ habuit. Hi verò etiam σπαρτοὶ, i. *Seminati* fuerunt appellati. Σπείρω Græcè sero. 139 Echion. 140 Palladis. 141 Cadmus Phœnix. Nam *Sidon* urbs est Phœniciæ, unde fit *Sidnius*. 142 Thebas Bœotias. 143 Apollinis oraculis.

Actæon in Cervum. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Diana cum in valle Gargaphiæ æstivo tempore fatigata ex assidua venatione se ad fontem perlueret, Actæon Aristæi & Autonoës filius, eundem locum petens ad refrigerandum se & canes, quas exercuerat, cervos persequens; in conspectum Deæ incidit, qui ne eloqui posset, habitus ejus in cervum conversus est, ita ut pro fera suis canibus laceratus sit.

Jam

JAm [1] ſtabant Thebæ: poteras jam, [2] Cadme, videri
Exſilio fœlix. Soceri tibi [3] Marſque Venuſque
Contigerant: huc adde [4] genus de [5] conjuge tantâ,
Tot natos, nataſque, & pignora cara nepotes;
Hos quoque jam juvenes. Sed ſcilicet [6] *Ultima ſemper*
Exſpectanda dies homini: dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.
[7] Prima [8] nepos inter res tot tibi, Cadme, ſecundas
Cauſa fuit luctûs, [9] alienaque cornua fronti
Addita, voſque canes ſatiatæ ſanguine [10] herili.
At bene ſi quæras; Fortunæ [11] crimen in [12] illo,
Non ſcelus invenies: quod enim ſcelus error habebat?
Mons erat, infectus variarum [13] cæde ferarum:
Jamque dies rerum medias [14] contraxerat umbras;
Et Sol ex æquo meta diſtabat utrâque;
Cùm juvenis placido per devia luſtra vagantes
Participes operum compellat [15] Hyantius ore:
[16] Lina [17] madent, comites, ferrumque cruore ferarum:
Fortunæque dies habuit ſatis. Altera lucem
Cùm [18] croceis invecta rotis Aurora reducet;
Propoſitum [19] repetamus opus: nunc Phœbus utrâq;
Diſtat [20] idem terra; finditque [21] vaporibus arva.
[22] Siſtite opus præſens: nodoſaque tollite [23] lina.
Juſſa viri faciunt; [24] intermittuntque laborem.
[25] Vallis erat [26] piceis & [27] acutâ denſa cupreſſu;

1 Erectæ, exædificatæque erant. 2 Apoſtrophe ad Cadmum, ut ſeriem ſequentium fabularum connectat. Hoc enim Poëma perpetuum eſſe debuit; Græces κυκλικὸν; ita illud ipſemet appellavit; Lib. 1. *Ad mea* perpetuum *deducite tempora carmen*: ideoque omnes fabulas ſibi invicem connexas poſuit: vide Spicilegium. 3 Uxorem enim Hermionem duxit Cadmus, Martis Venèriſque filiam. 4 Progeniem. 5 Quanta eſt Hermione, Martis & Veneris filia. Hermione quidem ab aliis Menelai & Helenæ filia nominatur. 6 Sententia eſt Solonis philoſophi, quâ Crœſi, Lydorum regis, divitias ſugillavit. Cum enim Crœſus ſe felicem eſſe jactaret; neminem antè ſupremum diem rectè felicem dici poſſe Solon admonuit. Cujus ſententiæ Crœſus memor, cùm à Cyro Perſarum rege foret captus, rogoque impoſitus, Solonem appellavit, dicens. *O Solon, Solon*, q. d. quàm vera mihi dixiſti. Cyrus verò cùm eam accepiſſet ſententiam, Crœſum non ſolùm liberavit, ſed etiam in maximo honore habuit. 7 Actæon, Ariſtæi & Autonoës filius, venando feſſus, cum opacum quæreret locum, fortè ad fontem pervenit, ubi ſe Diana nuda cùm comitibus abluebat, quæ irata eum ſtatim in cervum mutavit, ne cui unquam à ſe Dianam nudam fuiſſe viſam jactare poſſet: ac tùm pro fera à canibus ſuis laceratus eſt. Hoc ideò fingitur, quia Actæon venationi admodum fuit deditus, totumque patrimonium, canes alendo, conſumpſit. Alii aliter conjiciunt. 8 Actæon. 9 Cervina. 10 Heri veſtri Actæonis. *Canes* heic genere fæmineo; κύων Græcis, ſi de *venaticâ* accipitur ſemper eſt fæminea, ita quoque apud *Horatium* ſemper, aliosque quàm ſæpiſſimè legitur. Vide not. *Heinſi.* in loc. 11 Caſu enim offendit Dianam. 12 Actæone. 13 Sanguine: antecedens enim pro conſequenti poſitum eſt. 14 Corripuerat & abbreviaverat. 15 Thebanus. *Hyantes* enim populi ſunt Bœotiæ. 16 Metonymia materiæ *Lina* enim, ex quibus retia conficiuntur, pro ipſis retibus ponuntur. 17 Madefacta ſunt. 18 Croceo & pulchro curru. Pars pro toto. 19 Cras, adveniente Aurorâ, ad venationem redibimus. 20 Sc. *ſpatium*, i. Jam meridies eſt. 21 Fervoribus. 22 Stare facite, i. præſenti operi finem imponite. 23 Sic infra: *Nec lina ſequi nodoſa ſinebam.* 24 Uſque in diem ſequentem venandi laborem deponunt. 25 Vallis deſcriptio, quò ſe Diana per meridiem cum ſuis comitibus conferre ſolebat. 26 Pinubus; pix n. eſt gummi è pinu deſudans, primo liquidum, poſtea coctione longâ dureſcit. 27 In acutum tendente.

Nomine Gargaphie, [28] ſuccinctæ [29] ſacra Dianæ:
Cujus in extremo eſt antrum [30] nemorale receſſu,
Arte laboratum nulla; ſimulaverat artem
Ingenio natura ſuo. Nam [31] pumice vivo
Et levibus [32] tophis [33] nativum [34] duxerat arcum.
Fons ſonat à dextra [35] tenui perlucidus unda,
Margine gramineo patulos [36] incinctus [37] hiatus.
[38] Hic [39] Dea ſylvarum venatu feſſa ſolebat
Virgineos artus liquido [40] perfundere [41] rore.
[42] Quò poſtquam [43] ſubiit; Nympharum tradidit uni
Armigeræ jaculum, pharetramque, arcuſque [44] retentos.
[45] Altera depoſitæ ſubjecit brachia pallæ.
[46] Vincla duæ pedibus demunt. Nam doctior illis
[47] Iſmenis Crocale, ſparſos per colla capillos
Colligit in nodum; quamvis erat ipſa ſolutis.
Excipiunt [48] laticem [49] Nepheleque, [50] Hyaleque, [51] Rhaniſque,
Et [52] Pſecas, & [53] Phiale; funduntque capacibus urnis.
Dumque ibi perluitur ſolita [54] Titania lympha;
Ecce [55] Nepos Cadmi [56] dilata parte laborum
[Per nemus ignotum non certis paſſibus errans]
Pervenit in lucum: ſic illum fata ferebant.
[57] Qui ſimul intravit [58] rorantia fontibus antra;
Sicut erant, viſæ nudæ ſua pectora Nymphæ
Percuſsêre viro: ſubitiſque ululatibus omne
Implevere nemus: [59] circumfuſæque Dianam
Corporibus texere ſuis. Tamen altior illis
Ipſa Dea eſt, Colloque tenus ſupereminet omnes.
[60] Qui color [61] infectis adverſi Solis ab [62] ictu
Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ Auroræ;
Is fuit in vultu viſæ ſine veſte Dianæ.
Quæ quanquam comitum turbâ [63] ſtipata ſuarum,
[64] In latus obliquum tamen adſtitit: [65] oraq; retro

28 Agilis & induſtriæ, quòd ſuccincta veſte venatur. 29 Conſecrata. 30 Nemoribus tectum. 31 Naturali. *Pumex* autem lapis eſt levis, cavernoſus, poliendis rebus accommodatus. 32 *Tophus* eſt genus lapidis aſperi, qui facilè in arenam reſolvitur. 33 Naturalem 34 Effecerat. 35 Exigua aqua. 36 Circumdatus. 37 Patentes ripas: *hiare* enim videntur *ripæ*, ut fluvii alveum efficiant. 38 In hac valle. 39 Diana. 40 Madefacere. 41 Aqua. 42 In quam vallem. 43 Ingreſſa eſt. 44 Remiſſos: à *retendo*. 45 Altera accepit pallam veſtem à Diana depoſitam. 46 Calceos, vel cothurnos. 47 Deſcribit autem officia comitum Dianæ. Crocale Iſmeni filia. 48 Aquam, à *latendo*, quòd in terræ venis lateat. Scitè finxit Poëta Nympharum nomina ex convenientia rei quam narrat. 49 Nubiloſa, νεφέλη Græcis *nubes*. 50 Pellucida quaſi: nam ὕαλος eſt vitrum. 51 Quæ aſpergit, à verbo ῥαίνω. 52 Sic dicta à guttula roris, Græce ψεκάς 53 Nomen videtur mutuatum à φιάλη phiala, vel urna. 54 Diana. 55 Actæon. 56 Dilata partè venationis in diem ſequentem. Proximum verſum tollendum eſſe putat Heinſius. 57 Qui poſtquam ingreſſus eſt. 58 Madentia. 59 Undique cingentes Dianam, corpora ſua oppoſuere ne illa nuda appareret. 60 Dianæ colorem maximè fuiſſe rubicundum oſtendit. 61 Tinctis. *Inficere* enim tingere eſt: undè *infectores* dicuntur tinctores. 62 Radiis. 63 Circumdata. *Stipari* autem dicuntur principes, qui cuſtodiæ cauſa ſatellitio cinguntur: item, qui amicorum, clientum, comitumve turba ſepiuntur. *Stipare* propriè eſt denſare, rimas obturare, claudendo coarctare: à *ſtipâ* dictum, i. lini purgamento, quod in ſtipandis navium rimis ſolet adhiberi. Hinc *Stipatores* appellati ſunt, qui *ſtipam*, i. e. *ſtupam* componunt Item ſatellites, quos principes corporis cuſtodiæ cauſa ſibi adhibent 64 Se in latus convertit, ut facilius pudenda occultaret. 65 Ut Actæonem reſpiceret.

Flexit:

Flexit: & ut vellet promptas habuisse sagittas;
Quas habuit, sic [66] hausit aquas: vultumque virilem
Perfudit: spargensque comas ultricibus undis,
[67] Addidit hæc [68] cladis prænuntia verba futuræ:
[69] Nunc tibi me posito visam velamine narres,
[70] Si poteris narrare, licet. Nec plura minata,
Dat sparso [71] capiti [72] vivacis cornua cervi;
[73] Dat spatium collo: summasque [74] cacuminat aures:
Cum pedibusque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus, & velat [75] maculoso vellere corpus.
Additus & [76] pavor est, fugit Autoneïus heros,
Et se tam celerem cursu miratur in ipso.
[Ut verò solitis sua cornua vidit in undis.]
Me miserum! dicturus erat; vox nulla secuta est.
Ingemuit; vox illa fuit; lacrymæque per ora
[77] Non sua fluxerunt. Mens tantum [78] pristina mansit.
Quid faciat? [79] Repetatne domum regalia tecta?
An lateat sylvis? [80] Timor hoc, [81] pudor impedit illud.
Dum dubitat; videre canes: primusque [82] Melampus.
[83] Ichnobatesque [84] sagax latratu signa dedere;
[85] Gnossius Ichnobates, [86] Spartanâ gente Melampus,
Indè ruunt alii rapidâ velociùs aurâ,
[87] Pamphagus, & [88] Dorceus, & [89] Oribasus; Arcades omnes;
[90] Nebrophonosque valens, & [91] trux [92] cum Lælape [93] Theron,
Et pedibus [94] Pterelas, & naribus utilis [95] Agre,
[96] Hylæusque fero nuper percussus ab apro,
Deque lupo concepta [97] Nape, pecudesque secuta

66 Tanta ira Diana hausit & accepit aquas, quibus Actæonem perfunderet, quanta sagittas promptas ac paratas habere voluisset. 67 Dixit. 68 Calamitatis. 69 Ordo est & sensus: Nunc licet narres me visam tibi sine velamine, i. nudam. Acerba Ironia est, quâ videtur id permittere Diana, cujus prorsus adimit faciendi facultatem. Illum enim in cervum mutavit, qui loqui non potest. 70 Q. d. Nunquam narrare poteris. 71 Resperso aquis. 72 Diu viventis: ad quadringentos enim annos cervi vivere dicuntur. 73 Longum efficit collum. 74 Acutas reddit. 75 Vario pilo. 76 Qui cervis proprius est. 77 Sed cervi. 78 Et hoc in aliis quos Poëta noster mutatos dicit videre licet, utpote gravissimum supplicium. 79 Redeat. 80 Ne in sylvis lateat. 81 Ne domum redeat. 82 Canes Actæonis enumerat, quibus etiam nomina apta venatoriis canibus imponit. *Melampus* enim dicitur quòd *pedes nigros* haberet: μέλας enim *niger*, & πȣ̃ς ποδὸς pes dicitur. 83 Id est, *per vestigia vadens*: ἴχνος enim dicitur *vestigium*, & βαίνω *vado*. 84 Odorus, vel acrem oderandi vim habens. Proprie enim canes *sagaces* dicuntur. Per similitudinem tamen accipitur pro callido & solerti. Hinc *sagacitas* i. acuta illa sentiendi vis in canibus & odoratu aliquid prehendendi. Per simili: pro astutia. 85 Cretensis. *Gnossus* enim Cretæ urbs fuit clarissima. 86 Laconicâ. 87 *Omnia comedens*: πᾶν enim *omne* significat, & φάγω, *comedo*. 88 *Acutè videns*: δέρκω enim est *video*. 89 *Montes ascendens*: ὄρος enim *mons* dicitur, & βαίνω *ascendo*. 90 *Hinnulos*, i. cervorum catulos, *interficiens*: νεβρὸς enim *hinnulum* significat & φονέω *interficio*. 91 Terribilis aspectu. 92 A *velocitate* atque *impetu* sic est appellata: nam λαίλαψ, λαίλαπος *turbinem* significat. 93 Quasi θηρεύων; i. e. *venando prosequens*; *curiosè vestigans*; θηρεύειν, *vestigare*, *venari*. 95 *Alis impulsus*: πτερὸν enim *ala*, & ἐλᾶν *impellere* significat. 95 *Venatio* exponitur ἄγρα. 96 *Sylvestris*: ὕλη *sylvam* significat. 97 Quod in *saltibus* versaretur: νάπη dicitur terræ planities.

98 Pœmenis,

[98] Pœmenis, & natis comitata [99] Harpyia duobus;
Et [100] substricta gerens Sicyonius [101] ilia Ladon:
Et [102] Dromas, & [103] Canace, [104] Sticteque, & [105] Tigris, & [106] Alce,
Et niveis [107] Leucon, & villis [108] Asbolus atris,
Prævalidusque [109] Lacon, & cursu fortis [110] Aëllo,
Et [111] Thous, & Cyprio velox cum fratre [112] Lycisce:
Et nigram medio frontem distinctus ab albo
[113] Harpolos & [114] Melaneus, hirsutaque corpore [115] Lachne:
Et patre [116] Dictæo, sed matre Laconide nati,
[117] Labros & [118] Agriodos, & acutæ vocis [119] Hylactor;
[120] Quosque referre mora est. Ea turba cupidine prædæ
Per rupes, scopulosque, adituque carentia saxa,
Quâ via difficilis, quaque est via nulla, feruntur.
[121] Ille fugit, per quæ fuerat loca sæpe [122] secutus.
Heu famulos fugit ipse suos! clamare libebat,
[Actæon ego sum: dominum cognoscite vestrum:]
Verba animo desunt: resonat latratibus æther.
Prima [123] Melanchætes in tergo vulnera fecit,
Proxima [124] Theridamas; [125] Oresitrophus hæsit in armo.
Tardius exierant; sed per [126] compendia montis
[127] Anticipata via est: dominum retinentibus illis
Cætera turba coït, confertq; in corpore dentes.
Jam loca vulneribus desunt. Gemit ille, sonumque
Et, si non hominis, [128] quem non tamen edere possit
Cervus, habet: mœstisque replet [129] juga nota querelis,
Et genibus supplex pronis, [130] similisq; roganti

98 *Pastoralis*: ποιμὴν enim est *pastor*. 99 *Rapax*, & Harpyiarum similis, quæ aves sunt rapacissimæ. 100 Constricta & parva. 101 A *Ladone* fluvio Arcadiæ nomen sumpsit hic canis. *Sicyonius* autem à *Sicyone* urbe Peloponnesi. 102 *Currens*: δρόμος enim *cursus* est. 103 Καναχὴ *strepitum* significat: unde nomen cani fuit inditum, quod ejus latratu omnia resonarent. 104 Hæc à *colorum varietate* nomen sumpsit. Nam ςικτὴ *distincta variis maculis* dici potest, ἀπὸ τοῦ ςίζειν, à *distinguendo*. 105 *Tigridi* similis, quæ est fera velocissima. 106 Similis *Alcæ*, feræ velocissimæ. Ἀλκὴ *robur*. 107 *Albus*, à colore: λευκὸς *albus*. 108 A colore sic dictus: ἄσβολος enim *fuliginem* significat, quòd *nigris villis* ac *fuliginosis* esset. Undè dicit, *villis atris*, i. pilis nigris. 109 A patria quòd *Laconicus* esset. 110 A *procellâ* quòd esset *impetuosus*. Ἀέλλα enim turbinem significat, & *procellam*. 111 *Velox*. 112 Canis ex lupo nata. *Lycisca*, quasi *parva lupa*. Est enim diminutivum à *lupo*, qui Græcè dicitur λύκος. 113 *Rapax*: ἁρπάζω *rapio*. 114 *Niger*. 115 Verbum de verbo expressit. Λάχνη enim villorum densitas vocatur. 116 Cretensi. 117 *Vehemens*. 118 *Ferox*, *sive rusticos habens dentes*; ἄγριος, n. *rusticus*, *ferus*; ὀδοὺς, *dens*. 119 *Latrator*; nam ὑλακτέω *latro* significat. 120 Sic alibi: *Et quos præterea longa referre mora est.* Alio modo dicitur: Longum est recensere, persequi, enumerare, dicere. Dicere infinitum est: Longum est commemorare. 121 Actæon in cervum mutatus 122 Sc. *canes suos*. 123 *Pilus habens nigros*: χαίτη *pilus*. 124 *Feras domans*. Nam θὴρ, θηρὸς *fera* dicitur, & δαμάζω *domo*. 125 In *montibus nutritus*: ὄρος *mons*, & τρέφω est *nutrio*. 126 Per compendiosa & brevia montis itinera. 127 Citius in *Actæona* inciderunt. 128 Nec hominis vocem, nec cervi habet, sed dissimilem emittebat sonum, ac querelas. 129 Cognitos ipsi montes, aut montis vertices, per quos antea sæpissimè venabatur. *Jugum* enim sæpius est vertex, sive cacumen montis. Virg. *Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit.* 130 Ad terram inclinatis.

[131] Circum-

[131] Circumfert tacitos, tanquam sua brachia, vultus.
At [132] comites rapidum solitis [133] latratibus [134] agmen
Ignari [135] instigant, oculisque Actæona quærunt;
Et velut absentem certatim Actæona clamant.
Ad nomen caput [136] ille [137] refert: ut abesse queruntur,
Nec capere oblatæ segnem spectacula prædæ.
Vellet abesse quidem; sed adest: velletque videre,
Non etiam sentire, canum fera facta suorum.
Undique circumstant: mersisq; in [138] corpore [139] rostris
Dilacerant [140] falsi dominum sub [141] imagine cervi.
[Nec, nisi finitâ per plurima vulnera vitâ,
Ira [142] pharetratæ fertur satiata Dianæ.]

131 Pro manibus & brachiis, quæ in crura fuerant mutata, vultus ac faciem circumferebat. 132 Actæonis socii. 133 Clamoribus. 134 Canum multitudinem. 135 Incitant. 136 Actæon. 137 Retrahit, attollit caput, simul ac nomen suum nominari audit. 138 In carne. 139 Oribus: nam *rostra* propriè avium dicuntur; per similitudinem verò etiam navium. 140 Ficti, non nati. 141 Specie, similitudine. 142 Pharetrâ ornatæ. *Pharetra* est sagittarum theca sive repositorium. Duos postremos versus esse spurios rythmi indicant Gothicum n. hoc, & barbarum: vidit Heinsius, eosque sustulit, ratione tamen nullâ adhibitâ, cum res per se satis esset manifesta.

Bacchus femori Jovis insutus. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Juno suspectam Semelen Cadmi & Hermionæ filiam cùm haberet, quod cum Jove concubuisset; in anum est conversa, ut se fallaciæ sine invidia cujusquam ulcisceretur, ad eamque pervenit. Persuadet autem ei, ne alio Jovem apparatu recipiat ad cubile, quàm quo solitus sit apparere Junoni: quo ut illius auctoritas gravis, ita quoque ipsius concubitus insignis esset. Quod cùm impetrasset, Deus instructus tonitribus ac fulminibus, domum Semeles ingressus est: tecta ejus deceptæ optatis flamma adurit, Liberumque conceptum utero gravidæ, incendio eripit, ac femore insuit suo. Postea eum completis mensibus, Nymphis, quæ Nysam montem Indiæ incolebant, clam tradidit nutriendum.

[1] RUmor in ambiguo est: aliis [2] violentior [3] æquo
Visa [4] Dea est: alii laudant, dignamque severa
Virginitate vocant: pars invenit utraq; [5] caussas.

1 Quæritur utrùm Diana justè Actæonem ea pœna affecerit. Multi quidem dicunt eam fuisse nimiùm crudelem; alii rectè consuluisse virginitati suæ asserunt. 2 Crudelior. 3 Quàm par est, deceat. 4 Diana. 5 Argumenta, quibus utraque pars suam defendat opinionem.

Sola Jovis [6] conjux non tam [7] culpetne [8] probetne
[9] Eloquitur; quam clade domûs ab Agenore ductæ
Gaudet: & à [10] Tyriâ collectum pellice transfert
In generis socios odium. [11] Subit ecce priori
[12] Caussa recens; gravidamque dolet de semine magni
Esse Jovis [13] Semelen. Tum linguam ad [14] jurgia solvit.
Profeci quid enim toties per jurgia? dixit.
[15] Ipsa petenda mihi est: ipsam, si maxima Juno
Rite vocor, [16] perdam; si me [17] gemmantia dextrâ
Sceptra tenere decet; si sum regina, Jovisque
Et [18] soror, & conjux, [19] certe [20] soror. At puto furto
Contentam; & thalami brevis est injuria nostri.
Concipit; id deerat: manifestaque crimina pleno
Fert utero: & mater, [21] quod vix mihi contigit uni,
De Jove vult fieri. Tanta est fiducia formæ.
Fallat eam [22] faxo: [23] nec sum Saturnia; si non
Ab Jove [24] mersa [25] suo Stygias [26] penetrarit in undas.
Surgit [27] ab his solio fulvâque recondita nube
[28] Limen adit Semeles: nec nubes antè removit,
Quàm simulavit [29] anum: posuitque ad tempora canos:
[30] Sulcavitque cutem [31] rugis: & curva trementi

6 Juno. 7 Damnet. 8 Laudet. 9 Verbis exprimit. 10 Ab Europâ, quam è Phœniciâ rapuit Jupiter. *Pellex* autem propriè dicitur, quæ cum aliarum maritis rem habet. 11 Succedit. 12 Juno cùm rescivisset Semelen, Cadmi & Hermiones filiam, ex Jove concepisse eam perdere decrevit. Conversa igitur in Beroën, Semeles nutricem, ei persuadet, ne post hac aliter Jovem in amplexus admittat, quam si secum eo modo, quo cum Junone solet, concumbere promittat, ut, an sit Jupiter, apertè cognoscat. Quod cùm Semele à Jove impetrasset, neque vim tonitruum & fulminum tolerare posset, extincta est. Puerum verò Bacchum nondum maturum, cæso matris utero, Jupiter excepit, ac femori suo insutum, donec menses novem complerentur, fovit. Posteà verò Nymphis tradidit nutriendum, unde & *Dithyrambus* fuit appellatus, quòd διὰ δύο θυρῶν, i. *per duas januas*, & Semeles uterum & Jovis femur, transierit. 13 Cadmi filiam, & Hermiones, quæ ex Jove Bacchum generavit. 14 Convitia, contentiones, lites. Sic *Sallust. in Catil.* Postremò dissimulandi caussa, & quasi sui expurgandi, sicuti *jurgio* lacessitus foret, in Senatum venit. 15 Semele. 16 Occidam, perimam. Ter. Dii te *perdant*. Aliquando *perdere* est amittere. Item corrumpere, & malis moribus inficere. 17 Instar gemmæ resplendentia. 18 Est enim Juno aër, & dicitur *soror*, quia iisdem seminibus, quibus cœlum, etiam aër est procreatus: *conjux*, quia aër subjectus est cœlo. 19 Saltem. 20 Hoc ita à Junone infertur, ac si *conjux* esse desierit, cùm Jupiter alias amet. 21 Ut de Jove conceperim. Vulcanum enim ex Jove suscepit Juno. Et sic locus obscuritatis nonnihil habet. Nam & aliæ multæ ex Jove conceperunt, non Juno. Vide igitur num *uno* legendum sit, & ad sequentem casum referendum. Fallitur tamen heic, ut & aliàs sæpius, Minellius; ex Heinsianâ recensione liquet *uni* non *uno* in optimis membranis reperiri; sensus n. hic est, Semele optat de Jove mater fieri, quæ tamen pellex est; mihi autem *soli* id est difficile, quæ conjux, &c. sum; pellicibus autem quàm facillimum. 22 Efficiam ut Jupiter Semelen decipiat. 23 Ita Silius lib. 9.

Non sum equidem Sulmone satus ----
-------- Si evadere detur
Huic nostras impunè manus.

24 Perdita. 25 Jove tam sibi charo. 26 Descenderit. 27 Post hæc dicta. 28 Domum. 29 Vetulam, sc. Beroën, Semeles ipsius nutricem. 30 Alibi, *Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.* Et: *Jamque meos vultus ruga senilis arat.* 31 Ruga est contractio cutis in plicas, & quosdam quasi sulcos: cujusmodi in senibus & vetulis conspici solent.

Membra tulit paſſu vocem quoque fecit anilem
Ipſaque fit Beroë, Semeles [32] Epidauria nutrix.
Ergò ubi, captato ſermone, diuque loquendo,
Ad nomen venere Jovis; ſuſpirat; & Optem
Jupiter ut ſit, ait; metuo tamen omnia. Multi
Nomine Divorum thalamos iniêre pudicos.
Nec tamen eſſe Jovem ſatis eſt: det pignus amoris;
Si modò verus is eſt: [33] quantuſq; & qualis ab altâ
Junone excipitur; tantus, taliſque rogato
Det tibi complexus: ſuaque ante [34] inſignia ſumat.
Talibus [35] ignaram Juno [36] Cadmeïda dictis
[37] Formârat. Rogat [38] illa Jovem ſine nomine munus:
Cui [39] Deus, Elige, ait: [40] nullam patiere repulſam.
Quoque magis credas; [41] Stygii quoque conſcia ſunto
Numina torrentis: [42] timor, & Deus ille Deorum
Læta malo, nimiumq; petens, perituraq; [43] amantis
Obſequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,
Te ſolet amplecti, Veneris cùm fœdus initis,
Da mihi te talem. Voluit Deus ora loquentis
[44] Opprimere. Exierat jam vox [45] properata ſub auras.
[46] Ingemuit: [47] neque enim non [48] hæc optaſſe, neque [49] ille
Non juraſſe poteſt. Ergò mœſtiſſimus altum
Æthera conſcendit; nutuque ſequentia traxit
Nubila: quîs nimbos, immiſtaq; fulgura ventis
Addidit, & tonitrus, & inevitabile fulmen.
[50] Quà tamen uſque poteſt, vires ſibi demere tentat.
Nec, quo centimanum dejecerat igne [51] Typhœa
Nunc armatur [52] eo: nimium [53] feritatis in [54] illo:
[55] Eſt aliud levius fulmen; Cui dextra Cyclopum
Sævitiæ, flammæque minus, minus addidit iræ;
Tela ſecunda vocant ſuperi: capit illa; [56] domumq;
Intrat Agenoream, corpus mortale tumultus
Non tulit æthereos; doniſque [57] jugalibus arſit.
[58] Imperfectus adhuc infans [59] genitricis ab [60] alvo
Eripitur, patrioque tener (ſi credere dignum)
Inſuitur [61] femori; maternaque [62] tempora complet.

32 Ex Peloponneſo in quo urbs Epidaurus. Hic fuit Æſculapii templum. 33 Cum tanta majeſtate, qua ſe verum Jovem probet, quantam cum Junone congreſſurus præ ſe fert. 34 Sua ſigna & notas, quibus ab aliis Diis diſtinguitur: quæ ſunt fulmina; nam fulmen Jovis eſt inſigne. 35 Neſciam ſe decipi à Junone. 36 Semelen Cadmi filiam. 37 Informaverat, inſtruxerat. 38 Semele. 39 Jupiter. 40 Non rejiciam tuam petitionem. 41 Stygis paludis. 42 Nam Dii (ut ait Virgilius) per Stygem jurare timent, ne fortè pejerantes divinitate priventur. Vide ſupra fabul. Phaëthontis. 43 Jovis. 44 Obſtruere, obturare, ne petitioni finem imponere poſſet. 45 Celeriter prolata. Nam *Neſcit vox miſſa reverti.* Horat. 46 Jupiter. 47 Fieri non poteſt, ut & Semele non petierit ea, quæ petiit: & Jupiter non promiſerit ea, quæ ſe jam præſtiturum juravit. Præterita enim ut non fuerint, nullâ ratione effici poteſt. 48 Semele. 49 Jupiter. 50 In quantum poteſt Jupiter, ſuas vires diminuit. 51 Gigantem vaſtiſſimum centum habentem manus, quem Jupiter fulmine ſtravit; is quoque aliquando *Briareus* appellatur. 52 Fulmine ſeu igne. 53 Violentiæ. 54 Igne ſeu fulmine. 55 Duo ſunt fulminum genera, violentius, & minùs violentum. 56 Domum Semeles, Agenoris nepotis. 57 Conjugalibus, quas Jupiter illi dotis nomine conceſſerat. 58 Qui poſteà Bacchus fuit appellatus. 59 Matris Semeles. 60 Utero. 61 Femori patris ſui Jovis. *Femora* autem ſunt coxarum ſummitates ubi coxæ ipſæ junguntur. 62 Menſes novem quibus in utero à matribus geſtantur infantes.

[63] Furtim [64] illum primis [65] Ino matertera cunis
Educat. Inde datum Nymphæ [66] Nyſeides antris
Occuluere ſuis; lactiſque alimenta dedere.

63 Clam. 64 Bacchum. 65 *Ino* Cadmi fuit filia, ac Semeles ſoror, quæ Bacchum ex Jovis ſemore eductum, clam Junone nutrivit. 66 A *Nysâ*, *Cithæronis* vertice, *Nyseïdes* dictæ ſunt Nymphæ, quæ Bacchum nutriverunt. Unde *Dionyſus* (ἀπὸ τȣ̃ διὸς, & *Nyſa*) Bacchus appellatus fuit.

Tireſias in augurem. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Jupiter cum Junone jocoſiùs, omiſſis omnibus jurgiis, referens in conjunctione majorem capere fœminas quàm viros voluptatem, Tireſiam judicem adeundum cenſuit, qui utramque naturam maris & fœminæ fuerat expertus. Nam quodam tempore cùm ſerpentes concubitu hærentes baculo percuſſiſſet, in mulierem verſus fuerat, ac rurſus poſt ſeptem annos eadem uſus ratione ac tactu, in virum ceſſerat. Qui cùm Jovis ſententiam tutatus eſſet; damnata Juno luſum in iracundiam vertit, ac Tireſiam luminibus orbavit. Pro quà injuria, quod majus eſſet, Jupiter futurorum ſcientiam ei tribuit.

DUmque [1] ea per terras fatali lege geruntur;
Tutaque [2] bis geniti ſunt incunabula Bacchi:
Fortè Jovem memorant diffuſum [3] nectare curas
Seposuiſſe graves, [4] vacuâque agitaſſe remiſſos
Cum Junone jocos: &, Major veſtra profectò eſt,
Quàm quæ contingit maribus, dixiſſe, voluptas.
[5] Illa negat. Placuit quæ ſit ſententia [6] docti
Quærere Tireſiæ. [7] Venus huic erat utraque nota.
Nam duo magnorum viridi coëuntia ſylvâ
Corpora ſerpentum baculi [8] violaverat ictu:
Deque viro factus ([9] mirabile) fœmina, ſeptem

1 Jupiter cum Junone jocando, omiſſis omnibus jurgiis, referens in conjunctione majorem capere fœminas, quàm viros, voluptatem, Tireſiam judicem adeundum cenſuit, qui utramque naturam maris ac fœminæ fuerat expertus. Nam quodam tempore, cum ſerpentes concubitu hærentes baculo percuſſiſſet, in mulierem verſus fuerat. Rurſuſque cum eoſdem ſerpentes verberaſſet, in priſtinum ſexum reverſus eſt. Cæterum Tireſias ab Jove Junoneque contendentibus, utrius major in coïtu voluptas ſit, maris an fœminæ, judex electus, majorem eſſe fœminæ voluptatem affirmavit. Quâ ſententia Juno irata, illum occæcavit. Jupiter verò pro oculis ademptis ei futurorum præſcientiam conceſſit. 2 Primùm enim ex utero Semeles, deinde ex femore Jovis natus eſt Bacchus. Undè etiam *Dithyrambus* eſt dictus: quia διὰ δύο θυρῶν, i. *per duas januas*, ut diximus, exivit, & per uterum Semeles, & per femur Jovis. 3 Vino ſuavi. Eſt enim *Nectar* Deorum potio ſuaviſſima. 4 Otioſa & ira carente. 5 Juno. 6 Periti illius quæſtionis. *Tireſias* enim eum forte duos angues coëuntes virgâ percuſſiſſet, in fœminam fuit mutatus, ac ſeptem annos in eo ſexu duraſſe fertur. 7 Amor utriuſque & viri & fœminæ. Metonymia efficientis. 8 Percuſſerat baculo. 9 Sc. dictu.

Egerat [10] autumnos. [11] Octavo rursus [12] eosdem
Vidit, &, Est vestræ si tanta potentia plagæ,
Dixit, ut [13] auctoris [14] sortem in contraria mutet:
Nunc quoque vos feriam. Percussis anguibus îsdem,
[15] Forma prior rediit; [16] genitivaque venit imago.
[17] Arbiter [18] hic igitur sumtus de lite jocosâ,
Dicta Jovis firmat. Gravius [19] Saturnia [20] justo,
Nec pro [21] materiâ [22] fertur [23] doluisse: [24] suique
Judicis [25] æternâ damnavit lumina nocte.
At [26] pater omnipotens ([27] neque enim licet irrita cuiquam,
Facta Dei fecisse Deo) pro lumine ademto
Scire [28] futura dedit: pœnamque [29] levavit honore.

10 Annos. 11 Sc. anno. 12 Serpentes. 13 Effectoris vestræ plagæ. 13 Naturam & sexum. 15 Virilis. 16 Nativa, quam in nativitate habuit Tiresias, i. mascula. 17 Judex. 18 Tiresias. 19 Juno Saturni filia. 20 Æquo. 21 Nec secundum materiæ ac rei qualitatem. Res enim jocosa erat, ideòque Juno Tiresiæ sententiam ægrè ferre non debebat. 22 Dicitur. 23 Irata fuisse. 24 Oculos Tiresiæ judicis electi. 25 Perpetuâ cæcitate. 26 Jupiter. 27 Hæc verba causam continent, quare Jupiter Tiresiæ oculos non restituerit. Non enim licet cuiquam Deo alterius Dei facta rescindere. 28 Fecit Vatem, vel Augurem. 29 Levem fecit.

Echo in vocem. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Liriope Nympha ex amne Cephiso procreavit Narcissum, cui Tiresias Everi filius omnia prospera pollicitus est, si pulchritudinis suæ nullam habuisset notitiam. Hunc igitur Echo cùm diligeret, neque ullam viam potiundi inveniret; curâ & solicitudine juvenis, quem extremis vocibus persequebatur fugientem, extabuit, ejusque reliquiæ corporis in lapidem conversæ sunt: quod ei incidit Junonis ira, quia garrulitate suâ eam sæpe esset morata, ne Jupiter in montibus persequi Nymphas manifesto deprehendi posset. Fertur Echo filia Junonis: & ob deformitatem montibus erat recondita, ne quid ejus præter vocem inspici posset: quæ tamen post obitum auditur.

[1] ILle per [2] Aonias famâ celeberrimus urbes
[3] Irreprehensa dabat populo responsa petenti.
Prima [4] fide [5] vocisque ratæ [6] tentamina sumsit

1 Tiresias. 2 Bœotias. *Aonia* enim pars est Bœotiæ. 3 Vera, quæ nihil poterant reprehendi. 4 Pro fidei. 5 Concessæ artis vaticinandi. 6 Experimenta.

7 Narcissi in florem ejusdem nominis mutationem referre incipit Poëta. Nam Liriope Nympha, Oceani ac Tethyos filia, à Cephiso flumine compressa, Narcissum peperit, insigni forma juvenem, quem Tiresias vates, consultus à matre, ad maturam senectutem perventurum, *Si se non nosset*, prædixit. Narcissus autem cùm Echo aliasque multas sperneret puellas, seque ipse in fonte vidisset, ita sui ipsius amore exarsit, ut paulatim fuerit consumptus. Ejus verò cadaver cùm Nymphæ rogo imponere vellent, ipsum in florem commutatum animadvertunt, quem à juvenis nomine *Narcissum* vocarunt.

Cærula [7] Liriope: quam quondam flumine curvo
Implicuit; clausæque suis [8] Cephisos in undis
Vim tulit. [9] Enixa est utero pulcherrima pleno
Infantem, Nymphis jam [10] tunc qui posset amari;
Narcissumque vocat. De [11] quo consultus, an esset
Tempora maturæ visurus longa senectæ:
[12] Fatidicus vates, [13] *Si se non noverit*, inquit.
[14] Vana diu visa est vox auguris. Exitus illam,
Resque probat, letique genus, novitasque [15] furoris.
[16] Jamque ter ad quinos unum Cephisius annos
Addiderat: poteratque [17] puer, [18] juvenisque videri:
Multi illum juvenes, multæ cupiere puellæ:
Sed fuit in tenerâ tam dira superbia formâ;
Nulli [19] illum juvenes, nullæ tetigere puellæ.
[20] Aspicit hunc, trepidos agitantem in retia cervos,
[21] Vocalis Nymphe; quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis [22] Echo.
Corpus [23] adhuc Echo, non vox erat: & tamen [24] usum
Garrula non alium, quàm nunc habet, oris habebat;
Reddere de multis ut verba [25] novissima posset.
[26] Fecerat hoc Juno. Quia, cùm deprendere posset
Sub [27] Jove sæpe suo Nymphas in monte jacentes,
[28] Illa [29] Deam longo prudens sermone [30] tenebat,
Dum fugerent Nymphæ. Postquam Saturnia sensit;
Hujus, ait, linguæ, quâ sum delusa, potestas

8 Hoc loco pro Deo ipsius fluminis accipitur. 9 Peperit. 10 Ab infantiâ usque maximam præ se ferebat pulchritudinem Narcissus. 11 Narcisso. 12 Tiresias. 13 Si nunquam suam pulchritudinem cognoverit. 14 Stulta & falsa. 15 Amoris insani. 16 Sexdecim annos natus erat. 17 Propter pulchritudinem. 18 Propter magnitudinem. Erat enim magnus & formosissimus, quæ quidem rara est felicitas. 19 Narcissum. 20 Fabulam interponit de Echo Nymphâ compositam, cui primùm hoc irâ Junonis evenit, ut ultimas tantum de vocibus auditis referret. Deinde cùm à Narcisso, cujus amore ardebat, spreta esset, in lapidem ita fuit mutata, ut vox sine corpore remanserit in montibus, ultima verborum auditorum repetens. 21 Sonoram vocem habens. 22 Verbum de verbo expressit. Nam Echo dici potest *resonantia* seu *sonus reflexus*: Græcè dicitur ἠχὼ. Fit autem, cùm sonus in aliquod corpus concavum impingens, non secùs ac pila reflectitur, ibique auditur: quòd si in diversa ejusmodi corpora concava incidat, variis vicibus audietùr sonus. 23 Nondùm corpus Echûs in lapidem erat commutatum. Nunc enim sola vox sentitur. 24 Quamvis Echo Nympha esset corpore prædita, alium tamen usum linguæ, quam nunc habet, non habebat: nam ultimas solùm voces referebat. 25 Ultima. Non enim audiuntur nisi ultima ferè verba; quia licet fiat reflexio totius vocis, tamen priores ejus partes à consequentibus continuò prolatis turbantur: quare solæ postremæ partes, quarum regressus non impeditur, à nobis percipi possunt. 26 Ut novissima solùm verba referret. 27 Cum Jove marito suo coëuntes. 28 Echo. 29 Junonem. 30 Detinebat.

Parva tibi dabitur, vocisque brevissimus usus.
[31] Reque minas firmat. Tamen hæc in fine loquendi
Ingeminat voces: auditaque verba [32] reportat.
Ergo ubi Narcissum per [33] devia lustra vagantem
Vidit, & [34] incaluit; sequitur vestigia [35] furtim.
Quoq; magis sequitur; flamma [36] propiore calescit.
Non aliter, quàm cùm summis [37] circumlita tædis
Admotam rapiunt [38] vivacia sulfura flammam.
O quoties voluit [39] blandis [40] accedere dictis,
Et [41] molles adhibere preces! [42] natura repugnat,
[43] Nec sinit incipiat: sed quod sinit, illa parata est
Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat.
Forte puer, comitum [44] seductus ab [45] agmine fido,
Dixerat, Ecquis adest? Et, Adest, responderat Echo.
Hic stupet: utque [46] aciem partes divisit in omnes;
Voce, Veni, clamat magnâ: Vocat illa vocantem.
Respicit: & nullo rursus veniente, Quid, inquit,
Me fugis? Et totidem, quot dixit verba, [47] recepit.
Perstat; & [48] alternæ deceptus imagine vocis;
Huc [49] coëamus, ait: Nullique libentiùs unquàm
Responsura sono, Coëamus rettulit Echo:
Et [50] verbis favet ipsa suis; egressaque sylvis
Ibat, ut injiceret sperato brachia collo.
Ille fugit: fugiensque, [51] Manus complexibus aufer:
Antè, ait, emoriar, [52] quàm sit tibi copia nostri:
Rettulit illa nihil, nisi, Sit tibi copia nostri.
Spreta latet sylvis: pudibundaque frondibus ora
[53] Protegit: & solis ex illo vivit in [54] antris.
Sed tamen [55] hæret amor; crescitque dolore [56] repulsæ.
[57] Attenuant [58] vigiles corpus miserabile curæ:
[59] Adducitque cutem macies; & in aëra [60] succus
Corporis omnis abit. Vox tantùm, atque ossa [61] supersunt.
Vox manet. Ossa [62] ferunt lapidis [63] traxisse figuram.
[[64] Inde latet [65] silvis: nullòq; in monte videtur;
Omnibus auditur. Sonus est, qui vivit in illâ.]

31 Re ipsâ & effectu minas exequitur.
32 Repetit & refert.
33 Invias sylvas. 34 Amore illius incaluit. 35 Clam.
36 Eò magis amore ejus inflammata est.
37 Circumuncta. Est autem periphrasis sulfuratorum lignorum.
38 Quæ difficulter corrumpuntur.
39 Verbis blanditiarum plenis, quibus amatores uti consueverunt.
40 Adire.
41 Homines mites mansuetosque reddentes. 42 Neque enim prior loqui poterat, sic volente Junone, sed ultima tantum verba referebat. 43 Nec illam incipere permittit.
44 Separatus.
45 Agmine fidorum comitum. 46 Sc. oculorum
47 Accepit, audivit.
48 Alternatim emissæ, primùm à Narcisso, deinde ab Echo.
49 Conveniamus in hunc locum: sed Echo eandem quidem vocem refert, sed non eandem significationem. Coïre enim non tantùm convenire, sed & concumbere significat: quâ in significatione ab Echo fuit repetitum 50 Sua verba reipsa comprobat & confirmat. 51 Hæc verba conjecturâ eleganti *Narcisso* jam fugienti restituit *Heinsius*: fugientisque & complexum aversantis *Narcissi* verba sunt. 52 Quam me potiri possis, & in tuâ potestate habere. 53 Occultat 54 Desertis speluncis. 55 Remanet nempe in corde. 56 Rejectionis. 57 Extenuant & macilentum reddunt. 58 Quod homines dormire non sinant. 59 Aufert diminuit. 60 Totus sanguis. 61 Restant. 62 Ajunt. 63 In lapides fuisse mutata. 64 Ex eo tempore, quo ossa in lapides fuerunt commutata. 65 In sylvis. Echo sic latet, ut ab omnibus quidem audiatur, sed à nemine videatur.

Narcissus in florem. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Narcissum autem supradictum ob nimiam crudelitatem, quam in Echo exhibuerat, Nemesis ultrix fastidientium, in amorem sui impulit, ut non minore flammâ, atque illa, ureretur: qui cùm ex assidua venatione fatigatus secundùm fontem in opaco procubuisset, & hauriens aquam imaginem sui conspexisset, & ibi diutius moraretur; tandem tabuit, ita ut vitâ privaretur. Ex cujus exuviis flos extitit, quem Naides Nymphæ, flentes casum fratris Narcissi, nomine ejus adnotaverunt.

SIc [1] hanc, sic alias undis aut montibus ortas
[2] Luserat [3] hic Nymphas; sic cœtus [4] antè [5] viriles.
[6] Inde manus aliquis [7] despectus ad æthera tollens,
Sic [8] amet iste licet, sic non potiatur amato.
Dixerat. Assensit precibus [9] Rhamnusia justis.
Fons erat [10] illimis, nitidis [11] argenteus undis,
Quem neque pastores, neque pastæ monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus: quem nulla volucris,
Nec fera turbârat, nec lapsus ab arbore ramus.
[12] Gramen erat circa, quod proximus humor alebat:
[13] Sylvaque, sole lacum passura tepescere [14] nullo.
[15] Hic [16] puer, & studio venandi lassus & æstu,
[17] Procubuit; [18] faciemque loci, fontemque secutus.
Dumque [19] sitim sedare cupit; sitis [20] altera crevit.
Dumque bibit, visæ correptus imagine formæ,
Rem sine corpore amat: corpus putat esse, quod umbra est.
[21] Adstupet ipse sibi: vultuque immotus eodem
Hæret, ut è [22] Pario formatum marmore [23] signum.

1 Echo. 2 Illuserat. 3 Narcissus. 4 Dùm esset puer. 5 Multos viros amore ejus captos illuserat Narcissus. 6 Ex illa Narcissi superbia. 7 Quidam contemtus. 8 Utinam ipse Narcissus sic amare possit, ut nunquam amato potiatur. 9 *Rhamnusia* putabatur sceleratorum arrogantiumve hominum ultrix. Ovidius alibi: *Exiget ac dignas ultrix Rhamnusia pœnas.* Dicta est *Rhamnusia* à *Rhamnunte*: *Rhamnus* autem est pagus & regio Atticæ, ubi celeberrimo templo colebatur. 10 Sine limo. 11 Ut argentum nitidus & splendens. 12 Herba. 13 Sylva adeò densa fonti imminebat, ut Solis radii nequaquam ad fontem penetrare possent. 14 Nullo Solis calore. 15 In hac sylva juxta fontem illum. 16 Narcissus. 17 In faciem humi jacuit; quod lassi in herbosis locis facere solent. 18 Amœnissimum loci situm. 19 Restinguere bibendi cupiditatem. Sic Lucret. *Et sedare sitim prius est, quam pocula natum.* 20 Cupiditas altera. i. amor. Nihil enim aliud est amor, quam cupiditas potiundi re amata. Notandum autem est, *sitim* per Metaphoram dici nimiam rei alicujus aviditatem. Cic. Neque enim unquam expletur, aut satiatur cupiditatis *sitis*: sic dicitur *sitis pecuniæ*, i. nimia pecuniæ aviditas. 21 Sua ipsius pulchritudine stupet Narcissus. 22 *Paros* insula est maris Ægæi, candidissimo marmore nobilis. unde optimum marmor antiquis dicitur marmor *Parium*. 23 Statua.

24 Spectat humi poſitus geminum, ſua lumina ſidus,
Et dignos Baccho, dignos & Apolline crines;
25 Impubeſque genas, & 26 eburnea colla, decuſq;
Oris, & in niveo miſtum candore ruborem;
Cunctaque miratur; quibus eſt mirabilis ipſe.
Se cupit imprudens. Et, qui probat, ipſe probatur.
Dumque petit, petitur: 27 pariterque incendit, & ardet.
28 Irrita fallaci quoties dedit oſcula fonti!
In medias quoties viſum 29 captantia collum
Brachia merſit aquas; nec ſe deprendit in illis!
Quid videat neſcit ſed. Quod videt, uritur illo:
Atque oculos idem, qui decipit, 30 incitat error.
31 Credule, quid fruſtra 32 ſimulacra fugacia 33 captas?
Quod 34 petis, eſt nuſquam: quod amas 35 averte-re, perdes.
Iſta 36 repercuſſæ, quam cernis, imaginis umbra eſt.
37 Nil habet iſta ſui. Tecum venitq; manetq;
Tecum diſcedat; ſi tu diſcedere poſſis.
Non illum 38 Cereris, non illum cura 39 quietis
Abſtrahere inde poteſt. Sed 40 opacâ 41 fuſus in herbâ
Spectat 42 inexpleto mendacem lumine 43 formam:
Perq; oculos perit ipſe ſuos. Paulumq; levatus,
Ad circumſtantes tendens ſua brachia ſylvas;
Ecquis, io 44 ſylvæ, crudeliùs, inquit, amavit?
Scitis enim, & multis latebra 45 opportuna fuiſtis.
Ecquem, cùm veſtræ tot agantur ſecula vitæ,
Qui ſic 46 tabuerit, longo meminiſtis in ævo?
Et placet, & video; ſed quod videoque, placetque,
Non tamen invenio. Tantus tenet error amantem.
Quoq; magis doleam; nec nos mare ſeparat ingens,
Nec via, nec montes, nec clauſis 47 mœnia portis:
Exiguâ prohibemur aquâ. Cupit ipſe 48 teneri.
Nam quoties liquidis porreximus oſcula lymphis;
Hic toties ad me 49 reſupino nititur ore.

24 Narciſſi ſingula membra deſcribit, quò meliùs pulchritudinem ipſius oſtendat. 25 Malas imberbes, ac ſine ullâ prorſus lanugine. 26 Tam candida ut eburnea viderentur. 27 Unà & urit, & uritur. 28 Vana. Nihil enim præter aquam tangebat. 29 Capere & comprehendere conantia: non enim capiebant. *Captare* ergo non ſignificat frequenter capere, ſed blanditiis quibuſdam, & illecebris, obſequiiſque aliquid (ut ita dicam) venari, ſeu ſtudere capere: ut, hic obſequendo *captat* auram popularem, i. quærit, venatur. Hinc ejuſmodi venatores *captatores* dicuntur, & venatio ipſa *captatio*. Cic. *Captator illæ popularis auræ*. 30 Impellit, ſtimulat ad amandum. 31 *Credulus* dicitur, qui omnia facilè & nimium credit. Virg. *Sed non ego credulus illis.* Eſt hæc Apoſtrophe ad Narciſſum. 32 Imaginem fugientem. 33 Conaris capere. 34 Q. d. Nihil eſt id, quod cupis. 35 Averte à fonte vultum tuum, quem amas, & ipſum ſtatim amittes. *Avertere* enim eſt Imperativi modi paſſivi. 36 Ab aquâ remiſſæ. 37 Iſta imago, quam cernis, nihil habet proprii, ſed tota à te pendet. 38 Cibi. 39 Somni. 40 Umbroſâ. 41 Jacens. 42 Oculis, qui non poterant ſatiari. 43 Falſam adoleſcentis figuram. 44 Sylvarum Deas allequitur. Iô eſt hic interjectio dolentis: eſt etiam quoque gaudentis. Notandum eſt mirum Poëtæ artificium in hiſce blandis precibus. 45 Commoda: Q. d. Multis amantibus latebras præbuiſtis, ut commodè ſuis amoribus frui poſſent. 46 Paulatim conſumptus ſit. *Tabeſcere* enim eſt paulatim deficere & abſumi. A *tabe* fit, quæ humorum corruptio eſt, quâ corpora ad extremam maciem deducuntur. 47 *Mœnia* à *muniendo* dicuntur, & ea ſunt propriè quæ urbem cingunt. 48 Ut amplectar illum. 49 Surſum verſo.

Poſſe

Posse putes tangi. Minimum est quod amantibus obstat.
Quisquis es, huc exi. Quid me, puer [50] unice, fallis?
Quove [51] petitus abis? Certe nec forma, nec ætas
Est mea, quam [52] fugias: & amarunt me quoque [53] Nymphæ.
Spem mihi nescio quam vultu promittis amico:
Cùmque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultrò;
Cùm risi, arrides. Lacrymas quoque sæpe notavi,
Me lacrymante, tuas. Nutu quoque signa remittis:
Et, quantum motu formosi suspicor oris,
Verba refers [54] aures non pervenientia nostras.
In te ego sum, sensi: nec me mea fallit imago.
Uror amore mei: flammas [55] moveoque [56] feroque.
Quid faciam? Roger, anne rogem? quid deinde rogabo?
[57] Quod cupio, mecum est; [58] *inopem me copia fecit.*
O utinam nostro secedere corpore possem!
[59] Votum in amante novum; vellem, quod amamus, abesset.
Jamque dolor vires adimit: nec tempora vitæ
Longa meæ [60] superant: primoque [61] exstinguor in ævo.
[62] *Nec mihi mors gravis est posituro morte dolores.*
Hic, qui diligitur, vellem [63] diuturnior esset.
Nunc duo concordes animâ moriemur in unâ.
[64] Dixit, & ad [65] faciem rediit malè [66] sanus eandem;
Et lacrymis turbavit aquas: obscuraque moto
Reddita forma [67] lacu [68] est. Quam cùm vidisset abire;
Quò fugis? oro, mane; nec me, crudelis, amantem
Desere, clamavit. Liceat, quod tangere non est,
Adspicere, & [69] misero præbere alimenta furori.
Dumq; dolet, summâ vestem [70] deduxit ab ora,
Nudaque [71] marmoreis percussit pectora palmis.
Pectora [72] traxerunt [73] tenuem percussa ruborem,
Non aliter, quàm poma solent; quæ candida parte,
Parte rubent. Aut ut variis solet uva racemis
Ducere purpureum, nondum matura, colorem.
Quæ simul aspexit liquefactâ rursus in undâ;

50 Singularis. Neminem enim alium tantâ pulchritudine præditum esse putabat.
51 Expetitus, exoptatus.
52 Fastidias, asperneris.
53 Echo, aliæque plures undis aut montibus ortæ. Sup. v. 402.
54 Ad aures nostras.
55 Excito.
56 Patior & tolero.
57 Itidem 96: *Quid non ex hujus forma pateretur amator, Ipse suam qui sic deperit effigiem?*
58 Quia quod in me erat, potiri & frui non poteram.
59 Cupiditas nova & inusitata, ut, quod quis amat, longè abs se cupiat abesse.
60 Supersunt, restant. Notum illud Virgilii: *Quid puer Ascanius superatne?* &c.
61 Morior in primâ ætatis meæ parte. Adolescens enim adhuc erat Narcissus.
62 Nec mihi molesta est mors, quippe quæ meis doloribus finem sit impositura.
63 Diutius viveret. 64 Narcissus. 65 Imaginem.
66 Insanus & demens.
67 Turbato fonte. *Lacus* enim dicitur etiam fontium receptaculum. *Lacus* quoque vas est, in quo uvæ calcantur. 68 Licet. 69 Quòd miseros homines faciat, qui illo vexantur. Miseri autem sunt, quia amant. 70 Laceravit, divisit. 71 Manibus, ut Parium marmor, candidis. Ut alibi: *Aurea marmoreo redimicula demite collo.* 72 Contraxerunt. 73 Exiguum.

[74] Non tulit ulteriùs: ſed, ut [75] intabeſcere flavæ
Igne levi ceræ, matutinæve [76] pruinæ
Sole tepente ſolent, ſic [77] attenuatus amore
[78] Liquitur; & [79] cœco paulatim carpitur igni.
Et neque jam color eſt miſto candore rubori;
Nec vigor, & vires, & quæ [80] modò viſa placebant,
Nec corpus remanet, quondam quod amaverat Echo.
[81] Quæ tamen ut vidit, quamvis irata [82] memorq;
Indoluit: quotieſq; puer [83] miſerabilis, Eheu,
Dixerat; hæc [84] reſonis iterabat vocibus, Eheu,
Cumque ſuos manibus percuſſerat ille lacertos,
Hæc quoque reddebat ſonitum [85] plangoris eundem.
Ultima vox ſolitam fuit hæc ſpectantis in undam,
Heu fruſtra dilecte puer! Totidemque remiſit
Verba [86] locus: dictoque Vale, Vale inquit & Echo.
Ille caput viridi feſſum [87] ſubmiſit in herbâ.
[88] Lumina nox claudit domini mirantia formam.
Tum quoque ſe, poſtquam eſt infernâ ſede receptus,
In [89] Stygiâ ſpectabat aquâ. [90] Planxêre ſorores
Naïdes: & [91] ſectos fratri poſuêre capillos.
Planxere & Dryades. Plangentibus aſſonat Echo.
Jamque [92] rogum, quaſſáſque [93] faces, [94] feretrumque parabant:
Nuſquam corpus erat. [95] Croceum pro corpore [[96] florem
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.

74 Dolorem ulteriùs ferre non potuit.
75 Paulatim liquefieri & abſumi. 76 Pruina ros eſt congelatus.
77 Extenuatus, macer factus.
78 Liqueſcit, ac paulatim conſumitur.
79 Et occulto amore paulatim cruciatur. Virg. *Et cæco carpitur igni.*
80 Membra formoſa.
81 Ordo eſt: Quæ tamen indoluit, ut vidit, quamvis irata eſſet.
82 Se à Narciſſo fuiſſe ſpretam.
83 Miſerandus, ac miſericordia dignus.
84 Sonum reddentibus.
85 Percuſſionis. 86 Echo, quæ in illo erat loco Continens pro contento. 87 Depoſuit. 88 Oculos quibus cum ſe vidiſſet, formam ſuam mirari cœpit; nox quoque pro morte ſumitur, quod apud Poëtas paſſim invenies; ita *Virg. In æternum clauduntur lumina noctem.* 89 Sicuti dum viveret, ſolebat, ſic, cum ad inferos veniſſet, à contemplatione ſui non abſtinuit. 90 Flevere Nymphæ fontium, & fluminum, quæ ſorores videntur eſſe. *Naïdes* enim fontium ac fluviorum dicuntur, *ἀπὸ τοῦ νάειν* à *fluendo.* 91 Id enim in luctu mulieres facere ſolebant. 92 Struem lignorum ad cremanda cadavera. 93 Sciſſas. Faces enim cadaveribus efferebantur. 94 Capulum quo cadavera efferuntur: à ferendo dictum. 95 Flavum inſtar croci. 96 Narciſſum florem coloribus depingit.

Pentheus. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Pentheus Echionis & Agaves filius in contemtum trahens prædicata Tireſiæ auguris, ut in adventu Liberi Thebani hederâ redimiti procederent, ac ſacra ſuſciperent, prohibet ſuos parere monitis; quod negaret ex Semele Deum proditum. Confeſtim itaque famulis imperat, ut in conſpectum ſuum Liberum vinctum attrahant. At ille ut veſanientem eluderet, verſus in Acœtem, ducitur vinctus, & cuſtodiâ clauditur.

Cognita

Cognita [1] res meritam [2] vati per [3] Achaïdas urbes
Attulerat famam: nomenque erat auguris ingens.
Spernit Echionides tamen hunc, ex [4] omnibus [5] unus
Contemtor Superûm [6] Pentheus: [7] præsagaq; ridet
Verba [8] senis: tenebrasque & [9] cladem lucis ademtæ
[10] Objicit. [11] Ille movens albentia tempora [12] canis
Quàm felix esses, si tu quoque luminis hujus
Orbus, ait, fieres; nec Bacchia sacra videres!
Jamque dies aderit, [13] jamque haud procul auguror esse;
Quâ [14] novus huc veniat proles [15] Semeleïa Liber.
[16] Quem nisi templorum fueris dignatus honore:
Mille lacer spargere locis: & [17] sanguine sylvas
Fœdabis, matremque tuam, [18] matrisque sorores.
Evenient. Neque enim dignabere numen honore:
Meque sub his tenebris nimium vidisse quereris.
Talia dicentem proturbat Echione [19] natus.
Dicta fides sequitur; responsaque vatis [20] aguntur.
[21] Liber adest: festisque fremunt [22] ululatibus agri.
Turba ruunt: mistæque viris matresque nurusque,
Vulgusque [23] proceresque, [24] ignota ad sacra feruntur.
Quis furor, Anguigenæ, proles Mavortia, vestras
[25] Attonuit mentes? Pentheus ait, [26] ærane tantum
[27] Ære repulsa valent? & adunco tibia cornu?
Et magicæ [28] frondes? ut quos non belliger ensis,

1 Narraturus quomodo Tyrrheni quidam nautæ, Bacchum contemnentes, in Delphinos mutati fuerint, & alia quædam; Penthei, regis Thebarum, impietatem orditur. 2 Auguri Tiresiæ. 3 Achaicas, Græcas. Achaia regio Græciæ. 4 Thebanis. 5 Solus 6 Pentheus, Echionis & Agaves filius, Tiresiæ vaticinia contemnens, cùm in adventu Bacchi, Thebani hederâ redimiti, obviam ei procederent, ac sacra susciperent, suos idem facere Pentheus prohibet, quòd negaret ex Semele Bacchum Deum esse procreatum. Confestim itaque famulis suis imperat, ut Bacchum ad se vinctum trahant: At ille ut vesanientem eluderet, versus in Acœtem, ducitur vinctus, & custodiâ clauditur. *Pentheus* autem ἀπὸ τοῦ πένθους, i. à luctu. fuit cognominatus. Hic itaque Baccho contemto, cum ejus sacra in Cythærone spectaret, à matre, aliisque Bacchis, furore correptis, dilaceratus est. 7 Quæ futura significabant. 8 Tiresiæ. 9 Cæcitatem. 10 Exprobrat. 11 Tiresias. 12 Cani sunt capilli albi in capitibus senum. 13 Et nunc puto atque vaticinor propè esse; *jamque* eleganter est repetita; correctio est *Heinsiana*; antea legebant, *Namque dies aderit, (quam non procul auguror esse.)* 14 Innuit Poëta alium quoque Bacchum veterem & antiquum fuisse præter hunc Jovis ex Semele filium. 15 Filius Semeles, cadmi filiæ, ex Jove. 16 Liberum seu Bacchum 17 Tuo sanguine sylvas fœdas reddes. Ita Virg. 2. Æn. *Et patrios fœdasti sanguine vultus.* 18 Hæ enim unà cum Agave matre Penthei, illum dilaceraverunt. 19 Pentheus 20 Peraguntur, perficiuntur. 21 Bacchus adest, i. advenit, qui idcircò Liber dicitur, quod vinum mentem *liberet* curis. Describit hic Poëta veterum Bacchanalia, quæ licet iis sacra verè profana ac fœda fuere. 22 Clamoribus. Qui enim Bacchi sacra celebrabant in furorem acti, tympanorum tubarumque strepitu ita clamabant, ut *ululare* viderentur. 23 *Proceres* Principes Civitatis dicuntur, quia eminent in eâ, sicut in ædificiis tumuli quidàm, i. capita trabium, quæ *proceres* nominantur. 24 Quibus alias nunquam interfuerunt. 25 Obstupefecit 26 Ærea vasa. 27 Sæpiùs æneis baculis percussa. 28 *Frondes* heic non *Fraudes* legendum; ad thyrsos enim & ferulas quas in manibus gestabant Bacchantes, spectat hic locus: *magicæ* appellantur ob veneficia quibus *Mænades*, quæ *Orgyia* celebrant, mentes spectantium pervertebant.

Non

Non tuba terruerint, non strictis [29] agmina [30] telis;
Fœmineæ voces, & mota insania vino,
[31] Obscœnique greges, & inania [32] tympana vincant?
Vosne, [33] senes, mirer? qui longa per æquora vecti
Hac [34] Tyron, hâc profugos posuistis sede Penates;
Nunc sinitis sine Marte capi? [35] Vosne, acrior ætas,
O juvenes, propiorque meæ; quos arma tenere,
Non [36] thyrsos; galeâque tegi, non fronde decebat?
Este, precor, memores, quâ sitis [37] stirpe creati:
Illiusque animos, qui multos perdidit unus,
Sumite serpentis. Pro fontibus ille lacuque
Interiit: at vos pro famâ vincite vestrâ.
Ille [38] dedit leto fortes: vos pellite molles,
Et patrium revocate decus. Si fata vetabant
Stare diu Thebas; utinam [39] tormenta virique
Mœnia diruerent: ferrumque, ignisque sonarent!
Essemus miseri sine [40] crimine: [41] sorsque querenda,
Non [42] celanda foret: lacrymæque pudore carerent.
At nunc à puero Thebæ capientur inermi:
Quem neque bella juvant, nec tela, nec usus equorum;
Sed madidus myrrha [43] crinis, mollesq; coronæ,
Purpuraque, & [44] pictis intextum vestibus aurum.
Quem [45] quidem ego [46] actutum (modo vos absistite) cogam
Assumtumque patrem [47] commentaque sacra fateri.
[48] An satis Acrisio est animi, contemnere vanum
Numen, & Argolicas venienti claudere portas;
Penthea terrebit cum totis [49] advena [50] Thebis?

29 Acies, exercitus. 30 Nudis ensibus. Est autem à majori ad minus argumentum. 31 Turpis ac libidine corrupta multitudo. 32 *Tympanum* est instrumentum ex pellibus confectum, quo Bacchæ in sacris Bacchi utebantur. Dictum est *tympanum* ἀπὸ τοῦ τύπτειν, à *percutiendo*. 33 Sermonem convertit ad socios Cadmi, qui unà cum ipso Phœniciam patriamque relinquentes, tandem per varia pericula in Bœotiam pervenerunt. 34 *Tyros* insula est Phœniciæ adjacens; in quâ civitas illa nobilis Tyrus, *Tzor* Phœnicibus, sita erat. 35 Sensus est: Vosne mirer, ô juvenes, quorum ætatem robustiorem magis decet arma, quam thyrsos tenere. Est autem ordo: O juvenes, an mirer vos, quorum acriorem ætatem, propioremque meæ, decebat tenere arma. 36 Hastas pampinis ornatas, quas Bacchi sacerdotes gestabant. Undè etiam Bacchus *Thyrsiger* vocatur. 37 Q. d. Originem vos ducere à Martio serpente mementote, qui solus multos interfecit, ut fontem suum tutaretur. 38 Interfecit. 39 Instrumenta sunt bellica, à *torquendis* lapidibus, aliisque missilibus, dicta. 40 Culpâ. 41 Sors nostra lamentatione quidem digna foret, non vituperatione. 42 Occultanda propter vituperationem. 43 Crinis unguento ex myrrhâ confectô delibutus. 44 Versicoloribus, variorum colorum. 45 Minatur Pentheus se Bacchum ita esse torturum, ut eum fateri sit coacturus, & quem habeat verum patrem, & cur ea sacra confinxerit. 46 Statim sine ulla mora. *Ter.* Aperite aliquis *actutum* ostium. 47 Ficta. *Comminisci* enim confingere est & excogitare. *Ter.* Aliquid tulisse *comminiscentur* mali. Undè *commentarii* dicti sunt libri, in quibus non latè res, sed quam brevissimè possunt, explicantur: item *commentum*, res ficta atque excogitata. *Ter.* Atqui ipsis *commentum* placet. 48 Exemplo probat Bacchum facile posse repelli. Nam Acrisius, Argivorum rex, Baccho clausit urbis portas, neque illius sacra admittere voluit. 49 Neque enim eum Semeles & Jovis filium esse credit. 50 Cum omnibus Thebanis. Continens pro contento.

Ite citi, (famulis hoc imperat) ite, ducemque
Attrahite huc vinctum jussis mora segnis abesto.
[51] Hunc [52] avus, hunc [53] Athamas, hunc cætera turba suorum
[54] Corripiunt dictis, frustraque [55] inhibere laborant.
[56] Acrior admonitu est; *irritaturque retenta*
Et crescit rabies; [57] *remoraminaque ipsa nocebant.*
[58] Sic ego [59] torrentem, qua nil obstabat eunti,
Lenius, & modico strepitu decurrere vidi:
At, quacunque trabes [60] obstructaque saxa tenebant,
Spumeus, & fervens, & ab [61] objice [62] sævior ibat.
Ecce cruentati [63] redeunt: & Bacchus ubi esset,
Quærenti [64] domino, Bacchum vidisse negârunt.
[65] Hunc, dixêre, tamen comitem, famulumque sacrorum
Cepimus: & tradunt manibus post terga ligatis,
[Sacra dei quondam [66] Tyrrhenâ gente secutum.]

51 Penthea. 52 Cadmus. 53 Æoli filius, Cadmi gener. 54 Reprehendunt, arguunt, objurgant. 55 Cohibere, compescere 56 Protervior, contumacior 57 Impedimenta, obstacula. 58 Pulchrâ similitudine ostendit Poëta Penthei adversus seniorum admonitiones proterviam. Ut enim (inquit) torrentes violentiores fiunt, ubi aliquid ipsis objicitur, sic Penthei furor monitis seniorum magis magisque crescebat. 59. *Torrens* est fluvius, qui æstate siccatur. 60 Opposita. 61 Objectione. 62 Violentior. 63 Famuli Penthei ad Bacchum comprehendendum missi. 64 Tyranno. 65 Quem quidem non norant, sed Bacchus erat, versus in Acœtem. 66 Thuscâ. Nam Tyrrheni populi sunt Italiæ, qui & Thusci dicuntur.

Nautæ in Delphinos conversi, & Pentheus à Bacchis discerptus. *Fab.* VIII, IX, & X.

ARGUMENTUM.

Acœtes supradictus Liberi comes, cujus sub imagine Deus latuerat, ludens Penthea, indicat regi, quia ita exigebat, nomen & genus artis suæ, & quanta vis apparuerit in Libero, quo tempore petens Naxum in Tyrrhenos inciderat. Ab his enim propter eximiam pulchritudinem captum pro præda, & impositum navigio, ut vidit in aliam se duci regionem, armamenta navis in feras ac serpentes convertit. Quo prodigio exterriti Tyrrheni, in pelagus se præcipitavere, ac Delphini & aves facti sunt. Post hæc iterum custodiâ clauditur: quæ cùm sponte Deo patuisset, ac vincla manibus defluxissent, montem Cithæron aggreditur, ibique Agaven matrem Penthei alienatam furore, adjuvantibus sororibus Ino & Autonoë, impellit, ut ipsum sacra proterentem, suâ interimat manu.

[1] ADſpicit hunc oculis Pentheus, quos ira tremendos
Fecerat: &, quanquam pœnæ vix tempora [2] differt,
O periture; tuâque aliis [3] documenta dature
Morte, ait, [4] ede tuum nomen, nomenque [4] parentum,
Et patriam; moriſque [5] novi cur ſacra frequentes.
Ille metu [6] vacuus, Nomen mihi, dixit, Acœtes;
Patria [7] Mœonia eſt: humili de plebe parentes.
[8] Non mihi, quæ duri colerent pater arva juvenci,
Lanigeroſve greges, non ulla armenta reliquit.
Pauper & ipſe fuit: [9] linoque ſolebat & [10] hamis
Decipere, & calamo ſalientes [11] ducere [12] piſces.
[13] *Ars illi ſua cenſus erat.* Cùm traderet artem;
Accipe, quas habeo, [14] ſtudii ſucceſſor & hæres,
Dixit, opes: morienſque mihi nihil ille reliquit
Præter [15] aquas. Unum hoc poſſum appellare paternum.
Mox ego, nè ſcopulis hærerem ſemper in îſdem,
[16] Addidici regimen, dextrâ [17] moderante, carinæ
Flectere: & Oleniæ [18] ſidus pluviale capellæ,
[19] Taygetenque, [20] Hyadaſque oculis [21] Arctonque notavi,
Ventorumq; [22] domos, & portus [23] puppibus aptos.
Fortè petens Delon, Diæ telluris [24] ad oras
Applicor, & dextris [25] adducor littora remis:
Doque leves ſaltus: udæque immittor arenæ.
Nox ubi conſumta eſt; aurora rubeſcere primum
Cœperat: exſurgo, laticeſque [26] inferre recentes

1 Acœtes, ſupra dictus Liberi comes, cujus ſub imagine Deus Bacchus latuerat, eludens Penthea, indicat regi, quia ita exigebat, nomen & genus artis ſuæ: & quanta vis apparuerit in Baccho, quo tempore Naxon inſulam petens, in Tyrrhenos inciderat, à quibus propter eximiam formæ pulchritudinem captus, pro prædâ navigio impoſitus eſt. Mox ut vidit, ſe non in Naxon, ſed in aliam duci regionem, armamenta navis in feras ac ſerpentes mutavit; quo prodigio Tyrrheni ſtatim exterriti, in pelagus ſe præcipites dedere, ac in Delphinos mutati ſunt. 2 Protrahit, prolongat.

3 Exempla. 4 Indica, declara. 5 Novi ritus. Nam Bacchus tùm ea primum ab Indiâ cum triumpho revertens invehebat ſacra. 6 Liber, carens. 7 Lydia, ac potiùs Thuſcia. 8 Cur ſacra Bacchi ſit ſecutus, Acœtes exponit, quod ultimo loco à tyranno erat rogatum. 9 Significat autem patrem ſuum fuiſſe piſcatorem. 10 Inſtrumentis quibus piſcatores piſces capiunt. Sumitur etiam *hamus* pro unco, quo piſcatores eſcam ſuſpendunt ad capiendos piſces. 11 Extrahere ex aquis. 12 Sic Martialis: *Et piſcem tremulâ ſalientem ducere ſetâ.* Equinis enim (ut nunc quoque fit) ſetis albis ad ſuſpendendos hamos captandis piſcibus uſi ſunt veteres. 13 Nullis aliis divitiis pater meus, quam arte, cenſebatur. *Cenſus* eſt æſtimatio rerum & bonorum facta, ſecundum quam tributa pendebantur. Undè *cenſum agere* eſt recenſêre hominum facultates. 14 Artis & inſtituti. 15 In quibus piſcarer. 16 *Addiſcere* propriè eſt arti ſcientiæve, quam quis tenet, aliquid addere. 17 Gubernante. 18 Sydus, quod capella vocatur, pluvias inducens. Hanc tradunt fuiſſe capellam Amaltheam, quæ, quod Jovi infanti prope Olenum oppidum Achaïæ, lac præbuiſſet, in ſydera relata eſt. 19 Una ex Pleyadibus. 20 Sic dictæ ſunt ἀπὸ τοῦ ὕειν, i. à *pluendo*, quod ortu & occaſu pluvias inducant. 21 Urſam Borealem, per quam Septentriones, qui nunquam occidunt, ſignificat 22 Quatuor mundi partes, undè flare dicuntur venti, Orientem, Occidentem, Meridiem, Septentrionem. Nam Eurus in Oriente, Zephyrus in Occidente, Auſter ad Meridiem, Boreas ad Septentrionem domos habere narrat, Lib. 1. *Metam.* 23 Navibus. Sic paulo infra Carina pro navi pars pro toto. 24 Ad Naxon, quæ cum Baccho eſſet ſacra, *Dia tellus* a Poëta appellatur. 25 Ducor ad littora. 26 In navem.

[27] Admoneo; monstroque viam quæ ducat ad undas.
Ipse, quid aura mihi tumulo promittat ab alto,
Prospicio: comitesque voco, [28] repetoque carinam.
Adsumus en, inquit sociorum primus Opheltes:
[29] Utque putat, prædam deserto nactus in agro,
Virgineâ puerum ducit per littora formâ.
Ille mero [30] somnoque gravis, [31] titubare videtur;
[32] Vixque sequi; specto cultum, faciemque [33] gradumque:
[34] Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam.
Et sensi, & dixi sociis, Quod numen in isto
Corpore sit dubito; sed corpore numen in isto est.
Quisquis es, ô faveas, nostrisque laboribus [35] adsis.
[36] His quoque des veniam. Pro [37] nobis mitte precari,
Dictys ait: quo non alius conscendere summas
[38] Ocyor [39] antennas, prensoq; [40] rudente [41] relabi.
Hôc Libys, hoc flavus proræ [42] tutela Melanthus,
Hoc probat Alcimedon: &, qui requiemque modumque
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus:
Hoc omnes alii: *Prædæ tam cæca cupido est.*
Non tamen hanc sacro [43] violari pondere [44] pinum
Perpetiar, dixi; [45] pars [46] hic mihi maxima juris.
Inque aditu [47] obsisto. Furit audacissimus omni
De numero Lycabas; qui Thuscâ pulsus ab urbe,
Exsilium, dirâ pœnam [48] pro cæde, luebat.
Is mihi, dum resto, juvenili guttura pugno
Rupit: & [49] excussum misisset in æquora; si non
Hæsissem, quamvis [50] amens, in fune retentus.
[51] Impia turba [52] probat factum. Tum denique Bacchus,
(Bacchus enim fuerat) [53] veluti clamore solutus
Sit sopor; [54] eque mero redeant in pectora sensus;
Quid facitis? quis clamor, ait? [55] quâ, dicite, nautæ,
Huc ope perveni? quò me deferre paratis?
[56] Pone metum, [57] Proreus, & quos contingere portus

27 Socios. 28 Rursus peto, revertor ad navem. *Cic.* Dùm ex foro domum *repeterem.* 29 Quia fallebatur Opheltes. 30 Sic alibi: *Jamque cibo vinoque graves somnoque jacebant.* Virg. *Invadunt urbem, somno vinoque sepultam.* 31 Vacillare mero somnoque simulabat se Bacchus, ne à nautis Deum esse cognosceretur. 32 Sc. *posse.* Vix videbatur eos sequi posse, qui ipsum ducebant. 33 Gressum. 34 Ex cultu, facie, & ingressu conjectat Acœtes puerum illum non mortalem, sed Deum esse. 35 Auxilio sis 36 Parcas iis, qui te hùc tanquam prædam attraxerunt. 37 Acœtis socii putantes se puerum, non Bacchum cepisse, non tantùm nolunt ipsum precari, ut sibi det veniam, sed Acœtis quoque preces ægrè ferunt. Quare Bacchum irridentes atque contemnentes in delphinos omnes fuerunt mutati. 38 Velocior. 39 Antennarum summitates. Est autem *antenna* lignum transversum in malo, unde vela dependent. 40 Fune nautico majori cui anchoræ ligantur. 41 Descendere. 42 Unus è nautis, proræ custos, qui bolide vel perpendiculo nautico profundum explorare solet. 43 Quod certè fieret, si vi veheretur. 44 Navem ex pinu factam. Metonym. materiæ. 45 Non erat enim ex vulgo nautarum, sed gubernator, ut ex sequentibus apparet: ipse dicit versu 644. *alius capiat moderamina.* 46 In hac navi. 47 Resisto, ne in navem inducatur puer. 48 Homicidium enim perpetrarat. 49 Depulsum à clavo. 50 Turbatus. 51 Sociorum, nautarum. 52 Laudat & approbat percussionem & injuriam mihi illatam. 53 Tanquam somnus Bacchi clamore & strepitu nautarum solutus foret. 54 Et post ebrietatem. 55 Cujus opera, auxilio. 56 Depone. 57 Qui proræ præ est, πρωρεὺς, & πρωράτης, proreta. Melanthus nempe, sup. v. 617.

Ede

Ede velis, dixit. Terrâ [58] sistêre petitâ.
[59] Naxon, ait Liber, cursus [60] advertitè vestros.
Illa mihi domus est: vobis erit hospita tellus.
Per mare fallaces, perque omnia numina jurant
Sic fore: meque jubent pictæ dare vela carinæ.
Dextera Naxos erat: dextrâ mihi lintea danti,
Quid facis, ô demens: quis te furor, inquit, Acœte,
Pro se quisque, [61] tenet? lævam pete. Maxima nutu
Pars mihi significat; pars, quid velit, aure susurrat.
Obstupui: capiatque alius [62] moderamina, dixi:
Meque ministerio [63] sceleris que [64] artisque removi.
Increpor à cunctis; totumq; immurmurat agmen.
E quibus Æthalion, Te [65] scilicet omnis in uno
Nostra salus posita est? ait. Et subit ipse: meumq;
Explet opus: Naxoque petit diversa relictâ.
Tum [66] Deus illudens, [67] tanquam modò denique fraudem
Senserit, è puppi pontum prospectat aduncâ.
Et flenti similis, [68] Non hæc mihi littora, nautæ,
Promisistis, ait: non hæc mihi terra rogata est.
Quo merui pœnam facto? quæ gloria vestra est;
Si puerum juvenes, si multi fallitis unum?
[69] Jamdudum flebam. Lacrymas [70] manus impia nostras
Ridet: & impellit properantibus æquora remis.
Per tibi nunc ipsum (nec enim [71] præsentior illo
Est Deus) adjuro, tam me tibi vera referre,
[72] Quàm veri majora fide. [73] Stetit æquore puppis
Haud aliter, quàm si siccum [74] navale teneret.
Illi admirantes [75] remorum in verbere perstant:
Velaque [76] deducunt; [77] geminâque ope currere tentant.
Impediunt [78] hederæ remos, nexuque recurvo
Serpunt; & gravidis [79] distringunt vela [80] corymbis.
Ipse, racemiferis frontem circumdatus [81] uvis,
[82] Pampineis [83] agitat velatam frondibus [84] hastam.

58 Exponeris & collocaberis. 59 *Naxos* insula est maris Ægæi Cycladum præcipua, vini copia celeberrima. 60 Convertite. 61 *Vexat*. 62 Gubernacula. 63 Quia Deus contra promissa fallebatur. 64 Gubernandi. 65 Num salus nostra à te ô Acœte tota pendet? 66 Bacchus. 67 Tanquam nunc solùm, & non anteà, cùm tamen à principio se decipi cognoverit. 68 Pulchra illusio, quâ simulat Bacchus se valdè timêre, cùm eos omnes præter unum Acœtem, in delphinos sit mutaturus. 69 Jam à principio querelarum Bacchi (inquit Acœtes) lachrymas continere non poteram. 70 Multitudo impiorum nautarum. 71 Magis propitius, & qui magis precibus ac votis adsit. Virg. *Et vos agrestum præsentia numina Fauni*. 72 Sensus est: Juro me tibi relaturum vera, quamvis fide majora, & quam credi possint, videantur. 73 Navis immota permansit in mari. 74 Est locus in quo stant, vel strui solent naves. 75 In remigio perseverant. 76 Vela constricta jam solvunt, & explicant Sic infra, *Carbasa deducit, ne qua levis effluat aura*. Hinc contrarium est *contrahere vela*. 77 Duplici auxilio & remorum & velorum. 78 Ne moveri possent. Bacchus ipse & ejus sacerdotes hederâ coronabantur: hæc enim herba perpetuò virens Baccho dicata est, ut ejus sempiternam juventutem significet. 79 Vinciunt, impediunt. 80 Uvis hederarum. 81 Vitibus racemos ferentibus. *Uvas* enim pro vitibus posuit. 82 Thyrsi descriptio. *Thyrsus* enim est hasta pampineis velata. 83 Concutit, ad terrorem nautis incutiendum. 84 *Hasta velata frondibus pampineis* uno nomine vocatur *Thyrsus*.

[85] Quem circa tigres, simulacraq; inania [86] lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora [87] pantherarum.
[88] Exiluere viri: sive hoc insania fecit,
Sive timor: primusq; Medon [89] nigrescere pinnis,
Corpore depresso, & spinæ [90] curvamina flecti
Incipit. Huic Lycabas, In quæ miracula, dixit,
Verteris? & [91] lati rictus, & [92] panda loquenti
Naris erat, squammamque cutis durata [93] trahe-
bat.
At Libys, obstantes dum vult [94] obvertere remos,
In spatium [95] resilire manus breve vidit; & illas
Jam non esse manus; jam pinnas posse vocari.
Alter ad intortos cupiens [96] dare brachia funes,
Brachia non habuit; [97] truncoque [98] repandus in
undas
Corpore desiluit. [99] Falcata novissima cauda est,
Qualia dividuæ [100] sinuantur cornua Lunæ. [rant:
Undique [101] dant saltus: multâq; aspergine [102] ro-
Emerguntq; iterum: redeuntq; sub æquora rursus:
[103] Inq; chori ludunt speciem: lascivaq; jactant
Corpora; & [104] acceptum patulis mare naribus ef-
De modò viginti (tot enim ratis illa ferebat) [flant.
Restabam solus. Pavidum gelidumq; trementi [cens,
Corpore, [105] vixq; meum firmat [106] Deus, Excute, di-
Corde metum, [107] Diamque tene. Delatus in [108]
illam
[109] Accensis aris Baccheïa sacra frequento.
Præbuimus longis Pentheus [110] ambagibus aures,
Inquit: ut ira morâ vires absumere posset.
Præcipitem famuli rapite hinc: cruciataque diris
Corpora tormentis Stygiæ dimittite nocti.
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acœtes
Clauditur [111] in tectis: & dum crudelia jussæ
Instrumenta necis ferrumque ignisque parantur;
Sponte suâ patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua fama est, nullo solvente, catenas.
Perstat [112] Echionides: nec [113] jam jubet ire, sed ipse

85 Anastrophe est; nam præpositio *circa* postponitur suo casui, cùm sit præferenda. 86 *Lynx* est fera vario colore, maculoso tergore, acutissimoque visu. Plin. 87 *Panthera* enim est fera pellem habens variis maculis distinctam. 88 Extra navem in mare: in delphinos autem fuerunt transmutati, qui omnium piscium sunt velocissimi 89 Quia in delphinum mutabatur. Delphino verò pellis nigrescit. 90 Incurvatione dorsi. 91 Lata ora. 92 Sima, recurva. 93 Paulatim suscipiebat squammam. 94 Convertere. 95 Retrocedere, & abbreviari. 96 Brachiis & manibus funes tortos apprehendere. 97 Brachiis mutilato. 98 Incurvus. 99 In falcis similitudinem figurata. 100 Curvantur. 101 Saliunt. Sic suprà: *Doque leves saltus.* 102 Rigantur aquis motis. *Rorare* per Synec. pro aspergere. Sæpius apud Ovid. 103 In similitudinem multitudinis hominum ludentium. *Chorus* enim dicitur conventus saltantium & canentium, ἀπὸ τῆς χαρᾶς, à *gaudio*, ut *Plato* vult lib. 2. *de leg.* 104 Aquam ex mari acceptam. Continens pro contento. 105 Tandem me paventem, vixque mentis compotem confirmat Bacchus. 106 Bacchus. 107 Sc. *insulam* vide not. ad vers. 597. 108 *Naxon* insulam. 109 Si Libri scripti non nimis obstarent, Heinsius hunc versum potius legeret, Accensusque Deo Baccheïa sacra frequento; ita n. Hyppolytus lib. 15. *Numine sub Dominæ lateo; atque accenseor illi; Accensus Deo*, i. e. Deo plenus. 110 Longæ verborum circuitioni. Sic Hor. *Ne te longis ambagibus ultrà, Quam satis est, morer.* 111 In carcere nulla ex parte pervio, ac præterquam per januam nullum ingressum habenti. 112 Pentheus Echionis filius. 113 Neque modo jam aliis mandatur sacra frequentent.

Vadit,

Vadit, ubi electus facienda ad ſacra [114] Cythæron
Cantibus & clarâ [115] bacchantûm voce [116] ſonabat.
Ut [117] fremit acer equus, cum bellicus ære [118] canoro
[119] Signa dedit tubicen, pugnæque aſſumit amorem:
Penthea ſic [120] ictus longis [121] ululatibus æther
[122] Movit: & audito clangore [123] recanduit ira.
[124] Monte ferè medio eſt, cingentibus [125] ultima ſylvis,
[126] Purus ab arboribus, [127] ſpectabilis undique campus.
Hîc oculis [128] illum cernentem ſacra [129] profanis
Prima videt, prima eſt inſano concita motu,
Prima ſuum miſſo violavit Penthea thyrſo
[130] Mater: Iö, geminæ, clamavit, [131] adeſte [132] ſorores.
[133] Ille aper, in noſtris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper. Ruit omnis in unum
Turba furens: cunctæ coëunt, cunctæque ſequuntur,
[134] Jam trepidum, jam verba minùs violenta locutum,
Jam ſe damnantem, jam ſe peccaſſe fatentem.
Saucius ille tamen, Fer opem, matertera, dixit,
[135] Autonoë: moveant animos Actæonis [136] umbræ.
[137] Illa quid Actæon neſcit: dextramque precanti
Abſtulit; [138] Inoô lacerata eſt altera raptu.
[Ille etiam vellet cum Brachia tendere matri;]
Non habet infelix quæ matri brachia tendat:
Trunca ſed oſtendens disjectis corpora [139] membris;
Adſpice, mater, ait. Viſis [140] ululavit Agave;
Collaque jactavit, movitque per aëra crinem.
[141] Avulſumq; caput digitis [142] complexa cruentis,
Clamat, Iô comites, Opus hæc victoria noſtrum eſt.
[143] Non citiùs frondes autumno frigore tactas,
Jamq; malè hærentes altâ rapit arbore ventus;
Quàm ſunt membra [144] viri manibus direpta nefandis.
Talibus exemplis monitæ nova ſacra frequentant,
Thuraq; dant, ſanctaſq; colunt [145] Iſmenides aras.

114 Mons eſt Bœotiæ ubi Liberi patris ſacra celebrantes matres Pentheum diſcerpſerunt. 115 Bacchi ſacra celebrantium. 116 Reſonabat, ſtrepebat. 117 Pentheum equo bellicoſo ſimilem eſſe dicit 118 Tubâ. 119 Pugnandi. 120 Aër impulſus & percuſſus. 121 Magnis bacchantum clamoribus. 122 Ad iram concitavit. 123 Iterum eſt inflammata. 124 In medio Cithærone. 125 Extremas montis partes. 126 Carens arboribus planities. 127 Qui undique & ex omni parte poterat ſpectari. 128 Pentheum. 129 Non ſacris. 130 Agave. 131 Advenite, ſuccurrite. 132 Ino & Autonoë. 133 Pentheus matri, Bacchi furore correptæ, aper eſſe videbatur. 134 Timidum ac trepidè fugientem, qui paulo antè tam ſuperbus, tamque contumax erat. 135 Autonoë enim erat ſoror Agaves. materque Actæonis: hinc ille ſuprà, *Autoneïus Heros*. 136 Manes Actæonis, qui à canibus dilaceratus eſt. 137 Bacchæ enim furore numinis percitæ omnia obliviſcebantur, neque ſuos ab aliis dignoſcebant. 138 Abſciſſione ab Ino factâ. (Inoô eſt genitiv. caſ. Græc. Sic alibi: & apud Virgil. *Lethum Androgeô.*) Ino alteram Penthei manum abſcidit. 139 Reciſis membris, & in terram projectis. 140 Clamorem ululatus luporum ſimilem emiſit: eſt enim *ululare* luporum proprium. 141 Reciſum. 142 Tenens. 143 Pulchrâ ſimilitudine declarat Pentheum ſummâ celeritate à matre ac matertera fuiſſe dilaceratum. 144 Penthei. 145 Thebanæ mulieres. Iſmenius, Thebanus. Iſmenus eſt fluvius non procul ab Aulide Bœotiæ, in qua Thebæ.

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER IV.

Dercetis in piſcem, Semiramis in columbam, & Naïs in piſcem. *Fab.* I, II, & III.

ARGUMENTUM.

Thebis cùm Tireſias Everi filius diem feſtum ſacrorum Liberi patris edidiſſet, Alcithoë Minyæ filia ejuſdem civitatis in eodem permanſit judicio cum ſororibus ſuis, quo Pentheus: quæ lanæ potiùs operandæ ſtudio, quàm ſacrorum adeſſe voluerunt. Itaque rogata fuit Leuconoë à ſororibus, ut inter opus lanificii referret fabulas quibus oblectarent aſſuetum laborem. Quibus obſequi volens, ſecum dubitat de multis fabulis, (nam plurimas norat) quam potiſſimùm narret: an de Babylonia Derceti Nini filia in piſcem verſa; an de Semiramide ejus filia in columbam mutata; an de Naïde Nympha, quæ juvenes propter libidinem ſuam ſolita erat in piſces immutare; utque in eundem caſum ceciderit: an de ea arbore, cujus poma albi coloris, in ſanguinem ceſſerunt, quæ quoniam trita non erat, placuit.

1 AT non Alcithoë Minyeïas 2 Orgia cenſet

1 *At* particula eſt quà concinnè liber libro connectitur, Q. d. Aliæ quidem omnes Thebanæ mulieres ſacra Bacchi celebrabant, ſed Alcithoë quadam ducta temeritate ea ſpernebat, Bacchumque Jovis filium minimè eſſe prædicabat. Ac quo tempore ſacra ab aliis celebrabantur, ipſa lanificio unà cum ſororibus & ancillis intenta erat. Earum verò una ad levandum laborem reliquas hortatur, ut fabularum aliquid viciſſim narrent *Minyeïas* autem illa, quoniam filia *Minyæ*, qui filius *Orchomeni*. *Ælianus* & *Antoninus Liberalis* hanc fabulam narrantes, tres *Minyæ* filias numerant, *Leucippen* [quæ *Ovidio Leuconoe*.] *Ariſtippen*, & *Alcithoen*. Heinſius. 2 Primùm ſic dicta fuerunt quævis ſacra: poſteà tamen præcipuè hoc nomine Liberi patris ſacra nominantur, quæ in monte Bœotiæ Thebis (ubi Liber natus eſt) vicino primùm celebrata ſunt, qui cùm frequenter citharæ cantu perſonaret, *Cithæron* fuit appellatus. Innovabantur autem tertio quoq; anno: undè *Trieterica* dicta ſunt, i. *triennalia*.

Acci-

Accipienda dei: [3] sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Jovis: sociasque [4] sorores
Impietatis habet. Festum celebrare [5] sacerdos,
[6] Immunesq; operum dominas famulasq; suorum,
Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas,
Serta coma, manibus frondentes sumere thyrsos,
Jusserat: & sævam læsi fore numinis iram,
Vaticinatus erat. Parent matresque, nurusque,
Telasq; [7] calathosq; [8] infectaq; pensa reponunt:
[9] Thuraque dant: [10] Bacchumque vocant, [11] Bromiumque, [12] Lyæumque,
[13] Ignigenamque, [14] satumque iterum, solumque [15] bimatrem.
Additur his [16] Nyseus, [17] indetonsusque [18] Thyoneus,
Et cum [19] Lenæo [20] genialis [21] consitor uvæ,
[22] Nycteliusque, [23] Eleleusque parens, & [24] Iacchus, & [25] Evan:
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina, Liber, habes. [26] Tibi enim [27] inconsumta juventas.
Tu puer æternus, tu [28] formosissimus alto
Conspiceris cœlo: tibi, cùm sine [29] cornibus astas,
Virgineum caput est: [30] Oriens tibi victus, [31] adusque
[32] Decolor extremo quæ cingitur India [33] Gange.

3 Sed etiam post tam gravia de Pentheo sumta supplicia negat Bacchum Jovis esse filium. 4 Nam & sorores sacra Bacchi spernebant. 5 Aut Tiresias, aut alius quilibet. 6 Liberas ab operationibus. 7 Cistas ac fusorum lanæque repositoria. 8 Lanas colo impositas, sed nondum filatas: vel *infecta*, i. tincta. *Pensum* propriè lana dicitur à colo pendens: per Metaphoram autem est cujusque officium, & negotium unicuique datum. 9 Sacrificant. 10 Nomina Bacchi enumerat, quibus à Bacchis invocabatur. *Bacchus* autem dictus est ἀπὸ τοῦ βακχεύειν, i. ab *insaniendo*, quod & ipse & ejus comites furere viderentur. 11 Ἀπὸ τοῦ βρέμειν, i. à *fremendo*. 12 Ἀπὸ τοῦ λύειν, i. à *solvendo*, quòd curas *solvat vinum*: undè etiam *Liber* fuit appellatus, quod animum à curis *liberet*. 13 Vocatur ignigena, quod Semele, igne Jovis, i. fulmine icta eum ediderit; & dicitur iterum, vel bis natus, ob eandem rationem qua *Bimatris*. 14 Bis natum: primùm in ventre Semeles, deinde in femore Jovis. 15 Quod duas matres habuisse videatur, Semelem & Jovis femur. 16 Ita dictus à Nysa, Indiæ urbe, quam Bacchus devicit. 17 Comatus. Sic enim pingebatur. 18 Sic dictus est Bacchus ἀπὸ τοῦ θύω, i. *sacrifico*: sive potiùs à *Thyone* matre, quæ & Semele, fuit denominatus. 19 Hoc epitheton accepit à Lacu, seu torculari, Græcè ληνός. 20 Genio & voluptati accommodatæ. Genius nonnullis etiam Deus est voluptatis, undè *genialis* dicitur voluptuosus. Hinc dies genialis, & homo genialis. 21 Primus enim vini usum hominibus ostendit. 22 Quòd noctu illius sacra celebrarentur ἀπὸ τῆς νυκτὸς, i. à *nocte*. 23 Solennis clamor erat in Bacchanalibus, ἐλελεῦ. Olim quoque hac acclamatione in bellicis Pœanibus usi sunt. Vid. *Aristoph. in Avib.* 24 Ἀπὸ τῆς ἰαχῆς, à *clamore*. 25 Εὐάν, erat & hæc vox mulierum bacchantum, quam Libero patri acclamabant. & hinc Latine *Evan* Bacchi cognomen factum est. 26 Hymnum describit in Bacchum, qui in ipsius sacris canebatur. 27 Quia nunquam senescit, ideòque & puer pingebatur, & nudus, quòd ebrii & pueris similes sint, & omnia revelent. 28 Liber pater Sol ab antiquis esse creditus est. Omnium verò syderum Solem pulcherrimum esse constat. 29 Cornua idcircò attribuuntur Baccho, quod homines nimio vino truces fiant, modicè verò sumto hilares ac mansueti, quales sunt virgines, efficiuntur, ideòque sine cornibus Bacchi caput virgineum esse fingitur. 30 Bacchum de Indis triumphasse alibi etiam docet: *Intereà Liber depexos crinibus Indos Vicit, & Eoo dives ab orbe redit.* Et: *Sic victor laudem superatis Liber ab Indis, Alcides captâ traxit ab Oechaliâ.* 31 Anastrophe est, pro usque ad eam partem. 32 Nigra & mali coloris. 33 *Ganges* est ultimus Indiæ fluvius.

Penthea

Penthea tu, venerande, [34] bipenniferumque Lycurgum
[35] Sacrilegos mactas: [36] Tyrrhenaque mittis in æquor
Corpora. Tu bijugum pictis insignia frænis
Colla premis [37] lyncum: Bacchæ, [38] Satyrique sequuntur,
[39] Quique senex [40] ferulâ titubantes ebrius artus
Sustinet, & [41] pando non fortiter hæret [42] asello.
Quacunque ingrederis; clamor juvenilis, & unà
Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis,
[43] Concavaque æra sonant, [44] longoque foramine buxus.
Pacatus mitisque, rogant Ismenides, adsis:
Jussaque sacra colunt. Solæ [45] Minyeïdes [46] intus,
Intempestivâ turbantes festa [47] Minervâ,
Aut ducunt lanas, aut [48] stamina pollice versant,
Aut hærent telæ, famulasque laboribus urgent.
E quibus una levi deducens pollice filum;
Dum [49] cessant aliæ, [50] commentaque sacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas melior Dea detinet, inquit,
Utile opus manuum vario sermone [51] levemus.
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non sinat, in [52] medium [53] vacuas referamus ad aures.
Dicta probant, primamque jubent narrare sorores.
Illa, quid è multis referat (nam plurima nôrat)
Cogitat: & [54] dubia est, de te, Babylonia, narret,
Derceti, quam versâ squamis velantibus artus
[55] Stagna [56] Palæstini credunt [57] celebrasse figura:

34 Securim ferentem, quâ vites amputabat. Nam Lycurgus iste rex fuit Thraciæ, qui, cùm in contemtum Bacchi vites securi incideret, sibi ipsi crura amputavit. 35 Sacrorum tuorum violatores. Nam Bacchus orbem terrarum sacrilegis ac Deorum contemtoribus purgavit. *Sacrilegus* autem dicitur, qui rem sacram de loco sacro legit, i. furatur. *Ter.* Ubi ille est *sacrilegus*? Hinc fit *sacrilegium*, i. ipsum sacrarum rerum furtum. 36 Tyrrhenorum nautarum, de quibus superiore Libro, v. 670. 37 Lynces Liberi patris currum trahere dicuntur. Sunt autem feræ pellem maculis distinctam habentes. Vide supra. 38 Finxerunt antiqui Satyros in libidinem projectissimos, caprinis pedibus: hujusmodi monstra pro sylvestribus Diis coluerunt. Illorum saltatione plurimùm delectabatur Bacchus, forte legendum, *thiasique sequuntur*: nam in quibusdam codicibus *thyrsi* legitur. *Thiasus*, chorus Bacchi: θιασώτης, ὁ χορευτής; qui in choro saltat. *Heins.* 39 Silenus, qui Bacchi fuit pædagogus atque educator, vulgo ebrius exhibetur, asino vehi solitus. 40 Id est cum caule *ferulæ*; Ferula autem Græcis νάρθηξ fæniculi species, caules habens satis rigidos Baccho consecrabatur: omnesque qui Bacchi sacra publicé peragebant sive sacerdotes, sive turba sequentium ferulam manibus gestabant; inde proverbium apud Græcos vulgare, Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι. 41 Curvo. 42 Nam asello vehitur Silenus Bacchum sequens. 43 Cymbala vel potius Tympana ærea. 44 Tibia, quæ ex buxo fieri solet. 45 Minyæ filiæ. 46 Intrà domum clausæ, cùm aliæ omnes se in Cithæronem contulissent. 47 Metonymia est: nam Minervam, lanificii inventricem, pro ipso lanificio posuit. 48 *Stamen* dicitur ipsum filum, quod è colo ducitur. 49 Otiantur, festa Bacchi celebrantes. 50 Ficta. 51 Leve faciamus. 52 In commune, & voluptatem communem. 53 Otiosas. 54 Dubitat velitne narrare de Derceti versa in piscem, vel de Semirami in columbam. 55 Stagnum illud, in quod se Dercetis Veneris filia abjecisse fertur, est juxta Ascalonem, Syriæ urbem. 56 Populi sunt Syriæ, Arabiæ contermini, à *Palæstinâ* urbe, regioneque dicti. 57 Colere venerari.

An magis ut ſumtis illius [58] filia [59] pennis,
Extremos albis in turribus egerit annos.
[60] Naïs an ut cantu, nimiumque potentibus herbis
Verterit in tacitos juvenilia corpora piſces :
Donec idem paſſa eſt. An, quæ [61] poma alba ferebat,
Ut nunc nigra ferat contactu ſanguinis arbor.
Hæc placet : hanc, quoniam vulgaris fabula non eſt,
Talibus orſa modis, lanâ ſua filia ſequente.

58 Semiramis Dercetis Deæ filia. 59 Semiramis miro quodam modo à columbis coagulato lacte, è proximis paſtorum mapalibus rapto, nutrita, poſt maxima bella confecta, Babylonemque ædificatam, cum inſidias ſibi à filio ſtrui comperiſſet, omni injuriâ illi remiſſâ, præfectis omnibus mandavit, ut filio tanquam regi parerent ; è veſtigioque evanuit ad Deos tranſlata. Quidam fabulantur illam in columbam fuiſſe mutatam : quorum opinionem etiam Ovidius ſequitur. 60 An velit fabulari, quomodo Nympha Naïs, ſolita juvenes advenas in piſces mutare, ipſa tandem quoque in piſcem verſa ſit. 61 Mori arboris eſt deſcriptio. Morus enim arbor poma primùm quidem alba, deinde nigra Pyrami ac Thisbes ſanguine effecta ferre cœpit. Nam Pyramus juvenis, & Thisbe puella cùm domus contiguas haberent, ſe mutuò amare cœperunt : cùm autem ſe amplecti aliter non poſſent, egredi urbe ad conſtitutum locum decreverunt. Quò quidem cùm prior perveniſſet Thisbe, leænâ illac tranſeunte perterrefacta in antrum vicinum confugit. Pyramus deinde adveniens, cùm velum, quod fugienti Thisbæ è capite deciderat, cruentatum reperiſſet, eam putans à feris fuiſſe laceratam, gladio, quem ſecum habebat, ſub moro arbore incubuit, cujus ſanguine quidem mora effecta fuerunt nigra cùm anteà candida fuiſſent. Thisbe autem ex antro egreſſa, cùm vulnere confectum vidiſſet, eodem ſe gladio confodit.

Pyramus & Thisbe. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Pyramus & Thisbe urbis Babyloniæ, quam Semiramis regina muro cinxerat, & ætate & formâ pares, cùm in propinquo habitarent, rimâ parietis, & colloquii & amoris fundamenta jecerunt. Conſtituerunt tandem ut matutino ad monumentum Nini regis ſub arborem morum convenirent ad amorem. Et cùm celeriùs ſub lucem Thisbe, nacta occaſionem, ad deſtinatum locum veniſſet, conſpectu leænæ exterrita, abjecto amictu in ſylvam refugit. At fera à recenti præda cùm ad fontem vicinum tumulo ſitiens decurreret, relictam veſtem cruento ore laceravit. Poſt cujus diſceſſum Pyramus cùm ad eundem locum veniſſet, amictumque ſanguine inveniſſet aſperſum, exiſtimans à fera conſumtam, ferro ſe ſub arbore interfecit. Deinde Thisbe, depoſito metu, cùm ad eundem fuiſſet reverſa locum, & comperiſſet ſe cauſam mortis adoleſcentis extitiſſe, ne diutius dolori ſupereſſet, eodem ferro ſe trajecit : quorum cruore morus arbor aſperſa, quæ ſpectaculi fuerat inſpectrix, poma quæ gerebat alba in ſanguineum vertit colorem.

Pyra-

Pyramus & Thisbe, juvenum pulcherrimus [1] alter,
[2] Altera, quas Oriens habuit, prælata puellis,
[3] Contiguas tenuere domos: ubi dicitur altam
[4] Coctilibus muris cinxiſſe [5] Semiramis [6] urbem.
Notitiam [7] primoſque gradus vicinia fecit.
Tempore crevit amor. Tædæ quoque [8] jure coïſſent;
Sed vetuêre patres, quod non potuere vetare.
Ex æquo [9] captis ardebant mentibus ambo.
Conſcius omnis abeſt. Nutu ſigniſque loquuntur.
Quòque magis tegitur, tectus magis æſtuat [10] *ignis.*
Fiſſus erat [11] tenui rimâ, quam [12] duxerat olim,
Cùm fieret, paries domui communis utrique.
Id [13] vitium nulli per ſecula longa [14] notatum;
(*Quid non ſentit amor?*) primi ſenſiſtis amantes,
Et [15] voci feciſtis iter; tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo tranſire ſolebant.
Sæpe ut conſtiterant, hinc Thisbe, Pyramus illinc;
[16] Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris;
Invide, dicebant, paries, quid amantibus obſtas?
[17] Quantum erat, ut ſineres nos toto corpore jungi!
Aut, hoc ſi nimium, [18] vel ad [19] oſcula danda pateres!
Nec ſumus ingrati. Tibi nos [20] debere fatemur,
Quòd datus eſt verbis ad amicas tranſitus aures.
Talia diverſa nequicquam ſede locuti;
Sub [21] noctem dixere Vale: partique dedere
Oſcula quiſq; ſuæ, non [22] pervenientia contra.
Poſtera nocturnos Aurora removerat [23] ignes,
Solque [24] pruinoſas radiis ſiccaverat herbas:
Ad ſolitum [25] coiêre locum. Tum murmure parvo
Multa priùs queſti, ſtatuunt, ut nocte [26] ſilenti
Fallere [27] cuſtodes, [28] foribuſque [29] excedere tentent:
Cùmque domo exierint, urbis quoque [30] tecta relinquant:

1 Pyramus. 2 Thisbe. 3 Se invicem tangentes. 4 Lateritiis & coctis lapidibus conſtructis. Propert. *Perſarum ſtravit Babylonia Semiramis Urbem, Ut ſolidum coctlo tolleret aggere opus; Et duo in adverſum miſit per mœnia currus, Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.* 5 Nini, Aſſyriorum regis, uxor fuit, magno mulier animo, quæ mortuo marito, ſexum mentita, ac ſe filium eſſe ſimulans, ſucceſſit, ac ut virum geſtorum gloriâ ſuperaret, inter ea quæ præclarè geſſit, Babylonem urbem condidit, &c. 6 Babylonem. 7 Primi amoris gradus ſunt viſus & colloquium; reliqui verò ſunt tactus, oſcula, concubitus. 8 Legitimo jure nuptiarum. 9 Captis amore. 10 Amor: eſt & hic metaphora ſumta ab igne ſuppoſito cineri doloſo, ut inquit Horat. 11 Subtili & parva ſciſſura. 12 Contraxerat.

13 Illa rima à nullo unquam fuerat animadverſa. Ordo eſt: O amantes, primi vidiſtis id vitium, notatum nulli, vel à nullo per longa ſæcula. 14 Animadverſum. 15 Ita infrà: *Oraque præſtant vocis iter.* 16 Poſtquam viciſſim ſuſpiraverant. 17 Q. d. Minimùm eſſet, ut permitteres nos toto corpore copulari. Emphatice. 18 Saltem. 19 Saltem aperiri tantum deberes, ut nos invicem oſculari poſſemus. 20 Obſtrictos devinctos. 21 Circà, paulò antè noctem, adveniente nocte. Sic lib. XI. *Cum mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit Fluctibus.* 22 Quæ ad alteram partem non perveniebant. 23 Stellas, quæ aurorâ adveniente, auferri videntur. 24 Pruina aſperſas, vel madidas. Eſt autem *pruina* ros congelatus 25 Convenêre. 26 Mediâ, quòd eo tempore omnia ſileant animalia. 27 Decipere januarum cuſtodes, qui *janitores* vocantur. 28 Domibus. Pars pro toto. 29 Exire. 30 Domos.

Neve

Neve ſit errandum lato [31] ſpatiantibus arvo;
Conveniant ad [32] buſta Nini: lateantque ſub umbrâ
Arboris. Arbor ibi niveis uberrima pomis
[33] Ardua morus erat, gelido [34] contermina fonti.
Pacta placent: & lux [35] tardè diſcedere viſa
Præcipitatur [36] aquis, & aquis [37] nox ſurgit ab îſdem.
Callida per tenebras, [38] verſato cardine, Thisbe,
Egreditur, fallitque ſuos: adopertaque [39] vultum
Pervenit ad tumulum; [40] dictaque ſub arbore ſedit.
[41] *Audacem faciebat amor.* Venit [42] ecce recenti
Cæde leæna boum ſpumantes oblita [43] rictus,
[44] Depoſitura ſitim vicini fontis in undâ.
[45] Quam procul ad Lunæ radios Babylonia Thisbe
Vidit: & obſcurum [46] timido pede fugit in antrum.
Dumque fugit; tergo velamina lapſa relinquit.
[47] Ut lea ſæva ſitim multâ [48] compeſcuit undâ,
Dum redit in ſylvas, inventos forte ſine ipsâ
Ore cruentato tenues [49] laniavit [50] amictus.
Seriùs egreſſus veſtigia vidit in alto
Pulvere certa feræ, totoque expalluit ore
Pyramus: ut verò [51] veſtem quoque ſanguine tinctam
Repperit; Una duos nox, inquit, perdet amantes
E quibus [52] illa fuit longâ [53] digniſſima vitâ:
Noſtra nocens [54] anima eſt. Ego te, [55] miſeranda, [56] peremi,
In loca plena metûs qui [57] juſſi nocte venires:
Nec prior huc veni. Noſtrum divellite corpus,
Et ſcelerata fero conſumite viſcera morſu,
O quicunque [58] ſub hâc habitatis rupe, [59] leones!
Sed [60] *Timidi eſt optare necem.* Velamina Thisbes
Tollit, & ad [61] pactæ ſecum fert arboris umbram.
Utque dedit notæ lacrymas, dedit oſcula veſti:

31 In magno agri ſpatio obambulantibus. Nam *ſpatiari* nihil aliud eſt quam in ſpatio lati itineris obambulare. 32 Ad ſepulchrum Nini, Aſſyriorum regis. *Buſtum* autem propriè dicitur locus, in quo cadavera combuſta ſunt. 33 Alta. 34 Finitima, vicina. 35 Affectum exprimit amantium, quibus dies maximè longus videtur, in cujus noctem convenire ſtatuerunt. 36 In aquas Oceani: ex opinione vulgi, quod olim credidit Solem occidere mari Heſperio. 37 Ubi enim Sol occidit, indè nox videtur oriri. 38 Revoluto ferramento, circà quod fores vertuntur, i. aperta janua. Sic infrà: *Janua ne verſò ſtridorem cardine reddat.* 39 Habens vultum tectum, ne, ſi cui fortè occurreret, agnoſceretur. 40 Conſtitutâ. *Ter.* Hic nuptiis *dictus* eſt dies. *Cæſ.* lib. 1. *De bel Gal.* Dies colloquio *dictus* eſt ex eo quintus. 41 Cauſam reddit, cur tam audax eſſet ut noctu ſola in agro reſideret. 42 Hæc particula ſemper ferè aliquid repentini, inſperatique mali ſignificat. Virg. *Ecce autem gemini à Tenedo,* &c. 43 Habens ora ſpumantia ſanguine boum inſecta. 44 Potatura è vicino fonte. 45 Leænam. 46 Trepidis ac feſtinantibus pedibus. 47 Poſtquam leæna. 48 Extinxit, ſedavit. 49 Laceravit. 50 Velum. 51 Velum. 52 Thisbe. 53 Quia & promiſſis ſtetit, & longè antè ſe ad conſtitutum locum venit. 54 Vita. 55 Pyramus profitetur ſe fuiſſe cauſam necis Thisbes, quam à leænâ delaniatam putabat. 56 Necavi. 57 Quia ego juſſi: eſt enim relativum cauſam exprimens, cur Pyramus interfecerit Thisben. 58 Sub hoc ſaxo, in hac ſpeluncâ. Propinqua enim ſpelunca erat, in quam refugerat Thisbe. 59 Apoſtrophe ad leones, à quibus Pyramus dilaniatam putabat Thisben. 60 Cùm ſibi vir fortis eam conſciſcat. 61 Conſtitutæ. Paulo ſuperiùs *dictam* dixit.

Accipe nunc, inquit, nostri quoque sanguinis haustus,
Quoque erat accinctus, dimittit in ilia [62] ferrum.
Nec mora; ferventi moriens è vulnere traxit,
Ut jacuit resupinus humi; cruor [63] emicat altè.
Non [64] aliter, quàm cùm [65] vitiato [66] fistula plumbo,
Scinditur, &, tenues stridente foramine longè
[67] Ejaculatur aquas; atque ictibus [68] aëra rumpit.
[69] Arborei fœtus aspergine [70] cædis in [71] atram
Vertuntur faciem: madefactaque sanguine radix
Puniceo tingit pendentia mora colore.
Ecce metu nondum [72] posito, ne fallat amantem,
[73] Illa redit: [74] juvenemque oculis, animoque requirit:
Quantaque vitârit narrare pericula [75] gestit.
[76] Utque locum, & versam cognovit in arbore formam;
(Sic facit incertam [77] pomi color) [78] hæret an hæc sit.
Dum dubitat, [79] tremebunda videt [80] pulsare cruentum
Membra solum; [81] retroque pedem tulit: oraque buxo
Pallidiora gerens, [82] exhorruit [83] æquoris instar,
Quod [84] fremit, exiguâ cùm summum [85] stringitur aurâ.
Sed postquam remorata suos cognovit [86] amores,
Percutit [87] indignos claro plangore lacertos:
Et [88] laniata comas, amplexaque corpus amatum,
Vulnera [89] supplevit lacrymis; fletumque cruori
Miscuit: & gelidis [90] in vultibus oscula figens,
Pyrame, clamavit, [91] quis te mihi casus [92] ademit?
[93] Pyrame, responde. Tua te, charissima Thisbe
Nominat. Exaudi: vultusque attolle jacentes.
Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos
Pyramus [94] erexit, visâque [95] recondidit illâ.
Quæ postquam [96] vestemq; suam cognovit, & ense
Vidit [97] ebur [98] vacuum; [99] Tua te manus, inquit, amorque
Perdidit, infelix. Est & mihi fortis in unum

62 Ensem. Metonymia materiæ. 63 Exilit. 64 Pulchra similitudine ostendit Poëta, quam altè ex Pyrami vulnere sanguis exiliret. 65 Fracto, corrupto. 66 Fistula per quam aqua deducitur, ex plumbo ferè fieri consuevit: sic dicta, quod fistulæ & tibiæ similis sit. 67 Longè ejicit. 68 Aquæ emissione aërem penetrat. 69 Mora, arboris illius fructus. 70 Aspersione sanguinis. 71 In nigram figuram. 72 Deposito. 73 Thisbe. 74 Pyramum. 75 Percupit. 76 Postquam locum, & visam arboris figuram Thisbe cognoscit, tamen colore mororum, quæ ex albis rubicunda fuerant effecta, redditur incerta. 77 Color fructus mori arboris in rubicundum transmutatus. Pomum autem generale nomen est omnium fructuum, quicunque in arboribus nascuntur, sive molles, sive duros cortices habeant: sed maxime dicitur de fructibus molles cortices habentibus. 78 Dubitat an eadem illa sit arbor sub quâ paulò antè sederat. 79 Palpitantia. 80 Percurrere. Nondum enim mortuus erat Pyramus. 81 Retrocessit. 82 Turbata est. 83 Ad similitudinem maris. 84 Strepit. 85 Leviter à vento attingitur. 86 Amatum & amantem Pyramum. 87 Immeritos. 88 Capillos dilacerans; Græcismus. 89 Implevit. 90 In frigida facie pyrami morientis. 91 Quod infortunium. 92 Eripuit. 93 Est Epizeuxis. 94 Aperuit. 95 Iterum condidit, clausit. 96 Velum suum, quo deceptus Pyramus se ipsum interfecerat. 97 Pro vagina eburnea. Metonym. materiæ. 98 Carentem ense. 99 Te ipsum ob amorem, quo me prosequebaris, interfecisti.

Hoc manus: eſt & amor. Dabit [100] hic in [101] vulnera vires.
Perſequar exſtinctum: letique miſerrima dicar
Cauſſa, comeſq; tui. Quiq; à me morte [102] revelli
Heu ſola poteras, poteris nec morte revelli.
Hoc tamen amborum verbis eſtote rogati
O multum miſeri meus illiuſque Parentes,
Ut, quos [103] certus amor, quos hora noviſſima junxit,
[104] Componi [105] tumulo non [106] invideatis eodem.
At tu, quæ ramis arbor miſerabile corpus
Nunc tegis unius, mox es tectura duorum;
Signa tene cædis: [107] pulloſque, & luctibus aptos
Semper habe fœtus gemini [108] monumenta [109] cruoris.
Dixit: & [110] aptato pectus mucrone [111] ſub imum
Incubuit [112] ferro; quod adhuc à cæde tepebat.
[113] Vota tamen [114] tetigêre Deos, tetigêre parentes.
Nam color in pomo eſt, ubi [115] permaturuit, ater;
[116] Quodque rogis ſupereſt, unâ requieſcit in [117] urnâ.

100 Amor. 101 Ad vulnera mihi ipſi inferenda. 102 Separari. 103 Verus. 104 Condi, ac ſimul ſepeliri. 105 Sepulchro. 106 Non prohibeatis noſtris votis invidentes. 107 Nigros. 108 Memoriam. 109 Sanguinis duorum, Pyrami & Thisbes. 110 Appoſitâ cuſpide 111 Ad infimam pectoris partem. 112 Enſi, quo ſeipſum paulò antè transfixerat Pyramus. 113 Preces. 114 Commoverunt. 115 Perfectè maturuit.

116 Cinis & oſſa rogis ſupereſſe ſolent. 117 Vaſe, quo mortuorum cineres ſervabantur.

Venus & Mars deprehenſi, & Leucothoë in virgam thuream. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Sol prælatam Leucothoën ex Eurynome & Orchamo Perſiæ principe, ab origine Beli ſeptimo genitam, Clymenæ Arcadi Circes matri, & Clytiæ, quarum pulchritudine ejus antea ſollicitus animus fuerat, dilexit. Et cupiens, ut in ante dictis, cupiditatem ſedat. Nam in ſpeciem Eurynomes matris puellæ converſus, virginem deceptam dolo vitiavit, Clytie autem, quâ nondum Sol ſatiatus erat, eo adulterio incenſa parenti puellæ indicavit. Quam ille cùm terræ defodiſſet, vitiator admiſſi miſericordiam exhibens, deducto ſolo, cui ſubjecta fuerat, pro ea virgam tinctam nectare, quæ diis hominibuſque gratiſſima eſſet, extulit, quæ thurea appellatur. Hoc indicat Heſiodus.

[1] Deſierat. Mediumque fuit breve tempus; & orſa eſt

1 Scil. Alcithoë loqui. Finem enim narrationi ſuæ impoſuerat.

Dicere Leuconöe. [2] Vocem tenuere sorores.
[3] Hunc quoque, siderea qui temperat omnia luce,
Cepit amor Solem: Solis referemus amores.
Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
Hic vidisse [4] Deus: [5] videt hic Deus omnia primus.
Indoluit facto: [6] Junonigenæque marito
[7] Furta tori, furtique locum monstravit: at [8] illi
Et mens, & quod opus fabrilis dextra tenebat,
Excidit. Extemplo [9] graciles ex ære catenas,
Retiaque, & laqueos, quæ [10] lumina fallere possint,
[11] Elimat. Non illud opus tenuissima vincant
[12] Stamina, non summo quæ pendet [13] aranea [14] tigno.
[15] Utque leves tactus, momentaque [16] parva sequantur,
Efficit: & lecto circumdata collocat aptè.
Ut [17] venêre torum conjux & adulter in unum;
Arte viri, vinclisque nova ratione paratis,
In mediis ambo [18] deprensi amplexibus hærent.
[19] Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas:
[20] Admisitque Deos: illi jacuere ligati
Turpiter. Atque aliquis de Deis non tristibus optet
Sic fieri turpis. Superi risere: diuque
[21] Hæc fuit in toto notissima fabula cœlo.
Exigit [22] indicii [23] memorem [24] Cythereïa pœnam:
[25] Inque vices [26] illum, tectos qui læsit amores,
Lædit amore pari. Quid nunc, [27] Hyperione nate,
Forma, calorque tibi, radiataque lumina prosunt?

2 Siluerunt. 3 Q. d. Non solùm mortales capiuntur amore, sed Dii quoque, & quidem clarissimi. Antequam narret quomodo Leucothoë in virgam thueam fuerit mutata, exponit adulterium Martis cum Venere. Sol enim, cum olim Martem cum Venere coëuntem cerneret, Vulcano ejus marito hoc facinus indicavit; qui suprà modum indignatus, retibus tenuissimis cubile circumdedit, quibus Martem cum Venere rem habentem sic implicavit, ut alter ab alterâ divelli nullo modo possent. Patefacto deinde cubiculo, ambos omnium Deorum oculis spectandos subjecit, & eorum adulterium aperte hoc pacto retexit. Venus itaq; propter adulterium suum, à Sole divulgatum, ei Leucothoës, filiæ Eurynomes & Orchami, regis Achæmeniæ, amorem immisit. qui, ut commodius eâ potiretur, se in matris Eurynomes formam mutavit. Cum verò pater Orchamus eam vitiatam esse, indicio Clytiæ, Solis amicæ, cognovisset, filiam defodit sub terram. Sol verò amicam miseratus, eam in thuris arborem commutavit. 4 Sol. 5 Causa est cur Sol putetur omnium primus Martis adulterium cum Venere vidisse. 6 Vulcano ex Junone genito. Vulcanum enim solum Juno ex Jove suscepit. 7 Stupra, adulteria, quod *furtim* fiant. 8 Vulcano. 9 Tenues atque subtiles. 10 Quæ oculos decipere valerent. De hoc 2 de Art: *Mulciber obscuros, lectum circaque superque, Disponit laqueos, lumina fallit opus.* 11 Efficit limâ. 12 Fila, quæ è colo ducuntur. 13 Tela aranearum. 14 Trabi, cui superponitur tectum. 15 Significat retia ea tam mollia ac flexibilia fuisse, ut ne quidem, si tangerentur, sentiri possent, ac facilè rebus omnibus cederent. 16 Parva obstacula: ut parùm resistere viderentur. 17 Postquam concubuerunt. 18 In re prohibita inventi. 19 Vulcanus, sic dictus ab insula Lemno, in quam ille, cum matri adversus Jovem vellet succurrere, præcipitatus à Jove decidit. Homeri Il. α. in fine. 20 Et advocavit Deos ad spectaculum Veneris & Martis, qui ita ligati in lecto jacebant, ut se dissolvere non possent. 21 Sic 2. de Art. *Fabula narratur toto notissima cælo, Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.* Ubi hanc ipsam rem longo carmine describit. 22 Revelationis. 23 Quam Venus in memoriâ habebat. Sic Virg. *Sævæ memorem Junonis ob iram.* 24 Venus, à *Citheris* insulâ sic dicta, ad quam primùm è mari nata, conchâ pervenisse dicitur. 25 Et vicissim, è contrario. 26 Solem. 27 Sol Hyperionis Titanis filius fuit simul cum Lunâ & Aurorâ. Est autem apostrophe ad Solem.

Nempe

Nempe tuis omnes qui terras ignibus uris,
Ureris [28] igne novo: quique omnia cernere debes,
Leucothoën ſpectas: & virgine figis in una,
Quos mundo debes, oculos. [29] Modò ſurgis [30] Eöo
[31] Temporius cœlo: modò ſerius [32] incidis undis;
Spectandique morâ [33] brumales [34] porrigis horas.
Deficis interdum: [35] vitiumque in lumina mentis
[36] Tranſit; & obſcurus mortalia pectora terres.
Nec, tibi quòd Lunæ terris propioris imago
Obſtiterit, palles. [37] Facit hunc amor iſte colorem.
Diligis hanc [38] unam: nec te [39] Clymeneque [40] Rhodoſque,
Nec tenet [41] Æææ genitrix pulcherrima Circes.
Quæque tuos [42] Clytie, quamvis deſpecta, petebat
Concubitus; ipſoque illo grave [43] vulnus habebas
Tempore. Leucothoë multarum [44] oblivia fecit;
Gentis [45] odoriferæ quam [46] formoſiſſima partu
Edidit [47] Eurynome, ſed poſtquam filia crevit,
Quàm mater cunctas, tàm matrem filia vincit.
Rexit [48] Achæmenias urbes pater Orchamus: iſque
Septimus à priſci numeratur origine [49] Beli.
[50] Axe ſub Heſperio ſunt paſcua Solis equorum;
[51] Ambroſiam pro gramine habent. Ea feſſa diurnis
Membra miniſteriis nutrit, reparatque labori.
Dumque ibi quadrupedes cœleſtia pabula carpunt;
Noxque vicem peragit; thalamos [52] Deus intrat [53] amatos
Verſus in Eurynomes faciem [54] genitricis; & inter
[55] Bis ſex Leucothoën famulas ad [56] limina cernit
Lævia verſato [57] ducentem [58] ſtamina [59] fuſo.
Ergo ubi, [60] ceu mater, caræ dedit oſcula natæ;
Res, ait, arcana eſt: famulæ, diſcedite: neve
[61] Arripite [62] arbitrium matri ſecreta loquenti.
Paruërunt: thalamoq; Deus ſine teſte relicto,
Ille ego ſum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video; per quem videt omnia tellus:

28 Amore inuſitato. 29 Interdum 30 Orientali cœlo, unde oritur Aurora, quæ Græcè ἠώς dicitur. 31 Eſt autem adverbium comparativi gradus, à poſitivo *Tempori*. 32 Occidis. 33 Hyemales dies, qui ſolent eſſe breviores. *Bruma* enim eſt dies ſolſtitii hyemalis. 34 Producis. 35 Ægritudo ac paſmo cordis, quâ ferè amantes patiuntur. 36 Pallida enim videbantur. 37 Pallêre enim propriè amantum eſt. Unde alibi: *Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.* 38 Hanc ſolam, ſc. Leucothoën. 39 Nec nunc tibi ita placet Clymene Phaëthontis mater. 40 Nec Rhodos Neptuni & Veneris filia, olim perditè à te amata. 41 Nec Perſe Mater Circes natæ in oppido Colchorum, cui nomen Æa. 42 Nec Clytie quæ te fruſtra amavit. Vidè infrà. 43 Magnum dolorem. 44 Sed una Leucothoë facit ut earum omnium obliviſcaris. 45 Odorem ferentis; i. Arabicæ. 46 Pulcherrima. 47 Nympha fuit, Oceani & Tethyos filia, uxorque Orchami, Achæmeniorum regis. 48 Perſicas. Achæmenes Rex fuit Perſarum, a quo Cyrus originem duxit; ejuſque familia Gens *Achæmenidum* vocata: & inde Perſæ Achæmenii. 49 A primo Belo, qui Abantem genuit, &c. 50 Sub Cœlo occidentali. 51 Cibum Deorum, quo etiam equi Solis paſci dicuntur. Vide ſuprà *Lib* 2. *Fab.* 1. *Ambroſiæ ſucco ſaturos præſepibus altis Quadrupedes ducunt.* 52 Sol. 53 Amicæ Leucothoës cubiculum. 54 Matris Leucothoës. 55 Duodecim. 56 Lampadum: erat enim nox. 57 Deducentem, filantem. 58 Mollia fila. 59 Inſtrumento quod mulieres nendo digitis volvunt: à *fundendo* dictum. 60 Tanquam. 61 Abripite; *arripere arbitrium*, eſt cavere ut ſit remotus ab omni arbitrio locus; ita noſter, *Lib* 2. *Procul eſt, ait, arbiter omnis.* 62 Facultatum.

Mundi oculus: mihi, crede, places: pavet illa: metuque,
Et [63] colus, & fusus digitis cecidêre remissis.
Ipse timor decuit: nec longiùs ille moratus
In veram rediit faciem, solitumque [64] nitorem.
At virgo, quamvis inopino territa visu,
Victa nitore Dei, positâ vim passa querelâ est.
Invidit Clytiē, (neque [65] enim moderatus in illâ
Solis amor fuerat) [66] stimulataque pellicis ira
Vulgat adulterium: [67] diffamatumque [68] parenti
Indicat. [69] Ille ferox immansuetusque precantem,
Tendentemque manus ad lumina Solis, &, Ille
Vim tulit invitæ, dicentem, defodit altâ
Crudus humo: [70] tumulumque super gravis addit arenæ.
Dissipat hunc radiis [71] Hyperione natus: iterque
[72] Dat tibi, quo possis defossos promere vultus.
[73] Nec tu jam poteras [74] enectum pondere terræ
Tollere, Nympha, caput: corpusque [75] exsangue jacebas.
Nil illo fertur volucrum [76] moderator equorum
Post Phaëthontêos vidisse dolentius ignes.
Ille quidem [77] gelidos radiorum viribus artus,
Si queat, in vivum tentat [78] revocare calorem.
Sed, quoniam tantis [79] fatum conatibus obstat,
[80] Nectare odorato spargit corpusq; locumq;
Multaq; præquestus, [81] Tanges tamen æthera, dixit.
Protinus imbutum cœlesti nectare corpus
[82] Delicuit, terramque suo madefecit odore:
Virgaque per glebas [83] sensim [84] radicibus actis
Thurea surrexit; [85] tumulumque cacumine [86] rupit.

63 Instrumentum cui appenduntur stamina filanda. Est autem secundæ & quartæ declinationis.
64 Pulchritudinem, splendorem.
65 Causam reddit cur invideret Clytie. Nimius enim erat Solis amor erga Leucothoën.
66 Tanquam pellex irata. 67 Vulgatum in sinistram partem.
68 Patri Leucothoës, sc. Orchamo. 69 Ordo est: Ille ferox, & immansuetus, defodit crudus precantem & tendentem manus ad lumina solis, & dicentem, Ille tulit invitæ (sc. mihi) vim, humo altâ.
70 Aggerem.
71 Apollo dicitur Hyperione natus, quia Hyperion, ut Diodorus refert, Saturni frater, primus solis ac lunæ vices, & motus astrorum observavit, ac docuit. Hyperion ipse sæpe pro sole usurpatur. 72 Facit tibi viam quâ faciem efferre possis. 37 Apostrophe ad Leucothoën. 74 Necatum, obrutum. 75 Motuum, sine sanguine. 76 Descriptio est Apollinis qui rector est velocissimorum ac volantium equorum. 77 Mortua membra. 78 Reducere. 79 Fati necessitas. 80 Suavissimi odoris liquore. Est enim Nectar Deorum potus. 81 Ad cœlum tamen pervenies, quamvis te ad vitam revocare non possim. 82 Molle & liquidum factum est: est autem perfectum à *deliquesco*. 83 Paulatim. 84 Radicibus emissis. Sic alibi: *Et mala radices altiùs arbor agit*. 85 Arenæ aggerem. 86 Prodiit cacumine è tumulo.

Clytie in Heliotropium. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Clytie Nympha, ob injuriam ab amatore deserta, ita tenuata visceribus est, ut in herbam converteretur, quæ primum conservans amorem ejusdem

dem Dei, Heliotropium diceret, cursum servaret ejusdem Dei.

[1] AT Clytien, (quamvis amor excusare dolorem,
Indiciumq; dolor poterat) non amplius auctor
Lucis adit: [2] Venerisque modum sibi fecit in illa.
[3] Tabuit [4] ex illo dementer amoribus usa,
Nympharum impatiens; & sub [5] Jove nocte dieque
Sedit humo nuda nudis incomta capillis,
Perque novem [6] luces [7] expers undæque cibique
Rore mero, lacrymisque suis jejunia pavit:
[8] Nec se movit humo. Tantùm spectabat euntis
Ora Dei: vultusque suos [9] flectebat ad illum.
Membra [10] ferunt [11] hæsisse solo: partemque coloris
[12] Luridus exsangues pallor convertit in herbas.
Est in parte rubor: violæque simillimus ora
Flos tegit. Illa [13] suum, quamvis radice tenetur,
Vertitur ad solem: [14] mutataq; servat amorem.

1 Clytie Nympha supradicta à Sole delicta, ob proditam Leucothoën ab amatore deserta, cùm novem dies sine ullo potu ac cibo exegisset, ita tenuata visceribus est, ut miseratione Deorum in herbam heliotropium converteretur, quæ nunc quoque pristini amoris memor, continuè folia ad solem vertit. *Heliotropium* dicitur *solis conversio*, nam ἥλιος sol & τροπὴ conversio. 2 Finem amoris. Metonymia efficientis. 3 Paulatim consumta est. 4 Ex eo tempore, quo à Sole fuit derelicta, tabescere cœpit Clytie. 5 Sub dio ad aërem. 6 Dies. 7 Carens potu & cibo. 8 Nec surrexit. 9 Vertebat. 10 Dicunt. 11 Affixa fuisse terræ ita ut surgere non posset. 12 Fuscus, lividus factus. 13 A se amatum. 14 In Heliotropium conversa.

Daphnis, Scython, Celmis, Smilace.
Fab. VII, VIII, IX, & X.

ARGUMENTUM.

Rogat Alcithoën suæ sorores, ut aliquid quoque fabularum narret. Narratura, deliberans, ait se non dicturam de Daphnide Idæo pastore, qui quod fidem conjugii non præstiterit, in saxum abiit; nec de Scythone qui ex viro in fœminam cesserat; nec de Celmi Jovis nutritio, qui in adamantem conversus est; nec de Smilace virgine, quæ Crocum adolescentem amans, eo frui non potuit suntque in flores ambo conversi: sed de fonte Salmacide, de quo videnda sequens fabula undecima.

[1] DIxerat: & factum mirabile [2] ceperat aures.
Pars fieri potuisse negânt; pars omnia veros
Posse deos memorant: sed non & Bacchus in [3] illis.
[4] Poscitur Alcithoë, postquam siluere sorores:

1 Leuconoë narrare desierat. 2 Delectaverat. 3 Bacchum, unum ex veris Diis, qui hujusmodi miracula queunt efficere non agnoscunt. Adi Spicilegium. 4 Rogatur, ut aliquid fabularum narret.

Quæ [5] radio [6] ſtantis percurrens ſtamina [7] telæ,
Vulgatos taceo, dixit, paſtoris amores
[8] Daphnidis [9] Idæi, quem [10] Nymphe pellicis ira
[11] Contulit in ſaxum. [12] *Tantus dolor urit amantes.*
[13] Nec loquor, ut quondam naturæ jure novato
Ambiguus fuerit modò vir, modò fœmina, Scython.
Te quoque, nunc adamas, quondam fidiſſime parvo
[14] Celmi Jovi, largoque ſatos [15] Curetas ab imbri:
Et [16] Crocon in parvos verſum cum Smilace flores,
Prætereo: dulcique animos novitate tenebo.

5 Inſtrumento ligneo, quo utuntur textores. 6 Pendentis. 7 Tela eſt quod texendo conficitur. 8 Filii Mercurii. 9 Paſtoris Phrygii, ab Ida monte. 10 Thalia, à quâ Daphnis adamatus eſt. 11 Convertit. 12 Tanta triſtitia cruciat amantes, ut ſæpe amatos perdant. 13 Scython quidam ex mare in fœminam mirando quodam modo fuit commutatus. 14 Apoſtrophe ad Celmim, qui olim fidus nutricius parvi (i. e. infantis) Jovis, poſtea tamen quod illius mortalitatem vulgaſſet, in adamantem mutatus eſt. 15 *Curetes* fuerunt illi, qui ſacra Jovis in Cretâ, & matris Deorum in Phrygiâ cum armorum tumultuoſâ agitatione, cumque ſtrepitu ac cymbalorum tympanorumque ſonitu, nec non tibiis ac vociferationibus celebrarent: hos ex imbre natos fabulantur Poëtæ. 16 Crocos adoleſcens fuit, quem cùm Smilax virgo amaret, neque frui poſſet, ambo in flores mutati ſunt.

Salmacis. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Placuit itaque Alcithoë in gratiam ſororum Salmacidem Cariæ fontem referre, cujus liquore contacti in mollitiem verſi defigurantur. Cùm Mercurius, inquit, ex Venere Hermaphroditum formoſiſſimum adoleſcentem genuiſſet, eumque Naïdes Nymphæ in Ida monte educaviſſent, relictis ſedibus in Cariam venit. Hic conſpicato fonte perlucentis aquæ uſq; ad imum ſolum, curſum continuit. Quo diutius eo loco morante, Salmacis Naïdum una dum flores legit, conſpicatis veſtigiis diligere eum cæpit. Dum igitur circa montem Nonacrinum moratur, teneturque cum Nymphæ precibus, tum liquoris blanditiâ, paulatim in fonte ſe merſit, confeſtimque complexu Naïdis inhæſit: nec ante ab ea dimiſſus eſt, quàm à diis impetraſſet, in unam ut cederet ſpeciem. Data itaque venia Hermaphroditus poſtquam ſe animadvertit nec virum nec fæminam factum, à parentibus impetravit, (ne infamis ſolus eſſet) ut quicunque ejus fontis aquâ contactus eſſet, perinde ut ipſe molleſceret.

Unde

UNde ſit infamis; quare malè fortibus undis
[1] Salmacis [2] enervet, tactoſque [3] remolliat artus;
Diſcite: cauſſa latet; vis eſt notiſſima fontis.
Mercurio [4] puerum diva [5] Cythereide natum
Naïdes [6] Idæis enutrivêre ſub antris.
[7] Cujus erat facies, in qua materque paterque
Cognoſci poſſent: [8] nomen quoque traxit ab illis.
Is tria cùm primùm fecit quinquennia; montes
Deſeruit patrios: Idâque altrice relictâ
Ignotis errare locis, ignota videre
Flumina gaudebat; [9] *ſtudio minuente laborem.*
[10] Ille etiam Lycias urbes, Lyciæque propinquos
[11] Caras adit; [12] videt hìc ſtagnum lucentis ad imum
[13] Uſque ſolum lymphæ: non illìc canna paluſtris,
Nec ſteriles ulvæ, nec acuta cuſpide junci.
Perſpicuus liquor eſt. Stagni tamen [14] ultima [15] vivo
Ceſpite cinguntur, ſemperque virentibus herbis.
[16] Nympha colit: ſed nec venatibus apta, nec arcus
Flectere quæ ſoleat, nec quæ contendere curſu;
Solaque Naïadum [17] celeri non nota Dianæ.
Sæpe ſuas illi fama eſt dixiſſe [18] ſorores:
Salmaci, vel jaculum, vel pictas ſume pharetras;
Et tua cum duris [19] venatibus otia miſce.
Nec jaculum ſumit, nec pictas illa pharetras:
Nec ſua cum duris venatibus otia miſcet.
Sed modò fonte ſuo formoſos perluit artus;
Sæpe [20] Citoriaco deducit pectine crines:
Et quid ſe deceat, ſpectatas [21] conſulit undas.
Nunc [22] perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus [23] incubat herbis.
Sæpe legit flores. Et tunc quoq; fortè legebat,
[Cùm [24] puerum vidit: viſumque optavit habere.]

1 Fons eſt Cariæ, quem qui ingrediuntur, effœminati ac molles egrediuntur. Hujus autem rei cauſſam Poëta refert in Hermaphroditi preces, qui parentes rogavit, ut, quemadmodum ipſe, ſic alii quoque fontem illum intrantes molleſcerent. Nam Hermaphroditus, Mercurii ac Venæris filius, fuit formoſiſſimus, qui cùm in fontem Salmacidis Nymphæ ingreſſus eſſet, ita à Nymphâ fuit colligatus, ut ex duobus corporibus unum fieret, utrumque habens ſexum. Undè etiam nunc hermaphroditi utroque ſexu præditi ſunt. 2 Nervos ac vires eripiat, effœminet. 3 Molles efficiat. 4 Hermaphroditum. 5 Deâ Venere. Hermaphroditus enim fuit Mercurii & Veneris filius. 6 In ſpeluncis Idæ, montis Phrygiæ. 7 Formoſiſſimum fuiſſe Hermaphroditum ſignificat, cùm ſimilem eum parentibus fuiſſe dicat. 8 Nam *Hermaphroditus* ἀπὸ τοῦ Ἑρμοῦ, i. à *Mercurio*, & Ἀφροδίτης, i. *Venere*, fuit appellatus. 9 Cupiditate, & animi inclinatione. *Studium* propriè eſt diligentia & alacritas ad aliquam rem. Unde pro exercitatione aliquando ponitur. Hinc dicimus, *ſtudia literarum.* Hinc fit *ſtudioſus*, quod aliquando ſignificat aſſiduum ac perſeverantem; ut vir *ſtudioſus* ac diligens. Aliquando accipitur pro cupido. & alicui rei dedito atque addicto: ut *ſtudioſus laudis, gloriæ*, i. cupidus laudis & gloriæ. 10 Hermaphroditus. 11 Cares populi ſunt Cariæ, à nomine Car, Caros. 12 Fontis Salmacidis deſcriptio. 13 Aqua uſque ad fundum perſpicua erat, ut infra. 14 Extrema margo. 15 Aggere herbis & graminibus virente. 16 Salmacis inhabitat. 17 Celeriter currenti, dum venatur. 18 Nymphæ vicinæ. 19 Laborioſis venationibus. 20 Buxeo. *Citorum* eſt mons Galatiæ abundans buxo, ex quo igno pulchri pectines conficiuntur. 21 Contemplatur ſe in aquis veluti in ſpeculo. 22 Pellucidâ veſte. 23 Recubat, jacet. 24 Hermaphroditum. Verſum hunc adulterinum eſſe putat Heinſius, quamvis codices veteres eum conſtanter agnoſcunt.

Nec

Nec tamen antè adiit, etsi properabat adire.
Quàm se [25] composuit, quàm circumspexit amictus,
Et [26] finxit vultum; & meruit formosa videri.
Tunc sic orsa loqui; Puer ô dignissime credi
Esse Deus; seu tu Deus es, potes esse Cupido:
Sive es mortalis; qui te genuêre beati:
Et frater felix, & fortunata profectò
Si qua tibi soror est, & quæ dedit ubera nutrix.
Sed longè cunctis longèque potentior illis,
Si qua tibi sponsa est; si [27] quam dignabere tædâ.
Hæc tibi [28] sive aliqua est; mea sit furtiva voluptas:
[29] Seu nulla est; ego sim: thalamumque ineamus eundem. [vit
[30] Naïs ab [31] his tacuit. Pueri [32] rubor ora nota-
Nescia quid sit amor: sed & erubuisse decebat.
Hic [33] color [34] apricâ pendentibus arbore pomis,
Aut [35] ebori tincto est, aut sub [36] candore rubenti,
Cùm [37] frustra resonant [38] æra [39] auxiliaria, Lunæ.
Poscenti Nymphæ sine fine [40] sororia saltem
Oscula, jamque manus ad [41] eburnea colla ferenti,
[42] Desinis? an fugio, tecumque, ait, ista relinquo?
Salmacis [43] extimuit; Locaq; hæc tibi libera trado,
Hospes, ait: simulatque [44] gradu discedere verso.
Tum quoque respiciens, [45] fruticumque recondita sylvâ
Delituit: flexumque genu submisit: at ille,
Ut puer, & [46] vacuus ut [47] inobservatus in herbis
Huc it; & hinc illuc: & in [48] alludentibus undis
Summa pedum, [49] taloque tenus vestigia tingit.
Nec mora; temperie blandarum captus aquarum,
[50] Mollia de tenero velamina corpore ponit.
Tum verò obstupuit; nudæque cupidine formæ
Salmacis exarsit: flagrant quoq; lumina [51] Nymphes
[52] Non aliter, quàm cùm [53] puro nitidissimus orbe

25 Ornavit. 26 Sumpsit vultum blandum, amantique aptum. 27 Si quam tuis nuptiis dignam existimabis. Continens pro contento. Sic suprà: *Tædæ quoque jure coïssent*. *Tæda* autem est arbor, ex quâ faces fiebant. Hinc fit, ut faces, quæ in nuptiis præferebantur, pro nuptiis & conjugio ponantur. 28 Si sponsam habes, mecum velis hoc loco furtim coïre. 29 Si non habes, me velim accipias uxorem. 30 Nympha Salmacis. 31 Post hæc. 32 Verè verecundiæ nota. 33 His similitudinibus Poëta declarat qualis esset Hermaphroditi pueri color, postquam, audita Salmacidis oratione erubuit. Hunc colorem (sc. rubrum) habent poma pendentia, &c. 34 Soli exposita. Arbores autem Soli expositæ rubicundiora poma ferre solent. 35 Minio, ac purpureo colore picto. 36 Lunæ eclipsin patienti. Tunc enim rubescere videtur. 37 Frustra perstrepunt; nihil enim Lunæ deficienti prosunt: quamvis vulgus putet eam æreorum vasorum tinnitibus impediri. 38 Ærea vasa. 39 Auxilium Lunæ adferentia, ne deficiat. 40 Casta, pudica, qualia *sorori* quis daret. 41 Candida ut ebur. 42 Aut desine, aut ego hinc fugiam, ac tibi soli ista loca relinquam. 43 Nec fugeret. 44 Converso gressu & passu. 45 *Frutex* dicitur, qui ad justam magnitudinem arboris non assurgit: frutices ergo medii sunt inter arbores & herbas. 46 Utpote otiosus, & aliis curis solutus. 47 Non visus à quoquam, non notatus. 48 Quæ alludere sibi blandirique videbantur. 49 Usque ad imam pedis partem. 50 Molles ac tenues vestes. 51 Oculi quoque Nymphæ Salmacidos flagrare, i. splendere videntur. Nam etiam oculis prodebat, quanta potiundi Hermaphroditi cupiditate teneretur. 52 Eodem modo oculi Nymphæ flagrare videntur ac splendêre, ut Solis radii sereno aëre, cùm ipsis speculum opponitur. Nam tunc & splendidissimi videntur, & ignem contrahunt. 53 Nebulis carente, & sereno aëre.

Opposita

Oppoſita ſpeculi referitur imagine Phœbus.
Vixque moram patitur; vix jam ſua gaudia differt:
Jam cupit amplecti; jam ſe malè continet amens.
[54] Ille cavis velox [55] applauſo corpore [56] palmis,
Deſilit in [57] latices: alternaque brachia ducens
In [58] liquidis tranſlucet aquis: ut eburnea ſi quis
[59] Signa [60] tegat claro, vel candida lilia, vitro.
Vicimus, en meus eſt, exclamat [61] Naïs: & omni
Veſte procul jactâ, mediis immittitur undis:
Pugnacemque tenet: [62] luctantiaque oſcula carpit:
Subjectatque manus, [63] invitaque pectora tangit:
Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac.
Denique [64] nitentem contra, elabique volentem
[65] Implicat, ut ſerpens, quam [66] regia ſuſtinet ales;
Sublimemque rapit: pendens caput illa, pedeſque
Alligat; & cauda [67] ſpatiantes implicat alas.
Utve ſolent hederæ longos intexere truncos:
Utq; ſub æquoribus deprenſum [68] Polypus hoſtem
Continet, ex omni dimiſſis parte [69] flagellis.
[70] Perſtat [71] Atlantiades; ſperataq; gaudia Nymphæ
Denegat: illa premit; commiſſaque corpore toto
Sicut inhærebat, Pugnes licet, improbe, dixit,
Non tamen effugies. Ita [72] Dii jubeatis, & iſtum
Nulla dies à me, nec me [73] ſeducat ab iſto;
Vota [74] ſuos habuêre deos: nam miſta duorum
Corpora junguntur: facieſque inducitur illis
Una: velut ſi quis [75] conducta cortice ramos,
Creſcendo jungi, [76] pariterque adoleſcere cernat.
Sic ubi complexu [77] coïerunt membra tenaci,
Nec duo ſunt, & forma duplex, nec fœmina dici,
Nec puer ut poſſint: [78] neutrumque, & [79] utrumque videntur.
Ergò [80] ubi ſe liquidas, [81] quo vir deſcenderat, undas
[82] Semimarem feciſſe videt, [83] mollitaque in illis
Membra; manus tendens, ſed jam non voce virili
Hermaphroditus ait, [84] Nato date munera veſtro,

54 Hermaphroditus. 55 Percuſſo. 56 Manibus. 57 Aquas. 58 Puris. 59 Statuas. 60 Cooperiat. 61 Nympha Salmacis. 62 Ab illo reluctante. 63 Illi invito ac nolenti. 64 Repugnantem, reluctantem. 65 Involvit, arctum ſtrictumque tenet. 66 Aquila, quæ idcircò in Jovis tutelâ eſſe dicitur, quòd ex avibus ſola nunquam fulmine tangatur. Eſt autem ſerpentibus infeſtiſſima, à quibus ſæpè ita implicatur, ut in terram unà cum illis decidat. 67 Spatiosè & latè ſe jactantes. 68 Piſcis eſt miræ magnitudinis: à *multis pedibus* ſic appellatus. Nam πολὺς *multus*, & πῶς ποδὸς *pes* dicitur: Hic inſidiatur aliis piſcibus, quin & ipſis piſcatoribus, quos ſi ceperit, omnibus pedibus, quæ hic *flagella* vocantur, ſic conſtringit, ut nullo pacto effugere poſſint.

Eſt etiam *polypus* narium morbus, cum caro interiora naſi occupat. 69 Pedibus. 70 In propoſito perſeverat. 71 Hermaphroditus pronepos Atlantis. Nam Atlas Majam genuit, Maia Mercurium, Mercurius Hermaphroditum. 72 Sic Dii velitis. 73 Abſtrahit, ſeparet. Sic *Propert. At me ab amore tuo deducet nulla ſenectus, Sive ego Tithonus, ſive ego Neſtor ero.* 74 Proprios & propitios. 75 Contractâ: *conduco* & *diduco* opponuntur. 76 Et ſimul creſcere. Eſt autem ab inſitis arboribus ſumpta ſimilitudo. 77 Conjuncta fuerunt. 78 Nec puer, nec puella. 79 Quia ſexum utrumque & pueri & puellæ, habebat. 80 Nunc aſſignat cauſam quod in narrationis principio pollicita eſt Alcithoë, cur Salmacidis fontem ingredientes, molles effœminatique reddantur. 81 In qua vir non mollis, ſed fortis & conſtans deſcenderat & ingreſſus fuerat. 82 Semivirum & effœminatum. 83 Mollia facta. 84 O Pater Mercuri, & Mater Venus, concedite mihi filio veſtro habenti nomen amborum, ut quiſquis, &c.

Et pater & genitrix, amborum nomen habenti:
Quisquis in hos fontes vir [85] venerit, exeat inde
Semivir; & tactis subitò mollescat in undis.
Motus [86] uterque parens nati rata vota [87] biformis
Fecit, & [88] incerto fontem medicamine tinxit.

85 Ingressus fuerit. 86 Et Mercurius & Venus. 87 Qui & maris & fœminæ formam referebat, qualem Hermaphroditi habent. 88 Ignoto mortalibus.

Minyeïdes in Vespertiliones. *Fab.* XII.

ARGUMENTUM.

Minyeïdes Thebanæ sorores fuisse produntur, quarum solertissima Alcithoë, & Leuconoë, Liberi sacra quoniam in contemtum devocaverunt, Minervæ lanificio addictæ, ex improviso die numinis, vocibus tibiarum & tympanorum sono exterritæ sunt, quæ tamen in conspectu non videbant. Dein ubi animadvertêre telas instrumentaque sua in hederam ac vites repente mutata, & locum assuetum feris repletum, noctemque ipsis timentibus offusam; in volucres conversæ sunt que vespertiliones vocantur.

[1] Finis erat dictis: & [2] adhuc [3] Minyeïa proles
Urget [4] opus, spernitque [5] Deum, festumque [6] profanat:
Tympana cùm subitò non apparentia raucis
Obstrepuere sonis: & adunco tibia cornu,
[7] Tinnulaque æra sonant: redolent [8] myrrhæque, crocique:
Resque fide [9] major, cœpere virescere telæ,
Inq; hederæ faciem pendens frondescere vestis.
Pars abit in vites: & quæ modò fila fuerunt,
Palmite mutantur: de stamine [10] pampinus exit:
Purpura [11] fulgorem [12] pictis accommodat uvis.
[13] Jamque dies exactus erat, tempusque subibat,
[14] Quod tu nec tenebras, nec posses dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.
Tecta repentè quati, pinguesque ardere videntur
[15] Lampades, & rutilis collucere ignibus ædes:

1 Alcithoë finem narrandi fabulas faciebat. 2 Nam Alcithoë unà cum sororibus post finitas fabulas Bacchi sacra contemnebant: quapropter iratus Bacchus, eas in vespertiliones mutavit, earumque domum incendit. 3 Minyæ filiæ. 4 Operi instat. 5 Bacchum. 6 Polluit, profanum ac non sacrum efficit. *Profanum* enim opponitur *sacro*. 7 Tinnientia ac resonantia. *Tinnire* propriè dicuntur æra percussa; undè etiam *tintinnabula* sunt appellata. 8 Illis enim delibutus Bacchus ad eas fuerat ingressus quamvis non videretur. 9 Major quam cui fides debeat adhiberi. 10 Folium seu germen vitis, quo vestitur. 11 Ruborem. 12 Acinis variorum colorum. 13 Et jam dies erat præteritus. 14 Crepusculi descriptio: nam *crepusculam* dubia lux dicitur. 15 Faces ex pingui & resinam ferenti tædâ confectæ, non autem propter oleum pingues. *Lampas* enim generale est vocabulum omnium eorum quæ accensa lucent.

[16] Falsaque sævarum simulacra ululare [17] ferarum.
[18] Fumida jamdudum latitant per tecta sorores;
[19] Diversæque locis ignes ac lumina [20] vitant.
Dumque petunt latebras; parvos [21] membrana per artus
Porrigitur, [22] tenuique inducit brachia pennâ.
Nec, quâ perdiderint [23] veterem ratione figuram,
Scire sinunt tenebræ. Non [24] illas pluma levavit.
Sustinuere tamen se perlucentibus alis.
Conatæque loqui, minimam [25] pro corpore vocem
Emittunt; peraguntque leves stridore querelas,
Tectaque, non sylvas, celebrant: lucemque [26] perosæ
Nocte volant. [27] Seroque trahunt à vespere nomen.

16 Imagines a Baccho confictæ. 17 Tygrium ac Lyncum, quæ feræ Bacchi currum trahere dicuntur. 18 Fumosa, fumo plena. 19 Separatæ, utpote quæ in diversa domûs loca fugerant. 20 Fugiunt perterritæ, ne inveniantur. 21 Cuticula seu pellis exterior, quæ membra tegit. Generaliter pro quavis tenuiori pelliculâ accipitur. *Membranæ* etiam dicuntur chartæ ex pellibus animalium factæ. 22 Brachia in alas fuerunt mutata. 23 Pristinam & humanam formam. 24 Minyeïdes plumæ levitate non fuerunt in aërem sublatæ, sed transflucentibus & cartilagineis alis. 25 Secundum corporis magnitudinem. 26 Odium habentes in lucem & diem. 27 *Vespertiliones* enim à *vespere* dicuntur; quemadmodum à Græcis, νυκτερίδες, quia *nocte volant*, appellantur.

Ino & Melicerta in deos marinos.
Fab. XIII.

ARGUMENTUM.

Juno graviter ferens quòd Ino Cadmi filia Liberi altrix sororibus punitis (nam Agave Pentheum, Autonoë Actæonem amiserant, Semele Jovis fulmine perierat) cum duobus remaneret liberis in vita, contemtrix numinis sui, per Tænarum promontorium Peloponnesi inferorum sequens iter, ad Erinnyas ultrices impiorum descendit, petiitque ab eis, ut Athamanta cum conjuge Ino adversos suo numini ulciscerentur. Quarum una imperio parens deæ, relictâ regiâ Ditis ad superos egressa est. Ut Athamantis regiam contigit, in sinum ejus & conjugis, angues ac virus, quibus sensus eorum alienarentur, injecit. Quam ob insaniam ille Learchum filium in venatione pro fera interfecit. Ino autem Melicerten ex scopulo secum in profundum præcipitavit. Qui Veneris precibus, significantis se in undis esse creatam, quo facilius moveret Neptunum pelagi rectorem, in Deorum maris cessere numerum, ita ut Melicertes, Palæmon, ipsa Ino, Leucothea inter marinos Deos nuncuparentur.

1 Tum

[1] TUm verò totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat; magnaſq; novi matertera vires
Narrat ubique Dei: [2] de totque ſororibus expers
Una doloris erat, [3] niſi quem fecêre ſorores.
Aſpicit hanc [4] natis, [5] thalamoque Athamantis habentem
[6] Sublimos animos, & [7] alumno [8] numine Juno.
[9] Nec tulit: & [10] ſecum, Potuit de pellice [11] natus
[12] Vertere [13] Mæonios, pelagoque immergere nautas,
Et laceranda ſuæ [14] nati dare viſcera matri,
Et [15] triplices opperire novis Minyëidas alis?
Nil poterit Juno, niſi [16] inultos flere dolores?
Idque mihi ſatis eſt? Hæc una potentia noſtra eſt?
Ipſe docet quid agam: *Fas eſt & ab hoſte doceri.*
Quidque furor valeat, Pentheâ cæde ſatiſque
Ac ſuper oſtendit. Cur non [17] ſtimuletur, eatque
Per cognata ſuis exempla furoribus Ino?
[18] Eſt via [19] declivis funeſta [20] nubila [21] taxo:
[22] Ducit ad infernas per muta ſilentia ſedes.
Styx nebulas exhalat [23] iners: umbræque recentes
Deſcendunt illac, ſimulacraq; functa ſepulcris.
Pallor, Hyemſq; tenent latè loca [25] ſenta: noviq;
Quà ſit iter, manes [26] Stygiam quod ducit ad urbem,
[Ignorant: ubi ſit nigri fera [27] regia [28] Ditis.]
[29] Mille capax aditus, & apertas undique portas

1 Ino, Cadmi filia Bacchi nutrix ac matertera, uxorque Athamantis, in odium Junonis, incidit, quod ubique Bacchi vires laudibus extollebat, cum & alumni, & mariti, & aliorum felicitate nimium ſuperba videretur. Hanc igitur Juno ut affligeret ad inferos deſcendens, unam è furiis, nomine Tiſiphonem, excitavit, quæ Athamanta in tantum furorem conjecit, ut Learchum, filium ſuum, quaſi in venatione, pro ferâ interfecerit. Ino autem, mariti furorem fugiens è ſcopulo ſe unà cum Melicertâ, altero filio, in mare præcipitavit. Qui Veneris præcibus à Neptuno excepti, in deorum ceſsêre numerum, ita ut Melicertam in Palæmonem, (qui Latinè *Portunus* dicitur) & Ino in Leucothoën Deam (quæ *Matuta* dicitur) commutati fuerint. 2 Sola dolore carebat. Aliæ enim ſorores filios amiſerant, Agave Pentheum, Autonoë Actæonem. 3 Ex infortuniis enim ſororum dolorem capiebat Ino; alioqui felix haberi poterat. 4 Filiis. Learcho & Melicertâ. 5 Nuptiis Athamantis, Thebanorum principis, ac Æoli filii. 6 Elatos, ſuperbos. 7 Bacchi, quem aluerat. 8 Divinitate. 9 Tolerare non potuit. 10 Sc. *locuta eſt.* 11 Bacchus, Semeles filius. 12 Convertere in Delphinos. 13 Tyrrhenos: qui à Mœoniâ erant oriundi. 14 Penthei, qui ſub apri forma à matre materteriſque fuit dilaceratus. Vide lib. 3. v. 726. 15 Tres Minyæ filias. Vide ſupra v. 407. 16 Non vindicatos. 17 In furorem agatur Ino ſororum exemplo. Eſt hæc Junonis iratæ deliberatio in addubitatione, ut Rhetores ajunt. 18 Viam, quæ ducit ad inferos primùm deſcribit deinde ipſas ſedes infernas. 19 Deorſùm inclinata. 20 Umbroſa, obſcura. 21 Ferali ac peſtiferâ. Nam *taxus* arbor eſt maximè venenoſa; unde *toxica* fuerunt denominata. 22 Sc. quæ. Sic *Virg. Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuêre coloni*, ſc. *quam.* 23 Immobilis. Paludes enim quæ non moventur, & nebulas, & tetrum emittunt odorem. 24 Animæ quarum corpora ſepulchra ſortita ſunt: nam quarum cadavera inſepulta jacebant, iis tranſire Stygem paludem non dabitur. 25 Senticoſa, ſpinoſa. *Sentes* enim ſpinæ dicuntur. 26 Infernam. 27 Crudelis aula. 28 Plutonis. Nam ut Græci ἀπὸ τȣ̃ πλȣ́τȣ *Plutonem*, ſic Latini à *divitiis* *Ditem* nominat. Eſt enim terræ Deus Pluto; divitiæ autem ex terrâ effodiuntur. Hunc autem verſiculum penitùs tollas; nam Æneа Poëta dixerat quod totum iter a Manibus obſidebatur, ideoque id ipſum iter ab ipſis ignorari non poterat. Heinſius. 29 Magnitudinem urbis infernæ ſignificat.

Urbs

Urbs habet. Utq; fretum de totâ flumina terrâ,
Sic omnes animas locus accipit ille; nec [30] ulli
Exiguus populo eſt, turbamve accedere ſentit.
Errant exſangues ſine corpore & oſſibus umbræ:
[31] Parſque [32] forum celebrant, pars [33] imi tecta tyranni;
Pars alias artes antiquæ imitamina vitæ.
Suſtinet ire [34] illuc cœleſti ſede relictâ,
([35] Tantum odiis iræque dabat) Saturnia Juno.
[36] Quò ſimul intravit, ſacroque à corpore preſſum
Ingemuit limen; tria [37] Cerberus extulit ora:
Et tres latratus ſimul edidit. [38] Illa [39] ſorores
Nocte vocat genitas, [40] grave & implacabile numen.
Carceris ante fores clauſas [41] adamante ſedebant;
Deque ſuis atros pectebant crinibus angues.
Quam ſimul agnôrunt inter caliginis umbras,
Surrexêre Deæ. Sedes [42] Scelerata vocatur.
Viſcera præbebat [43] Tityos lanianda; novemque
Jugeribus diſtentus erat. Tibi, [44] Tantale, nullæ
Deprenduntur aquæ, quæq; imminet, effugit arbos.
Aut petis, aut urges ruiturum, [45] Siſyphe, ſaxum.
Volvitur [46] Ixion: & ſe ſequiturq; fugitq;
Molirique ſuis letum [47] patruelibus auſæ,
Aſſiduæ repetunt, quas perdant, [48] Belides, undas.

30 Ulli multitudini, quantalibet ſit. Animæ enim locum non occupant, cùm ſint incorporeæ. 31 Nonnulli. 32 Locum, in quo judicia exercentur, lites tractantur. Nam unuſquiſque apud inferos iiſdem ſtudiis delectatur, quibus, dùm viveret, tenebatur. Nonnulli ergo apud inferos ſunt cauſidici, alii aulici, alii artifices, alii in carcere detinentur. 33 Inferni regis Plutonis. Suſtulit hic Heinſius ex auctoritate Membranarum hunc Verſum, *Exercent; aliam partem ſua pœna coërcet.* 34 Ad inferos. 35 Adeò Juno ab irâ odioq; vexabatur. 36 Simulac, poſtquam. 37 Canis eſt triceps, ſeu tria habens capita, aliud ab alio diverſum. Nam unum, ut fingunt, eſt leoninum, alterum caninum, tertium lupinum: inferorum eſt cuſtos. 38 Juno. 39 Furias, Acherontis & Noctis filias, ſcelerum vindices. Sunt autem tres, Tiſiphone, Alecto & Megæra. 40 Moleſtum, & quod nullis precibus placari poteſt. 41 *Adamas* adeò durus eſt lapis, ut nulla alia re, quam hircino ſanguine frangi poſſit. 42 Sceleratorum, carcer inferorum. 43 Jovis & Terræ filius fuit. Hic fuiſſe perhibetur adeò magnus, ut novem jugera ſuo corpore occuparet. Hic cùm Dianæ vim inferre vellet, ſagittis Apollinis ad inferos detruſus, ea pœna fuit damnatus, ut vultures cor ejus nunquam exedere ceſſarent. 44 Tantalus Jovis ex Plote Nymphâ filius, cùm Jovis arcana hominibus prodidiſſet, filiumque Pelopem Diis, hoſpitio ſuſceptis, comedendum appoſuiſſet, alias eſſe carnes mentitus, ad inferos detruſus ea pœna plectitur, ut neque bibere, aquis etiam labia tangentibus, neque quicquam comedere poſſit, quamvis capiti illius arbor immineat pomis onuſta. Undè alibi: *Quærit aquas*, &c. Et, *Poma pater Pelopis præſentia quærit*, & idem *Semper eget liquidis, ſemper abundat aquis.* 45 *Siſyphus* Æoli fuit filius, qui cùm Iſthmum latrociniis infeſtaret, à Theſeo interfectus ea pœna apud inferos damnatus eſt, ut ex imâ valle ſaxum ad montis verticem nunquam urgêre deſiſtat, niſi cùm in vallem deſcendit, ad ſaxum delapſum iterum in montis cacumen impellendum. De hoc ſic alibi: *Siſyphus eſt illic ſaxum volvenſque, petenſque.* 46 Ixion Phlegiæ filius fuit qui à Jove in cœlum ſumtus, Junonem de adulterio interpellare auſus eſt. Quod cùm ab uxore Jupiter intellexiſſet, oppoſuit illi nubem ſub Junonis effigie. Deinde ad inferos detruſus, ita rotæ fuit alligatus, ut ſemper volvatur. De Ixione ipſe alibi: *Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ.* 47 Ex duobus fratribus nati *patrueles* dicuntur. 48 Beli neptes. Nam *Belus* duos habuit filios, Danaum & Ægyptum. Ægyptus quinquaginta Danai filias totidem ſuis filiis deſponſavit. Sed Danaus, cùm Apollinis oraculo didiciſſet, ſe aliquando ab uno filiorum Ægypti, ſuo genero, occiſum iri, filiabus mandavit, ut primâ nocte quæque ſuos maritos occiderent. Quæ quidem omnes, præter unam Hypermneſtram, natu minimam, quæ Lynceo, aut Lino [ut mendosè à multis appellatur] ſponſo pepercit, à quo poſteà Danaus fuit interfectus, patri paruerunt. Quare ea pœna apud inferos ſunt damnatæ ut cribris aquam haurire nunquam deſinant: ſive (ut alii) aqua in dolium pertuſum quod nunquam impleatur, perpetuò ingeratur. De his alibi ita dicit: *Quæque gerunt humeris perituras Belides undas, Exulis Ægypti turba cruenta nurus.*

Quos omnes Acie postquam Saturnia torvâ
Vidit, & ante omnes Ixiona; rursus ab 49 illo
Sisyphon aspiciens, Cur hic è 50 fratribus, inquit,
Perpetuas patitur pœnas: Athamanta superbum
Regia dives habet: qui me cum conjuge semper
51 Sprevit? & exponit caussas 52 odiique viæque;
53 Quidque velit: quod vellet, erat, nè regia Cadmi
54 Staret, & in 55 facinus traherent 56 Athamanta sorores.
Imperium, promissa, preces, confundit in unum:
Sollicitatque Deas. Sic hæc Junone locutâ,
57 Tisiphone canos, ut erat turbata, capillos
Movit: & 58 obstantes rejecit ab ore colubras.
Atque ità, Non 59 longis opus est ambagibus infit,
60 Facta puta, quæcunq; jubes: inamabile regnum
Desere: teque refer cœli melioris ad auras.
Læta redit Juno: quam cœlum intrare parantem
61 Roratis 62 lustravit aquis 63 Thaumantias Iris.
Nec mora; Tisiphone madefactam sanguine sumit
64 Importuna facem: 65 fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam; tortoque incingitur angue:
Egrediturque domo. Luctus comitantur euntem,
Et Pavor, & Terror, trepidoque Insania vultu.
66 Limine constiterat: 67 postes tremuisse 68 feruntur
Æolii; 69 pallorque fores infecit 70 acernas;
71 Solque locum fugit: monstris exterrita conjux,
Territus est Athamas: tectoque exire parabant,
Obstitit 72 infelix, aditumque obsedit 73 Erinnys:
Nexaq; 74 vipereis distendens brachia nodis,
Cæsariem excussit: motæ sonuere colubræ.
Parsq; jacens humeris; pars circum tempora lapsæ
Sibila dant, 75 saniemque vomunt, 76 linguasque coruscant:
Indè duos mediis abrumpit crinibus angues;
Pestiferâque manu raptos immisit. At illi
Inöosque sinus Athamanteosque pererrant
Inspirantq; 77 graves animas; nec 78 vulnera membris
Ulla ferunt. *Mens est, quæ 79 diros sentiat ictus.*

49 Post illum, sc. Ixiona. 50 Nam Sisyphus & Athamas fratres fuerunt filiique Æoli. 51 Contemsit. 52 Quo prosequitur Athamantem. 53 Exponit etiam, quid velit Furias facere. 54 Erecta esset, sed everteretur. 55 Scelus. 56 Ut Athamas furiosus effectus aliquid mali perpetraret. 57 Una est ex tribus inferni Furiis, quæ homicidas maximè punit; undè etiam nomen accepit: nam τίω est *punio*, & φόνος *cædes*. 58 Serpentes os impedientes, ne loqui posset. Alii leg. *exstantes*. Furiæ serpentes pro crinibus habere finguntur. 59 Longis verborum circuitionibus, longa oratione. 60 Sic *Ter. Dictum puta*. 61 Rore aspersis. 62 Purgavit ab inferorum contactu. 63 Thaumantis, i. e. admirationis filia, quæ Junonis nuncia dicitur ab εἴρω idem quod ἀγγέλλω nuncio.

64 Molesta. 65 Corrupto sanguine. 66 Athamantis. 67 Januæ Athamantis Æoli filii. 68 Dicuntur. 69 Adventu Tisiphones fores acernæ pallidæ sunt effectæ. 70 Ex acere confectas. 71 Adventu Tisiphones Sol quoque fugatus est. 72 Infelices homines faciens. Metonymia effecti. 73 Tisiphone Furia. Sunt autem *Erinnyes* Deæ infernales ultrices cùm aliorum scelerum tùm impietatis in parentes, ita ἀπὸ τοῦ ἔρρειν τὸν νοῦν, *à corrumpendâ mente*. 74 Serpentinis nodis. Sic suprà & infrà *vipereos* dixit *dentes*. 75 Venenum ex ore emittunt. 76 Et linguas vibrant. 77 Difficiles, anxios. 78 Morsus. 79 Graves affectus & perturbationes.

Attulerat

Attulerat ſecum liquidi quoq; monſtra veneni,
Oris Cerberei ſpumas, & [80] virus [81] Echidnæ;
[82] Erroreſque vagos, cæcæque oblivia mentis,
Et ſcelus, & lacrymas, rabiemq; & cædis amorem;
Omnia trita ſimul: quæ ſanguine miſta recenti
Coxerat ære cavo, viridi verſata cicutâ.
Dumque pavent illi; vertit furiale venenum
Pectus in amborum: præcordiaq; intima [83] movit.
Tum face jactatâ per eundem ſæpius orbem,
[84] Conſequitur motos velociter ignibus [85] ignes.
Sic victrix, juſſique potens, ad inania magni
Regna redit Ditis: [86] ſumtumq; recingitur anguem.
Protinus [87] Æolides media [88] furibundus in aulâ
Clamat, [89] Iö comites, his retia pandite ſylvis:
Hîc modò cum geminâ viſa eſt mihi prole leæna.
Utque feræ, ſequitur veſtigia conjugis amens:
Deque ſinu matris ridentem & parva [90] Learchum
Brachia tendentem [91] rapit, & bis terque per auras
More [92] rotat fundæ: [93] rigidoque infantia ſaxo
[94] Diſcutit oſſa ferox. Tum denique [96] concita [97] mater,
(Seu dolor fecit, ſeu [98] ſparſi cauſa veneni;)
[99] Exululat; paſſiſque fugit [100] malè ſana capillis.
Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis,
Evohe Bacche [101] ſonat. Bacchi ſub nomine Juno
Riſit: &, [102] Hos uſus præſtet tibi, dixit, alumnus.
[103] Imminet æquoribus ſcopulus. Pars ima cavatur
Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas:
Summa [104] riget, frontemque in [105] apertum porrigit æquor.
[106] Occupat [107] hunc (vires inſania fecerat) Ino:
Seque ſuper pontum, nullo tardata timore,
Mittit, [108] onuſque ſuum: percuſſa [109] recanduit unda.
At Venus immeritæ [110] neptis miſerata labores,
Sic [111] patruo blandita ſuo eſt: O numen aquarum,
[112] Proxima cui cœlo ceſſit, Neptune, poteſtas;
Magna quidem poſco: ſed tu miſerere meorum,
Jactari quos cernis in [113] Ionio immenſo:

80 Venenum. 81 Hydræ ſerpentis. *Echidna* verò Latinè *vipera* dicitur. Fuit autem hæc *Echidna* monſtrum, ex altera parte vergo, ex altera ſerpens. 82 Errandi vagandique cupiditatem. 83 In furorem commovit. 84 Aſſequitur ſic, ut continenter igneus orbis videretur. 85 Venti & facis agitatione commotos. 86 Et reſolvit ſerpentem, quo cincta erat Tiſiphone. 87 Athamas Æoli filius. 88 Furioſus. 89 Vox eſt Bacchantium & furentium. 90 Athamas ex Ino Learchum & Melicertam filios ſuſcepit. Ex Nephele verò Phryxum & Hellen. 91 Athamas. Hac de re vi. Faſt. *Hinc agitur furiis Athamas, ſed imagine falſâ: Tuque cadis patriâ, parve Learche, manu.* 92 Circumvolvit, inſtar rotæ verſat. 93 Duro & aſpero. 94 Disjicit, illidit. 95 [*Infantia oſſa*, i. e. oſſa infantis.] 96 In furorem acta.

97 Ino. 98 A Tiſiphone. 99 Clamores horrendos emittit. 100 Furioſa. Sic Libro citato: *Hæc quoque funeſtos ut erat laniata capillos Proſilit, & cunis te, Melicerta, rapit.* 101 Clamat. 102 Hanc utilitatem, ut furas & inſanias. 103 Promontorium deſcribit, undè ſe Ino cum Melicerta filio præcipitavit. 104 Aſpera & inculta eſt. 105 In latum mare. 106 Celeriter aſcendit. 107 Scopulum. 108 Melicertam filium, quem fugiens ſecum aſportaverat. 109 Candida & alba facta eſt propter ſpumam, quam concitatum mare emittere ſolet. Tamerſi *candere* propriè dicatur ferrum ignitum. 110 Inûs, quæ Hermiones, filiæ Veneris, filia fuit. 111 Neptuno, qui frater eſt Jovis. 112 Nam Jovi cœlum in mundi diviſione, Neptuno terra cum mari obtigit. 113 Ionium mare Græciam alluens inter mare Ægæum & Tyrrhenum ſitum eſt.

Et Dîs adde [114] tuis. [115] Aliqua & mihi gratia ponto est :
Si tamen in dio quondam concreta profundo
Spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illâ.
Annuit oranti Neptunus ; & abstulit illis,
Quod mortale fuit ; majestatemque verendam
[116] Imposuit ; [117] nomenque simul, faciemque novavit :
Leucotheëque Deum cum matre Palæmona [118] dixit.

114 Marinis. 115 Ego quoque aliquid gratiæ in mari habere debeo, cum in mari ex spumâ sim nata, indèque appellata. Undè *Auson.* *Orta salo, suscepta solo, patre edita Cœlo, Æneadum genitrix, hic habito alma Venus.* 116 Significat illos Deos factos. 117 Et nomen & figuram Inûs & Melicertæ commutavit. Nam Ino *Leucothea* Græcè, Latinè *Matuta* fuit appellata (undè VI. *Fast. Leucothëe Grajis, Matuta vocabere nostris: In portus nate jus erit omne tuo*) Melicerta verò à Græcis *Palæmon*, à Latinis *Portunus* fuit nuncupatus. Undè loco citato: *Quem nos Portunum, sua lingua Palæmona dices. Ite, precor, nostris æquus uterque locis.* 118 Appellavit. Sic utitur hoc verbo in duobus his proximis versibus : & Juven. *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

Inûs comites in saxa & aves. *Fab.* XIV.

ARGUMENTUM.

Comites Inûs, quòd desiderio reginæ affectæ casum ejus defleverant mœrentes, ob eandem iram Junonis cùm præcipitare se destinassent, ne pari honore à Neptuno excipi possent, in saxa & aves effecit ut transfigurarentur.

[1] Sidoniæ comites, quantum valuere, secutæ
Signa pedum, [2] primo videre novissima saxo:
Nec dubium de morte ratæ, [3] Cadmeïda palmis
[4] Deplanxere domum scissæ cum veste capillos.
[5] Utq; parum justæ, nimiumque in [6] pellice sævæ
Invidiam fecere [7] Deæ : [8] convicia Juno
Non tulit : &, Faciam vos ipsas maxima, dixit,
Sævitiæ [9] monumenta meæ. Res dicta secuta est.
Nam [10] quæ præcipuè fuerat pia, Persequar, inquit,
In freta reginam : saltumque datura, moveri
Haud usquam potuit : scopuloque affixa cohæsit.
Altera, dum solito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos sentit [11] riguisse lacertos.
Illa, manus ut forte tetenderat in maris undas,
Saxea facta manus in easdem porrigit undas.

1 Matronæ Thebanæ Inô fugientem secutæ, cùm ex vestigiis percepissent eam se in mare præcipitasse, Junoni invidiam facere cœperunt. Quare Juno irata, eas partim in saxa partim in aves commutavit. Sidon urbs Phœniciæ, in qua conditæ Thebæ. Vid. infrà v. 572. 2 In primâ promontorii parte. 3 Cadmeïam. 4 Deflevêre, palmis pectora plangentes atq; percutientes. 5 Ordo est ; Et fecere invidiam Deæ, ut parum justæ, & nimium sævæ in pellice. 6 In vexanda Semele, cujus nomine omnes Bacchi cognatos cane pejus & angue oderat. 7 Junoni. 8 Contumelias. 9 Memoriam. 10 Una ex iis quæ maximè Ino diligeret. 11 Duros factos esse.

Hujus, ut arreptum laniabat vertice crinem,
Duratos subitò digitos in crine videres.
Quo quæque in gestu deprenditur, [12] hæsit in illo.
Pars volucres factæ, quæ nunc quoque [13] gurgite in illo
Æquora [14] distringunt sumtis [15] Ismenides alis.

12 Permansit. 13 Sinu maris. 14 Radunt, leviter attingunt. 15 [Thebanæ; ab Ismeno Bœotiæ fluvio.]

Cadmus & Hermione in dracones. *Fab.* XV.

ARGUMENTUM.

Cadmus Agenoris filius, postquam inspector fuerat suarum calamitatum, evenissentque multa filiabus ac nepotibus infortunia, perosus Thebarum sedes, cum Hermione *Martis & Veneris filia, conjuge suâ, in Illyricum profugit. Ibi petit veniam à Deis, in speciem draconis ut convertatur, qui initio causa malorum suorum fuisset. Vota ejus expleta sunt: in dracones versi sunt.*

[1] NEscit Agenorides [2] natam parvumque [3] nepotem
Æquoris esse Deos. Luctu [4] serieque malorum
Victus & [5] ostentis, quæ plurima viderat, exit
Conditor [6] urbe suâ; tanquam fortuna locorum
Non sua se [7] premeret: longisque erratibus actus
Contigit [8] Illyricos profugâ cum [9] conjuge fines.
Jamque malis annisque [10] graves, [11] dum prima retractant
Fata domûs, [12] releguntque suos sermone labores;
[13] Num sacer ille meâ trajectus cuspide serpens,
Cadmus ait, fuerit; tum, cùm [14] Sidone profectus
[15] Vipereos sparsi per humum nova semina dentes?
[16] Quem si cura deûm tam [17] certâ vindicat irâ,
Ipse precor serpens in longam [18] porrigar [19] alvum;
Dixit: &, ut serpens, in longam [20] tenditur alvum;

1 Cadmus variis suorum infortuniis vexatus, Thebas unà cum Hermione uxore reliquit, seque in Illyricum contulit, ubi cum uxore in serpentem mutatus fuit.
2 Ino. 3 Melicertam.
4 Continuatione infortuniorum. *Series* enim est ordo, & quasi quædam rerum continuatio.
5 Monstris. Vide de Cadmo supra Lib. III. Fab. I.

6 Thebis. 7 Vexaret. 8 In Illyricum pervenit. 9 Hermione. 10 *Defessi*, vel *defecti annis*, ut cum Phœdro, Columella, Apulejo, quin & Tacito loquar, quamvis huic Latinitati (quod obiter dixerim) Scioppius insulsò insultet. 11 Dùm commemorant, renovant suæ domûs primordia. *Retractare* est denuò, sive diligentiùs tractare, in manus resumere, recognoscere. 12 Colligunt, in memoriam reducunt. 13 Dubitat Cadmus, an ille serpens, quem ad fontem interfecit, alicui Deorum fuerit consecratus, qui sibi malorum causa fuerit. 14 Sidon urbs Phœniciæ celeberrima. 15 Serpentinos. 16 Pro cujus cæde si Dii vindictam de me sumunt, utinam ego quoque serpens efficiar, ut ab istis liberer malis. 17 Ut me nunquam malis vexare sint cessaturi. 18 Prolonger. 19 In longum ventrem. 20 Extenditur.

Duratæque cuti squamas increscere sentit,
Nigraque [21] cæruleis variari corpora guttis:
In pectusque cadit pronus: [22] commissaque in unum
Paulatim [23] tereti [24] sinuantur acumine crura.
Brachia jam restant: quæ restant brachia [25] tendit;
Et lacrymis per adhuc humana fluentibus ora,
Accede, ô conjux, accede, miserrima, dixit;
Dumque aliquid superest de me; me tange: manumque
Accipe, dum manus est; dum non totum occupat anguis.
Ille quidem vult plura loqui: sed lingua repentè
In partes est fissa duas. Nec verba [26] volenti
[27] Sufficiunt: quotiesque [28] aliquos parat edere questus;
[29] Sibilat. Hanc illi vocem Natura relinquit.
Nuda manu feriens exclamat pectora conjux,
Cadme, mane: teque his, infelix, exue monstris:
Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi sunt humerique manusque?
Et color, & facies, &, [30] dum loquor, omnia? Cur non
Me quoque, cœlestes, in eundem vertitis anguem?
Dixerat: ille suæ lambebat conjugis ora:
Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat:
Et dabat amplexus; assuetaque colla petebat.
Quisquis adest (aderant comites) terretur: at illos
Lubrica permulcent [31] cristati colla dracones,
Et subito duo sunt; [32] junctoque volumine serpunt;
Donec in [33] appositi nemoris [34] subiêre latebras.
Nunc quoq; nec fugiunt hominem, nec vulnere lædunt:
Quidque priùs fuerint, placidi meminere dracones.

21 Maculis subviridibus, qualis est maris color. 22 Conjuncta. 23 Oblongo atque rotundo. 24 [Curvantur, voluminibus seu spiris involvuntur.] 25 Extendit ad uxorem. 26 Cupienti, sc. loqui. 27 Subministrant. *Virg. Ipse pater Danais animos, viresque secundas sufficit.* Aliquando *sufficio* significat satis sum. *Virg. Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus.* Interdum substituo. Hinc *suffectos* Consules, & alios magistratus dicimus, qui in mortuorum locum substituti ac surrogati sunt. 28 Aliquas querelas. 29 Instar anguis. 30 Ordo est & sensus: Et ubi sunt omnia membra, dùm loquor? Miratur enim Hermione, quod nihil membrorum Cadmi videat. 31 Cristas in capite habentis. 32 Junctâ revolutione. 33 Juxtà positi ac vicini. 34 Intrarunt.

Serpentes è sanguine Medusæ procreati. *Fab.* XVI.

ARGUMENTUM.

Perseus, Jovis & Danaës filius, missus à Polydecte ad Medusam, quæ omnes in se intuentes aspectu suo in silicem convertere solebat, ut ejus superatæ caput ad se perferret, Minerva adjutrice, intercepto Phorcydum Græcarum lumine, quæ vicissim custodias Gorgonum agebant, evicit propositum laborem, caputque Medusæ abscissum retulit.

retulit. E sanguine autem, qui Perseo per Africam iter faciente stillaverat, genus est serpentum procreatum. Utero autem ejusdem Medusæ Pegasus cum pennis exiit.

SEd tamen ambobus versæ solatia formæ
Magna [1] nepos fuerat, quem [2] debellata colebat
India, quem [3] positis celebrabat [4] Achaïa templis.
Solus [5] Abantiades ab [6] origine [7] cretus eâdem
Acrisius superest, qui mœnibus arceat urbis
Argolicæ; contraque Deum ferat arma; genusque
Non putet esse Jovis. Neque enim [8] Jovis esse putabat
Persea: quem [9] pluvio Danaë conceperat auro.
Mox tamen Acrisium, (tanta est [10] præsentia veri)
Tam violâsse Deum, quàm non agnôsse nepotem,
[11] Pœnitet: [12] impositus jam cœlo est [13] alter: at alter
Viperei referens [14] spolium [15] memorabile monstri,
Aëra [16] carpebat tenerum stridentibus alis.
Cùmque super Libycas victor penderet [17] arenas;
[18] Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ:
Quas humus exceptas varios animavit in angues.
Undè frequens illa est infestaque terra colubris.

1 Bacchus, qui ex India devicta gloriosissimum reportaverat triumphum. 2 Bello devicta. 3 Ædificatis. Danaës, ex quâ Perseum Jupiter suscepit. 4 Græcia. 5 Filius Abantis, regis Argivorum, qui filius Beli, cui Jupiter genitor, paterque. 6 Quia & ipse à Jove originem ducebat. Nam Belus Jovis fuit filius, is verò pater fuit Abantis, cujus filius Acrisius fuit. 7 Natus.

8 Sc. filium, vel *genus*. Perseus autem Jovis ex Danaë, Acrisii filia, filius fuit. 9 Nam Jupiter in auri guttas conversus, in Danaës gremium pluisse fingitur. 10 Potentia veritatis. 11 Quia & Perseum Jove digna gessisse accipiebat, & Bacchum in numerum Deorum esse relatum videbat. 12 Bacchus in numerum Deorum relatus est. 13 Bacchus, & Perseus. 14 Capitis Medusæ. 15 Memoratu dignum. 16 Per aëra penetratu facilem volabat. 17 Terras, vel solitudines arenosas, quales multæ sunt in Lybia. 18 Capitis Medusæi. *Gorgones* enim tres fuerunt sorores, quarum Medusæ, natu maximæ, caput à Perseo fuit amputatum.

Atlas in montem. *Fab.* XVII.

ARGUMENTUM.

Atlas Japeti & Clymenes, aut, ut quidam volunt, Asiæ Nymphæ filius, à Themide, quæ initio antistes deorum erat, responsum acceperat, ne quem hospitio ex progenie Jovis reciperet, si vellet hortum, in quo poma aurea erant, custoditum habere. Quam ob causam cùm Perseo fatigato ex assiduo cursu requiescendi hospitium negavisset, eumque viribus propelleret, ille elatum caput Gorgonis ei objecit. Quo viso, in montem pari nomine est versus, cui in ultimis Africæ locis mundus injectus est.

Indè

INdè [1] per immensum ventis discordibus [2] actus,
Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquosæ
Fertur: & ex alto [3] seductas æthere longè
[4] Despectat terras; [5] totumque supervolat orbem.
Ter gelidas [6] Arctos, ter [7] Cancri brachia vidit:
Sæpe sub occasus; sæpe est ablatus in ortus.
Jamque [8] cadente die veritus se credere nocti
Constitit [9] Hesperio regnis [10] Atlantis in orbe;
Exiguamque petit requiem; dum Lucifer [11] ignes
Evocet Auroræ; [12] currus Aurora, diurnos.
Hîc hominum cunctos ingenti corpore præstans
[13] Japetionîdes Atlas fuit. [14] Ultima tellus
Rege sub hoc & pontus erat, qui Solis [15] anhelis
Æquora subdit equis, & fessos excipit axes.
Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas
Errabant: & humum [16] vicinia nulla premebant.
Arboreæ frondes auro radiante nitentes
Ex auro ramos, ex auro poma tegebant,
Hospes, ait Perseus illi, seu gloria tangit
Te generis magni: generis mihi Jupiter auctor:
Sive es mirator rerum; mirabere nostras.
Hospitium requiemq; peto. Memor [17] ille [18] vetustæ
Sortis erat: ([19] Themis hanc dederat Parnasia sortem)
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor: & [20] hunc prædæ titulum [21] Jove natus habebit.
Id metuens, solidis [22] pomaria clauserat Atlas
Mœnibus, & vasto dederat servanda draconi:
Arcebatque suis externos finibus omnes.
[23] Huic quoque, [24] Vade procul, ne longè gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longè tibi Jupiter absit.
Vimque minis addit: foribusque expellere tentat
Cunctantem, & placidis miscentem fortia dictis.
Viribus inferior, (Quis enim [25] par esset Atlanti

1 Per infinitum ac inane, qui est aër. 2 Impulsus. 3 Separatas. 4 Deorsum spectat. 5 Et supra totum terrarum orbem fertur. 6 Frigidos Septentriones, ad quos nunquam Sol accedit. 7 Vide Lib. 2. v.83. *curvantem brachia Cancrum.* 8 Occidente Sole. 9 In occidentali orbis parte. Nam *Hesperus* stella est, quæ vesperi in occidente apparet, undè *Hesperius orbis*, & Hispania, & Italia interdum *Hesperia* vocatur. 10 Regis Mauritaniæ: ad quem cùm pervenisset Perseus, rogavit ut se hospitio exciperet, donec illucesceret dies. Cæterùm Atlas oraculo admonitus, ut sibi à Jovis filiis caveret, ne regno ab aliquo eorum privaretur, illum superbè admodum repulit. Quare Perseus indignatus, capite Medusæ revelato, eum in montem mutavit, qui cœlum sustinere dicitur, tùm quòd Atlas primus omnium Astrologiam invenit, tùm quòd mons ipse tam altus est, ut cœlum contingere videatur. 11 Lumina, lucem Auroræ, quæ semper ante Solem fertur. Est periphrasis diluculi. 12 [Currus solares; Auroræ enim est officium currum Solis instruere; vid. fabulam Phaëthontis lib. 2. vers. 110. ad vers. 121.] 13 Japeti filius. 14 Mauritania cum reliquo occidente. 15 Fessis ac defatigatis. Equi enim Solis ab Oceano Atlantico excipi videntur. 16 Nulli vicini quidquam agrorum habebant, quod exararent: omnia enim ab Atlante possidebantur. 17 Atlas. 18 Antiqui oraculi. 19 Quæ in monte Parnasso templum habet 20 Hanc gloriam. *Titulus* à *tutando* dicitur, quòd sua cuique gesta operaque tituli *tueantur.* 21 Intellige Herculem, qui postea abstulit poma illa, ab *insomni malè custodita dracone*, ut ipse ait Lib. 9. v. 190. 22 Hortos arboribus consitos: quanquam, *pomaria* propriè sunt pomorum repositoria. 23 Perseo. 24 Recede procul à nostro regno, ne à nobis oppressus indicio sis & gloriam rerum falsam esse, & à Jovis genere longè abesse. 25 Sufficere posset; ut enim Atlas omnium maximus, ita potentissimus erat.

Viribus?) [26] At quoniam parvi tibi gratia nostra est;
Accipe munus, ait: lævâque à parte Medusæ
[27] Ipse retròversus squallentia [28] prodidit [29] ora.
Quantus erat, mons factus [30] Atlas: jam barba, comæque
In silvas [31] abeunt: [32] juga sunt humeriq; manusq;
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen.
Ossa lapis fiunt: tum partes auctus in omnes
Crevit in immensum, (sic Dî [33] statuistis) & [34] om-
Cum tot sideribus cœlum requievit in illo. [ne

26 Sed quoniam nostram gloriam parvi facis, accipe munus tibi conveniens. Ironia acerba. 27 Ne & ipse in saxum converteretur. 28 Extulit, & ostendit Atlanti. 29 Lividam & pallescentem Medusæ faciem. 30 Sc. *tantus*, quantus vir erat. 31 Mutantur. 32 Montis planities. 33 Voluistis. 34 Totum. *Cic.* Exercitus *omnis* interiit. Sic *Cæs.* Gallia est *omnis* divisa in partes tres.

Andromeda à Perseo liberata, & Virgæ in Coralia. *Fab.* XVIII.

ARGUMENTUM.

Perseus per Æthiopiam iter faciens, postquam Andromedam propter superbiam matris, quæ se Nereidum Nympharum pulchritudini prætulerat, saxo alligatam, ac marinæ belluæ objectam vidit, captus specie ejus exarsit. Pactusque à Cepheo & Cassiopea, parentibus virginis, ut sibi eam matrimonio darent, si belluam interemisset; voti compos factus est. Interfecto igitur monstro cupiens requiescere, ne caput Gorgonis læderet, virgulas lectas in littore subjecit, quæ induruerunt, ita ut adeptis radicibus, sanguinei coloris in mari ut arbusculæ nascerentur, nomenque haberent coralium.

Clauserat [1] Hippotades [2] æterno carcere ventos:
[3] Admonitorque operum cœlo clarissimus alto
Lucifer ortus erat. [4] Pennis ligat [5] ille resumtis
Parte ab utrâque pedes; [6] teloque accingitur unco:
Et liquidum motis talaribus aëra findit.
Gentibus innumeris circumque infraque relictis,

1 Æolus Jovis filius ex Acesia Hippotæ filia Ventorum Rex. 2 Semper duraturo, [potius *terreno* pro *subterraneo*; quo vocabulo Ovidius passim utitur: nec propriè is *carcer* dicatur *æternus*, ex quo venti frequenter emittuntur. *Heins.*] 3 Qui homines operum suorum admonet. Nam oriente Lucifero (qui à *ferendâ luce* Græcis quoque φωσφόρος vocatur) ferè quisque ad opera sua & artes exercendas surgere solet. 4 Talaribus, quæ per noctem deposuerat, iterum sumtis. 5 Perseus. 6 Ense falcato, qui & harpe dicitur.

Æthiopum

Æthiopum populos [7] Cepheia conſpicit arva.
Illîc immeritam [8] maternæ pendere linguæ
Andromedan pœnas [9] injuſtus juſſerat Ammon.
Quam ſimul ad [10] duras religatam brachia cautes
Vidit [11] Abantiades; niſi quod levis aura capillos
Moverat; & [12] trepide [13] manabant lumina fletu;
[14] Marmoreum ratus eſſet opus. [15] Trahit inſcius ignes:
Et ſtupet: & viſæ correptus imagine formæ,
Pæne ſuas [16] quatere eſt oblitus in aëre pennas.
Ut ſtetit, O, dixit, non iſtis digna [17] catenis,
[18] Sed quibus inter ſe cupidi junguntur amantes;
[19] Pande [20] requirenti nomen [21] terræque tuumque;
Et cur vincla geras. Primò ſilet illa: nec audet
[22] Appellare virum [23] virgo: manibuſq; modeſtos
Celaſſet vultus; ſi non religata fuiſſet.
Lumina, quod potuit, lacrymis implevit obortis.
Sæpius [24] inſtanti, ſua ne delicta fateri
Nolle videretur, nomen terræque ſuumque,
Quantaque maternæ fuerit fiducia [25] formæ,
Indicat, &, nondum memoratis omnibus, unda
Inſonuit: venienſque immenſo bellua ponto
[26] Eminet; & [27] latum ſub pectore poſſidet æquor.
Conclamat virgo: [28] genitor [29] lugubris, & amens
[30] Mater adeſt; ambo miſeri, ſed juſtiùs illa;
Nec ſecum auxilium, ſed dignos tempore fletus,

7 Cephei regna. Cepheus enim Phœnicis fuit filius, rexque Æthiopum, & Caſſiopeæ maritus, ac Andromedæ pater, qui Andromedam filiam propter uxoris ſuperbiam monſtro marino objicere fuerat coactus. Cùm enim Caſſiopea mater ſe Nereidibus pulchriorem eſſe jactaret, precibus ipſarum motus Neptunus belluam marinam immiſit, quæ Æthiopiam vaſtaret. Quare conſultus Jupiter Hammon, quâ ratione Nereïdes placari poſſent, reſpondit Cephei Caſſiopeſque progeniem monſtro eſſe objiciendam. Andromedam igitur cùm ad ſcopulum religatam Perſeus vidiſſet, eâ conditione ſe illam liberaturum pactus eſt, ut ſibi uxor promitteretur. Cæterùm Phineus, Cephei frater, cui, antequam monſtro objiceretur, Andromeda fuerat deſponſata, cùm vi eam Perſeo eripere conaretur, multis interfectis, reliquos in ſe ruentes Perſeus ipſe, Meduſæ capite objecto, in lapides commutavit. 8 Nam Caſſiope de pulchritudine cum Nereidibus contendere auſa fuerat. 9 Iniquus Jupiter in ea ſententia ferenda. Neque enim juſtum eſt, ut filii pro parentibus pœnas pendant. Ammon ſive *Hammon* idem eſt quod *arenarius*: nam in Lybiæ arenis templo celeberrimo ſub imagine arietis Jupiter colebatur. [Originem autem nominis commodius a *Cham* vel *Ham* Noachi filio, ducas; ab eo Ægyptus primùm incolebatur: & à filio ejus *Mizraim*, ſemper Judæis & Phœnicibus regio Ægyptus *Mizraim* dicta; quin & χήμια Plutarcho dicta; quaſi *Chami tellus*. *Cham* autem poſt mortem ab Ægyptiis in Deorum numerum relatus, a Græcis *Hammon*, & *Jupiter Hammon* appellabatur.] 10 Ad aſperos ſcopulos. Sic infrà: *Quam dura ad ſaxa revinctam.* 11 Perſeus. Vide ſupra Fab 16. 12 Tepidis lachrymis. 13 Stillabant. 14 Marmoream ſtatuam. 15 Ignarus quænam eſſet, amore ipſius capitur. 16 Movêre, concutere. 17 Vinculis ferreis. 18 Sed vinculis mutui amoris. 19 Dic, & manifeſta. 20 Mihi roganti. 21 Urbis & patriæ. Sic *Virg. Nunc ſtant ſine nomine terræ.* 22 Loqui cum viro dubitat *Heinſius* an *appellare virum* rectè dicatur, cum illa reſpondeat appellanti: reponit itaque *Aſpectare*; quod ſequentia confirmant. 23 Quia virgo erat. 24 Urgenti ut diceret nomen ſuum & patriam. 25 Pulchritudinis matris Caſſiopeæ, quæ Nymphis ſe præferebat. 26 Extat, alta eſt. 27 Emphaſis eſt, quâ belluæ magnitudo monſtratur. 28 Cepheus. 29 Pullis veſtibus indutus. 30 Caſſiopea. [Ita Clymene Phaëthontis mater Lib. 2. v. 334. *Lugubris & amens, Et laniata ſinus totum percenſuit orbem*]

Plangorem-

Plangoremque [31] ferunt; [32] vinctoque in corpore adhærent.
Cum sic [33] hospes ait: Lacrymarum longa [34] manere
Tempora vos poterunt; ad [35] opem brevis hora ferendam est.
[36] Hanc ego si peterem Perseus Jove natus & [37] illâ
Quam [38] clausam implevit fœcundo Jupiter auro,
Gorgonis anguicomæ Perseus superator, & alis
Ætherias ausus jactatis ire per auras;
Præferrer cunctis certè gener. Addere tantis
Dotibus & [39] meritum ([40] faveant modò numina) tento.
Ut [41] mea sit, servata mea virtute, paciscor.
Accipiunt [42] legem, (quis enim [43] dubitaret?) & [44] orant,
[45] Promittuntque super regnum dotale, [46] parentes.
[47] Ecce! velut [48] navis præfixo [49] concita rostro
[50] Sulcat aquas, juvenum sudantibus [51] acta lacertis:
Sic fera dimotis impulsu pectoris undis
Tantum aberat scopulis, [52] quantum Balearica torto
Funda potest plumbo [53] medii transmittere cœli:
Cùm subitò juvenis pedibus tellure [54] repulsâ
[55] Arduus in nubes abiit: ut in æquore summo
Umbra viri visa est, visam fera sævit in umbram.
Utque [56] Jovis [57] præpes, [58] vacuo cùm vidit in arvo
[59] Præbentem Phœbo [60] liventia terga draconem,
[61] Occupat aversum: [62] neu sæva [63] retorqueat ora,
Squamigeris [64] avidos figit [65] cervicibus ungues:
Sic celeri [66] fissum præpes per [67] inane volatu
Terga feræ pressit; dextroq; [68] frementis in [69] armo
[70] Inachides ferrum curvo tenus abdidit [71] hamo.
Vulnere læsa gravi, modò se sublimis in auras

31 Adferunt, secum ferunt. 32 Ligatam Andromedam amplectuntur. 33 Perseus. 34 Exspectare. *Horat. Omnes una manet nox.* 35 Ad auxilium Andromedæ ferendum. 36 Meritò Perseus dotes suas & virtutes & facta apud ignotos exponit quò faciliùs id, quod cupit, accipiat. 37 Danaë. 38 *Inclusam turri ahenea.* Vide *Horatii* Oden elegantissimam XVI. Lib. 3. [*Clausa* absolute sumta earius invenitur: vix est Latina: forte *lusam*. Sic Lib. 6. *Aureus ut Danaën, Asopida luserit ignes.* Heinsius.] 39 Etiam beneficium. 40 Dummodo Dii mihi sint auxilio. 41 Sc. uxor. 42 Conditionem, quam ipsis obtulerat Perseus, ut sua esset, si ipsam suâ virtute servasset. 43 Accipere oblatam conditionem.

44 Rogant, ut filiam servare velit. 45 Et regnum suum insuper illi in dotem promittunt. 46 Pater & mater Andromedæ. 47 Hac similitudine & magnitudo & impetus belluæ illius marinæ declaratur. 48 Navis rostrata. 49 Concitata in cursum. 50 Dividit ac separat aquas. 51 Impulsa. 52 Tantùm bellua distabat à scopulis, quantum spatii pila plumbea fundâ emissa pertransire posset. 53 Medii aëris. 54 Sic Lib. 2. de Pallade dixit: *Fugit, & impressâ tellurem reppulit hastâ.* 55 Altus. 56 Pulchrâ similitudine Poëta ostendit, quanta agilitate monstrum illud marinum Perseus oppresserit. 57 Ales, sc. aquila, quæ serpentibus maximè infesta est. *Præpetes* verò majores dicuntur aves, quarum ex volatu auguria colliguntur & captantur: sive etiam quæ altiùs volant. *Præpes* autem idem est quod velox. Virg. *Præpetibus pennis ausus se credere cœlo.* 58 Segetibus carente. 59 Terga præbere Phœbo, i. e. Soli, intellige apricari ad Solem. 60 Pallentia & nigra. 61 Corripit. 62 Neve. 63 Retrorsùm flectat. 64 Ungues alitis avidi. Ales enim avidus est, non ungues. 65 In cervices squammosas. 66 Divisum. 67 Per aërem, qui vacuus esse videtur. 68 Ore strepentis, & furentis belluæ. 69 Humero. 70 Perseus Argivus. *Inachidæ* enim Argivi dicuntur ab *Inacho*, qui primus apud Argos regnavit. 71 *Capulo tenus abdidit ensem,* ut Virgilius inquit.

Attollit:

Attollit: modò subdit aquis: modò more ferocis
Versat apri, quem turba canum [72] circumsona terret.
[73] Ille [74] avidos morsus velocibus effugit alis:
Quaque patent, nunc terga cavis [75] super obsita conchis,
Nunc laterum costas, nunc quà tenuissima cauda
Desinit in piscem, [76] falcato vulnerat ense.
Bellua [77] puniceo mistos cum sanguine fluctus
Ore vomit: [78] maduêre graves aspergine [79] pennæ.
Nec [79] bibulis [80] ultrà Perseus talaribus ausus
[81] Credere; conspexit scopulum: qui vertice summo
Stantibus [82] exstat aquis; operitur ab æquore moto.
[83] Nixus eo, rupisque tenens juga prima sinistrâ
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Littora cum plausu [84] clamor superasque Deorum
Implevere [85] domos: gaudent, generumq; salutant,
Auxiliumque domûs [86] servatoremque fatentur
Cassiope, Cepheusque pater. Resoluta catenis
Incedit virgo preciumque & caussa laboris.
[87] Ipse manus haustâ victrices abluit undâ:
Anguiferumque caput nudâ nè lædat arenâ,
[88] Mollit humum foliis: natasq; sub æquore virgas
Sternit, & imponit [89] Phorcynidos ora Medusæ.
Virga [90] recens, [91] bibulâq; etiam num viva medullâ
Vim [92] rapuit monstri, tactuq; induruit hujus:
[93] Percepitque [94] novum ramis & fronde rigorem.
At pelagi [95] Nymphæ factum mirabile [96] tentant
Pluribus in virgis: & idem contingere [97] gaudent.
Seminaque ex illis iterant jactata per undas.
Nunc quoq; [98] curaliis eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant ut ab [99] aëre; quodq;
[100] Vimen in æquore erat, fiat super æquora [101] saxum.

72 Circumlatrans. 73 Perseus. 74 Avidæ belluæ. 75 Desuper tecta conchis. Nam monstrorum marinorum tergoribus conchæ adhærere solent. Vel intellige per conchas, squamas duras. 76 Recurvo ac falci simili. Vide supra in initio Fab. *Teloque accingitur unco.* 77 Purpureo. 78 Pennæ alarum Persei & madidæ & graves respersione fluctuum quos evomebat, sunt effectæ. 79 Multum humoris & aquæ attrahentibus. *Bibulum* enim est, quod facilè sorbet: undè *Bibula charta*, quæ sorbet atramentum. Sic *bibuli* dicuntur, qui multum ac potiùs nimium bibunt 80 Ulteriùs. 81 Confidere. 82 Eminet, extra stat, & apparet: undè etiam *extare libri* dicuntur, qui ex magna librorum jactura evaserunt. 83 Cùm in vertice illius scopuli pedes firmasset, sæpiùs ilia belluæ ense transegit. 84 Clamor & plausus. *Virg. Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.* 85 Cœlum. 86 Perseum, liberatorem qui Andromedam à mortis periculo servaverat, ac liberaverat. *Servare* enim aliquem, est in tutum locum aliquem perducere, alicui salutem adferre: vel (ut loquitur Sosia apud *Ter.* in And.) *auxilium ferre.* Simo enim dixerat: *Quæ sese voluit in ignem injicere, prohibui, servavi.* 87 Perseus. 88 Mollibus foliis regit, & deinde virgas corallinas sternit. 89 Filiæ Phorci, seu Phorcynos & Cetus. 90 Recenter evulsa. 91 Humida nondum enim erat sicca. 92 Effectum capitis Medusæ contraxit: à quo conspecta & tacta in lapides convertebantur. 93 Accepit. 94 Inusitatam duritiem. Anteà enim sub aquâ mollis erat. 95 Nereides. 96 Experiuntur. 97 Lætantur cum vident virguita in modum lapidis dura fieri. 98 Coralium (ut scribit Plinius) quidam Pyritem lapidem vocant, quod plurimus sit illi ignis, [hic *Curalium*, non *Coralium*, a Græco Κȣράλιον; prima enim syllaba in *Coralium* corripitur. *Heins.*] 99 Ad aërem enim educta lapidescunt. 100 Virga mollis & flexilis. 101 Lapis, (*Saxa* propriè grandiores lapides dicuntur) aut durum instar saxi.

Meduſæ crines in Serpentes. *Fab.* XIX.

ARGUMENTUM.

Meduſa Gorgon cùm propter pulchritudinem à pluribus peteretur, conjugium Neptuni effugere non potuit. Quæ quòd in templo Minervæ cum eo concubuit, propter religionem loci, quam obtriverat, crines ejus in ſerpentes ab eadem dea ſunt mutati: ut quæ petita initio à pluribus procis eſſet, objectâ deformitate obvios in fugam verteret. Quos ſerpentes in Ægide portat Pallas, ut hoſtes terreat.

[1] DIs tribus [2] ille focos totidem de ceſpite ponit;
[3] Lævum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo;
Ara Jovis media eſt: mactatur vacca Minervæ;
[4] Alipedi vitulus; taurus tibi, ſumme Deorum.
Protinus Andromedan & tanti præmia facti
[5] Indotata rapit: [6] tædas [7] Hymenæus Amorque
Præcutiunt: [8] largis ſatiantur odoribus ignes:
[9] Sertaque dependent tectis. Lotique lyræque
Tibiaque, & cantus, animi felicia læti
[10] Argumenta, ſonant. Reſeratis [11] aurea [12] valvis
Atria tota patent, pulcroque inſtructa paratu.
[[13] Cepheni proceres [14] ineunt convivia regis.]
Poſtquam epulis functi generoſi munere [15] Bacchi
[16] Diffudere animos: [17] cultuſque habituſque locorum
[18] Quærit [19] Abantiades: Quærenti protinus unus

1 Perſeus ob monſtrum illud marinum debellatum Diis gratias agere, ac ſacrificare decrevit. ac primùm tres aras tribus Diis, Minervæ, Mercurio, ac Jovi ex ceſpitibus in littore exſtruxit, deinde vaccam Minervæ, vitulum Mercurio, taurum Jovi immolavit. 2 Perſeus. 3 Primus honoris locus medius, proximus ſiniſter, inquit Lipſius 2. l. Electorum 2. c. Cur itaque aſſignatur Palladi locus ſuper Mercurium? à ratione victimæ, quæ Palladi potior & propria, ut l. 12. 151. & Auſon. 64 epigram. *Ærea bos ſteteram, mactata eſt vacca Minervæ.* 4 Mercurio alas in pedibus habenti, utpote qui & velociſſimus ſit Planetarum, & cum talaribus alatis pingatur. Hunc morem indicat & Lib. XII. *Pallada mactatæ placabat ſanguine vaccæ.* 5 Virginem ſine dote, neglecto ſcilicet regno, quod *promiſere ſuper dotale parentes*: ſuprà verſ. 705. Al. in dotem id eſt, dotis nomine dicta. Alii particulam *in* intenſivam eſſe volunt, i. valdè dotata: Andromedam enim accepit Perſeus cum Æthiopiæ regno pro dote. 6 Amor & Hymenæus nuptias accelerant. *Tædæ* fuerunt faces, quæ ferè ex *tædis* conficiebantur, & novis nuptis ad maritos ſe conferentibus, quinque præferebantur. Sic ſupra v. 60. *Tædæ quoque jure coiſſent*: quod Metonymicè pro jure nuptiarum dicitur. uti & hic: [Hîc antea *præcipiunt*; at quo ſenſu? *quatere tædas* obvium. Catullus epithal. Manlii, *manu pineam quate tædam*.] 7 Deus fuit, qui in celebrandis nuptiis invocabatur. 8 Copioſis thuribus, ac aliis (ut ita dicam) odoramentis. 9 Coronæ ſunt, à *ſerendis* floribus dictæ. 10 Signa, indicia. 11 Aulæ auratæ, auro ornatæ. 12 Apertis foribus. 13 Cephei primates & principes. 14 Vadunt ad convivia. 15 Nobilis & optimi vini. 16 Exhilaraverunt. Nam vinum generoſum diffundit, & dilatat cor. 17 Mores & populos locorum. 18 Rogat, ſciſcitatur. 19 Perſeus Abantis nepos.

N [Narrat

[Narrat [20] Lyncides, [21] moresque, [22] habitusque virorum.]
Quæ simul edocuit, Nunc, ô fortissime, dixit,
Fare precor, Perseu, quantâ virtute, quibusque
Artibus [23] abstuleris [24] crinita draconibus ora.
Narrat Agenorides gelido sub Atlante jacentem
Esse [25] locum, [26] solidæ tutum munimine molis;
Cujus in introitu [27] geminas habitasse sorores
[28] Phorcydas, unius partitas [29] luminis usum:
[30] Id se solerti, furtim dum traditur astu,
Suppositâ cepisse manu: perque abdita longè,
Deviaque, & sylvis horrentia saxa [31] fragosis
Gorgoneas tetigisse domos: passimque per agros,
Perque vias vidisse hominum simulacra ferarumque
In silicem ex [32] ipsis visa conversa Medusâ.
Se [33] tamen horrendæ clypei quod læva gerebat,
Ære [34] repercusso formam aspexisse Medusæ:
Dumq; gravis somnus colubrasq; ipsamq; tenebat,
[35] Eripuisse caput collo: pennisque fugacem
[36] Pegason & fratrem [37] matris de sanguine natos.
Addidit & [38] longi non falsa pericula cursûs:
Quæ freta, quas terras sub se vidisset ab [39] alto:
Et quæ jactatis tetigisset sidera [40] pennis.
[41] Ante exspectatum tacuit tamen, excipit unus
Ex numero procerum, quærens, [42] cursola sororum
Gesserit alternis immistas crinibus angues.
Hospes ait, quoniam [43] scitaris [44] dignâ relatu,
[45] Accipe [46] quæsiti caussam. [47] Clarissima formâ,
Multorumq; fuit spes [48] invidiosa [49] procorum
[50] Illa, nec in totâ [51] conspectior ulla capillis
Pars fuit; [52] inveni, qui se vidisse referrent.
[53] Hanc pelagi [54] rector templo vitiâsse Minervæ

20 Aut Lyncei filius, aut proprium est nomen. 21 Ad cultus. 22 Ad genus refertur: nam *habitum* pro habitatione posuit Poëta. 23 Recideris. 24 Medusæ caput anguibus crinitum, i. pro crinibus habens dracones, atque serpentes [postea *Agenorides*; nam Danaus Persei proavus ab Agenore oriundus] 25 Planum & spatiosum campum 26 Solidi muri atque circuitus, vel montis ipsius. 27 Non duas sed similes. 28 Phorci filias. Vide supra v. 743 29 Unius oculi. 30 Narrat se illud unum lumen providà astutia rapuisse, dùm per vices ab alterâ alteri traderetur. 31 Fragore ac strepitu resonantibus. 32 Hominibus & feris. 33 Tacitæ respondet objectioni. Posset enim quis dicere, Quâ ratione tu, ô Perseu, visâ Medusâ, in lapidem non fuisti conversus? Quòd, inquit, per clypeum crystallinum illam dormientem aspexi, atque obtruncavi. 34 Per æs clypei translucidum. 35 Truncasse, recidisse, [potius *exsecuisse* vel *præsecuisse*.] Heinsius. 36 *Pegasus* equus alatus, & Chrysaor ensem aureum in manu tenens, finguntur ex collo Medusæ, reciso capite, statim exiliisse. *Crysaorem* ergo *fratrem* Pegasi vocat Poëta. 37 Medusæ. 38 Spatiosi volatus. 39 Ab aëre. 40 Alis, quæ ex pennis constant. 41 Narrationi, antequam putaretur, finem imposuit. 42 Cur Medusa sola Gorgonum immixtos capillis gesserit serpentes. 43 Rogas ut scias. 44 Digna quæ referantur, atque commemorentur. 45 Audi, cognosce. *Virg. Accipe nunc Danaum insidias.* 46 Rei quæsitæ & rogatæ. 47 Medusa, Phorci filia, cùm propter pulchritudinem à pluribus peteretur, conjugium Neptuni effugere non potuit. Quæ quòd in templo Minervæ cum ipso concubuit, ob loci profanationem, ipsius crines in serpentes sunt mutati: quos quicunque deinceps aspexerat, in saxum mutatus est. Perseus igitur ei dormienti, tectus scuto Palladis, caput abscidit. Post insidens Pegaso, quem ex Neptuno Medusa peperit, in varias hinc indè regiones avectus est. 48 Invidiæ plena. 49 Amatorum, qui illam uxorem petebant. 50 Medusa. 51 Pulchrior, capillos enim pulcherrimos habuit Medusa. 52 Audivi hoc ex iis, qui ajebant se Medusam vidisse, antequam à Neptuno vitiata foret. 53 Medusam. 54 Neptunus.

Dicitur:

Dicitur: 55 aversa est, & castos 56 ægide vultus
57 Nata Jovis texit. Neve hoc impunè fuisset;
58 Gorgoneum 59 turpes crinem mutavit in 59 hydros.
60 Nunc quoq; ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

55 Avertit se, ne videret Neptunum cum Medusâ coëuntem. 56 Ægis scutum est Palladis, de quo ante. 57 Pallas ex Jovis cerebro sine matre prognata sapientiæ Dea. 58 Medusæ crines. 59 In tetros serpentes. *Hydri* autem aquarum serpentes dicuntur, ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ab *aqua*. 69 Pallas ad terrendos hostium animos caput Medusæ cum serpentibus in ægida suam transtulit.

N 2 PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER V.

Caput Gorgonis homines in saxa convertens. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Bellua marina supra dicta peremta, Perseus Andromedam ducit uxorem: nuptiarumque conjugalium epulis regalibus principes intererant. Phineus autem Cephei patris Andromedæ frater, cui ipsa Andromeda prius quàm belluæ objiceretur, desponsata fuerat, contumeliam sibi existimans gravissimam fieri, quòd advenæ ipse consanguineus postponeretur; vescentium animos pugna confudit. Et cùm res miserabilis dimicantium ageretur in regia, ac multi ex utraque parte armis, quæ casus obtulisset, cecidissent, novissimè Perseus adversariorum multitudinem timens, imperavit ut sui è conspectu discederent, caputque Gorgonis extulit: quo viso, Phineus cum auxiliaribus diriguit in saxum. Nomina autem eorum qui cecidere, Rhætus, Atys, Lycabas, Phorbas, Amphimedon, Actorides, Eritus, Polydamon, Abaris, Dycetus, Elyce, Phlegias, Clytus, Idas, Clymenus, Protenor, Hypseus, Lyncides, Emathion, Cromis, Proteas, Amon, Alphitus, Japetides, Pettalus, Lycormas, Pelates, Coritus, Abas, Menaleus, Dorilas, Alconeus, Clytius, Danus, Celedon, Astreus, Echion, Thoactes, Agyrtes, Molpheus, Ethemon. In lapides autem versi

versi sunt, Thessalus, Amphix, Nileus, Eryx, & Astyages. Aconteus autem Persei miles, dum per imprudentiam dimicando prospicit Gorgonis speciem, in lapidem cedit. Novissimè Phineus cum ducentis aliis sociis diriguit in saxum.

DUmque ea [1] Cephenum medio [2] Danäeius heros
[3] Agmine commemorat; fremida regalia turba
Atria complentur: nec [4] conjugialia festa
Qui canat, est clamor; sed qui fera nuntiet [5] arma.
Inque repentinos convivia versa tumultus
[6] Assimilare freto possis: quod sæva quietum
Ventorum rabies motis [7] exasperat undis.
Primus in his Phineus, belli temerarius [8] auctor
Fraxineam quatiens æratæ cuspidis hastam;
En, ait, en adsum præreptæ conjugis ultor.
Nec mihi te [9] pennæ, nec [10] falsum [11] versus in aurum
Jupiter, eripient. [12] Conanti mittere [13] Cepheus,
Quid facis? exclamat: quæ te, germane, furentem
Mens agit in [14] facinus? meritisne hæc gratia tantis
Redditur? hac vitam [15] servatæ [16] dote [17] rependis?
Quam tibi non Perseus, verum si quæris, ademit:
Sed [18] grave [19] Nereïdum numen, [20] sed [21] corniger Ammon,
Sed quæ [22] visceribus veniebat bellua ponti
Exsaturanda meis. Illo tibi tempore rapta est,
Quo peritura fuit. [23] Nisi si, crudelis, id ipsum
Exigis, ut pereat: luctuque [24] levabere nostro
Scilicet haud satis est, quòd te spectante revincta est;
Et nullam quòd opem patruus sponsusve tulisti:
Insuper à quoquam quòd sit servata dolebis;
Præmiaq; eripies? Quæ, si tibi magna videntur;
Ex illis scopulis, ubi erant [25] affixa, [26] petisses:
[27] Nunc sine, qui petiit, [28] per quem non orba [29] senectus,

1 Primò hic Poëta tumultum iniquissimè à Phineo, Cephei fratre, cui Andromeda, priusquam belluæ objiceretur, desponsata fuerat, excitatum describit. Deinde Phinei cum sociis in lapides mutationem. 2 Perseus, Danaës filius. 3 In medio cœtu. 4 Nuptialia. Non erat clamor nuptiis conveniens, sed bello & pugnæ. Alii legunt *connubialia.* 5 Bellum. Metonymia adjuncti. 6 Comparare ac similia putare possis hæc convivia mari, &c. Est hæc similitudo Homero aliisque Poëtis usitata. 7 Asperum & tumultuosum reddit. 8 Excitator. 9 Alata talaria 10 Simulatum, vel fallax. 11 Qualis matri tuæ Danaë fucum fecisse dicitur. 12 Volenti Phineo jacere hastam in Perseum. 13 Pater Andromedæ. 14 Scelus. 15 Andromedæ. 16 Ut illum interficias, qui Andromedam monstro marino objectam servavit. 17 Renumeras, refers. 18 Potens. 19 Nympharum marinarum. 20 Anaphora hic & in sequenti. 21 Jupiter Ammon sub forma arietis cornuti colebatur in Libyæ desertis, ubi magnificentissimum templum illi Bacchus ab Indiâ cum exercitu rediens ædificavit: quòd cùm siti laboraret, obvium arietem secutus, fontem invenit, quo totus exercitus fuit recreatus. 22 Mea filia, quæ ex meis visceribus atque corpore concepta est. 23 Nisi fortè tam crudelis sis, ut optes filiam meam perire. 24 Levior fies, sc. à dolore. 25 Alligata. Unà enim cum Andromedâ regna quoque dotalia alligata videbantur. 26 Petere, acceptumque ire debuisses. 27 Nunc permitte eum, qui meruit pactusque est, illam habere. 28 Per quem ego jam senex liberis non careo: unica enim illi filia erat Andromeda. 29 Hæc mea senectus. Manu autem, cùm hæc diceret, canos tangens Phineo indicavit.

Ferre, quod & meritis & [30] voce eſt pactus; eumq;
Non tibi, ſed certæ prælatum intellige [31] morti.
[32] Ille [33] nihil contrà: ſed & [34] hunc, & Perſea vultu
Alterno ſpectans; petat hunc [35] ignorat, an [36] illum;
[37] Cunctatuſque brevi, contortam viribus haſtam,
Quantas ira dabat, [38] nequicquam in Perſea miſit.
Ut [39] ſtetit illa toro; [40] ſtratis tum deniq; Perſeus
Exſiluit, teloque ferox inimica [41] remiſſo
Pectora rupiſſet; niſi poſt altaria Phineus
Iſſet: & (indignum) ſcelerato profuit ara.
[42] Fronte tamen Rhœti non [43] irrita cuſpis adhæſit:
Qui poſtquam cecidit, ferrumque ex oſſe revulſum eſt,
[44] Palpitat, & poſitas àſpergit ſanguine menſas.
Tum verò indomitas ardeſcit [45] vulgus in iras:
Telaque conjiciunt & ſunt, qui Cephea dicant
Cum genero debere mori. Sed limine tecti
Exierat Cepheus, teſtatus juſque, fidemque,
[46] Hoſpitiique Deos, ea ſe prohibente moveri.
Bellica Pallas [47] adeſt; & [48] protegit ægide fratrem:
[49] Datque animos. Erat [50] Indus Athis, quem flumine Gange
Edita [51] Limnate vitreis peperiſſe ſub antris
Creditur, egregius formâ: quam [52] divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis;
Indutus chlamydem [53] Tyriam, quam limbus [54] obibat
Aureus: ornabant [55] aurata monilia collum;
Et madidos [56] myrrhâ curvum [57] crinale capillos.
Ille quidem jaculo [58] quamvis diſtantia miſſo
Figere [59] doctus erat; ſed tendere [60] doctior arcus.
Tum quoq; [61] lenta manu flectentem cornua Perſeus

30 Verbis. 31 Siquidem Andromeda procul dubio mortua fuiſſet, niſi à Perſeo è faucibus belluæ illius marinæ erepta eſſet. 32 Phineus. 33 Sc. *reſpondit*. 34 Cephea. 35 Dubitat, hæret. 36 Perſea. 37 Parumper remoratus. 38 Fruſtrà. 39 Conſtitit infixa. Sic *Virg.* lib. 1. Æneid. *Stetit illa tremens.* 40 Lectis, in quibus veteres cœnantes diſcumbebant. 41 Rejecto, Eandem enim haſtam in Phineum Perſeus rejecit. 42 Adhæſit fronti, vel in fronte. 43 Non vana, utpote quæ Rhœtum, unum ex Phinei ſociis, interemit. 44 [Tremulo motu concitatur; qualis plerumque eſt morientium, antequam vitalem auram penitus amittunt. ita noſter lib. VI. de Linguâ *Philomelæ* exſecta,

Illa jacet, terræque tremens immurmurat atræ,
Utque ſalire ſolet mutilatæ cauda colubræ;

Palpitat. Gloſſæ Græcolat. *palpitat,* σπαίρει, πάλλει] 45 Quiſque convivarum. 46 Jovem maximè violati hoſpitii vindicem. Hoſpites enim nefas eſt violari. Ideò veteres hoſpitibus ſalem imprimis apponebant, quem cùm unà guſtaſſent, ita unius mentis & amicitiæ eos debere eſſe cenſebant, ut ſal in unam naturam ex terra & aqua congelatur. 47 Auxilio eſt. Perſeus enim nullo pacto tot in ſe ruentibus viris ſine Palladis auxilio reſiſtere potuiſſet. 48 Et defendit ſcuto ſuo à jaculis hoſtium Perſeum fratrem ſuum. Nam Perſeus Jovis fuit filius, ergo Palladis frater. 49 Et addit audaciam. 50 Ad differentiam Phrygii, à Cybele, matre Deorum, adamati, eleganter Indus eſt adpoſitus. Fuit etiam alius Atys Crœſi, Lydorum regis, filius. 51 [Diana *Limnatis* dicta a *Limnis* oppido in confiniis Lacedæmoniorum & Meſſeniorum: poſſet & *Limnacias* legi, nam λιμνακίδες Nymphæ paluſtres. *Heinſius.*] 52 Pretioſo ornatu. 53 Purpuream veſtem. Nam Tyrus, urbs Phœniciæ, purpuræ officinis maximè celebratur. *Chlamys* autem veſtis eſt militaris. 54 Circuibat. 55 Aurea colli ornamenta. 56 Unguento, cui Myrrha quoque adhibetur. 57 Ornamentum crinium. 58 Quantumvis longè poſita ac remota. 59 Peritus. 60 Peritior tendendi. Locutio eſt Græca. 61 Flexibilia arcus cornua. Sic quoque apud Anacreonta invenio Synecdochicè κέρας *cornu*, pro arcus.

Stipite,

Stipite, qui mediâ positus fumabat in 62 arâ,
63 Perculit; & fractis 64 confudit in ossibus ora.
Hunc ubi 65 laudatos 66 jactantem in sanguine vultus
67 Assyrius vidit Lycabas; junctissimus illi
Et comes, & veri non 68 dissimulator amoris;
Postquam 69 exhalantem sub 70 acerbo vulnere vitam
71 Deploravit Athin; quos 72 ille 73 tetenderat, arcus
74 Arripit: Et, 75 Mecum tibi sint certamina, dixit;
Nec 76 longùm pueri 77 fato lætabere; 78 quo plus
Invidiæ, quàm laudis, habes. Hæc omnia nondum
Dixerat: 79 emicuit nervo 80 penetrabile telum:
81 Vitatumque, tamen 82 sinuosâ veste pependit.
Vertit in 83 hunc 84 harpen spectatam cæde Medusæ
85 Acrisioniades, 86 adigitque in pectus: at ille
Jam moriens, oculis sub nocte 87 natantibus atrâ,
Circumspexit Athin: seque acclinavit in illum:
Et tulit ad 88 manes junctæ solatia mortis.
Ecce 89 Syënites genitus Methione Phorbas,
Et 90 Libys Amphimedon, 91 avidi committere pugnam,
Sanguine, quo tellus laté madefacta tepebat,
Conciderant lapsi: 92 surgentibus obstitit 93 ensis,
94 Alterius costis, jugulo Phorbantis 95 adactus.
At non 96 Actoriden Erithon, cui lata bipennis
Telum erat, admoto Perseus petit ense: sed altis
97 Exstantem signis, multæque in pondere massæ,
Ingentem manibus tollit cratera duabus;
98 Infligitq; viro. 99 Rutilum vomit ille cruorem:
Et resupinus humum 100 moribundo vertice pulsat.
Inde 101 Semiramio 102 Polydæmona sanguine cretum,
103 Caucasiumque Abarin, 104 Sperchionidenque Lycetum,
Intonsumque comas Elycen, Phlegyanque, Clytumque
Sternit: & exstructos morientum calcat acervos.
Nec Phineus ausus concurrere cominus hosti,

62 Quæ Hymenæo, nuptiarum Deo, exstructa erat. Vide supra v. 37. *Et (indignum!) scelerato profuit ara.* 63 Percussit. 64 Est hic Hypallage. Valet enim *confudit ossa fracta in ore.* 65 Formâ laudabiles. 66 Concutientem, quod facere ex vulnere morientes solent. 68 Non occultator, sed ostentator. 69 Ex ore emittentem. 70 Propter acerbum & asperum vulnus. 71 Deflevit. 72 Athis. 73 Nervos intenderat, ut in Perseum sagittam emitteret. 74 Celeriter rapit. 75 Mecum in certamen descende. 76 Diu. 77 Morte. 78 E quo fato. 79 Exilivit, evolavit. 80 Sagitta, quæ facilè penetrat. 81 Declinatum: nam Perseus sagittam à Lycabâ missam vitavit. 82 Sinus ac plicas multas habente. 83 Lycabam. 84 *Harpe* ensis est Mercurii falcatus, quo Perseus Medusæ caput amputavit; [ἅρπη Græcis *falx.*] 85 Perseus Acrisii nepos. 86 Impellit, infigit. 87 In morte fluitantibus. Sic Horatio sæpe *nox* pro *morte*, quia mors nil præter tenebras habet. 88 Inferos. 89 Ab urbe Syene in Ægypto, sub tropico Cancri. 90 Ex Libya. 91 Cupidi pugnandi. 92 Surgere volentibus. 93 Harpe, quâ illos Perseus transfixit. 94 Amphimedontis. 95 Infixus. 96 Actoris filium. 97 Craterem eminentem, protuberante cælatura, magnitudine ac pondere. 98 Incutit, immittit. 99 Rubicundum sanguinem. 100 Ipse moribundus capite percutit terram. 101 Regio. Semiramis enim regina fuit, quæ condidit Babylonem. 102 *Polydæmon multiscius* potest exponi. 103 A *Caucaso*, Scythiæ monte. 104 *Sperchei* fluminis Filium.

Intor-

Intorquet jaculum: quod detulit error in Idan,
Expertem [105] frustra belli, & neutra arma secutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea torvis,
Quandoquidem in [106] partes, ait, abstrahor, accipe, Phineu, [[109] vulnus.
Quem fecisti hostem; [107] pensaque hoc [108] vulnere
Jamque remissurus tractum de corpore telum
Sanguine defectos [110] cecidit collapsus in artus.
Hîc quoq; Cephenum post regem [111] primus Cdites
Ense jacet Clymeni: Protenora perculit Hypseus:
Hypsea [112] Lyncides. Fuit & grandævus in illis
Emathion, æqui cultor, [113] timidusq; Deorum:
Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat; & [114] incessit, [115] scelerataque [116] devovet arma.
Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
[117] Demetit ense caput; quod protinus [118] incidit aræ:
Atque ibi [119] sem animi verba [120] exsecrantia linguâ
Edidit, & medios animam exspiravit in [121] ignes.
Hinc gemini fratres, Broteasq; & [122] cæstibus Am-
[123] Invicti, vinci si possent cæstibus enses, [mon
Phineâ cecidere manu: Cererisque sacerdos
Ampycus, albenti [124] velatus tempora vittâ.
Tu quoque, [125] Japetide, non [126] hos adhibendus in usus;
Sed qui pacis opus citharam cum voce [127] moveres;
Jussus eras celebrare dapes, festumq; canendo. [ti,
Cui procul astanti, [128] plectrumq; [129] imbelle tenen-
Pettalus, I, ridens, [130] Stygiis cane cœtera, dixit,
Manibus: & [131] lævo mucronem tempore figit.

105 Interfectus enim fuit.
106 In factiones, seditiones. Notandum est, vocabulum *partes* sæpè sumi pro factione, sed hoc ferè uti hic, in plurali numero. *Cic.* Erat illarum *partium*. Idem: Tenuerunt *partes* Cæsaris.
107 Compensa, & quasi in vicem illius hoc accipe.
108 Quod tibi sum illaturus.
109 Quod tu mihi intulisti.
110 Patrem Andromedæ.
111 Ergo regi dignitate secundus.
112 Lyncei filius. 113 Religiosus.
114 Irritat, provocat.
115 In Perseum sceleratè ac nefariè sumpta. 116 Execratur.
117 Decollat.
118 Cecidit in aram. 119 Semimortuâ.
120 Detestantia, blasphemantia.
121 Qui in arâ fuerant excitati. 122 *Cæstus* arma sunt pugilum, quæ ex corio bovis crudo conficiebantur, cui & plumbum insuebatur, ut validiores ictus inferri possent. Est autem nomen quartæ declinationis; nam *cestus* secundæ, & sine diphtongo, f. g. sumitur pro cingulo, & zona illa virginea, quam maritus prima nocte dissolvebat: Priorem describit Virgil. Æneid. l. 4. [Hæ autem Zonæ, ut hoc obiter moneam, non solum ex corio & pellibus quod minus tutum, sed ex chalybe ære & argento conficiebantur intus lanatæ, quibus puellarum viripotentium castitatem parentes vigiles muniebant: quod nunc quoque apud varias gentes est in usu. Impuberes absque zonis incedebant. Has Græci *παῖδας ἀμίτρους* vocabant. Callimachus Hymno in Dianam,

Πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.]

123 Insuperabiles. 124 Habens tempora velata & tecta fascia linea, qua cum sacerdotum, tum victimarum frontes vinciebantur. 125 Japeti fili. Apostrophe. 126 Bellicos. Citharistæ enim & lyristæ à pugnis sunt alieni. 127 Pulsares. 128 Instrumentum, quo lyra pulsatur, ἀπὸ τοῦ πλήττειν, i. à *percutiendo*, dictum. 129 Imbellibus ac mollibus aptum. 130 Inferis. *Styx* inferorum palus est. *Manes* autem inferorem animæ dicuntur. Sarcasmus. 131 Sinistra capitis parte.

Concidit,

Concidit, & digitis morientibus ille [132] retentat
[133] Fila lyræ: [134] casuque canit miserabile carmen.
Non sinit hunc impune ferox cecidisse Lycormas:
Raptaque de dextro robusta [135] repagula posti
Ossibus [136] illidit mediæ cervicis. At ille
[137] Procubuit terræ, mactati more juvenci.
Demere tentabat [138] lævi quoque robora postis
[139] Cinyphius Pelates; tentanti dextera fixa est
Cuspide [140] Marmaridæ Corythi; lignoque [141] cohæsit.
Hærenti latus [142] hausit Abas: nec corruit ille,
Sed retinente manum moriens è poste pependit.
Sternitur & Melaneus Perseïa castra secutus,
Et [143] Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri;
[144] Dives agri Dorylas: quo non possederat alter
[145] Latius, aut totidem [146] tollebat farris [147] acervos.
Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum,
Letifer ille locus. Quem postquam vulneris auctor
[148] Singultantem animam, & [149] versantem lumina vidit
Bactrius Halcyoneus, [150] *Hoc quod premis*, inquit, habeto
De tot agris terræ: corpusq; exsangue reliquit.
Torquet in hunc hastam calido de vulnere [151] ra-
Ultor Abantiades: mediâ quæ nare recepta [ptam
[152] Cervice exacta est, in partesq; eminet [153] ambas.
Dumque manum fortuna juvat; Clytiumque, Claninque,
Matre satos unâ, diverso vulnere fudit.
Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto
[154] Fraxinus [155] acta femur: [156] jaculum Clanis ore momordit.
Occidit & Celadon Mendesius: [157] occidit Astreus,
Matre [158] Palæstinâ, [159] dubio genitore creatus.
Æthionque [160] sagax quondam ventura videre;
Nunc [161] ave deceptus falsâ: [162] regisque Thoactes
Armiger, & cæso genitore infamis Agyrtes.

132 Iterum tentat & tangit. 133 Chordas, antè quarum inventionem filis utebantur. 134 Forte lyra emisit carmen triste & morienti conveniens. 135 Qui clausis ostiis adversus vim opponitur. *Repagula* item in ludis equestribus dicuntur, quæ equis objiciuntur, ne antè tempus procurrant. Et per translationem pro quovis obstaculo sive impedimento sumuntur. 136 Inflexit. 137 In caput in terram cecidit. 138 Sinistri. 139 Garamanticus. *Cinyps* enim est fluvius Garamantum, qui inter duas Syrtes in mare Libycum labitur. 140 *Marmari* filii. 141 Affixa fuit. 142 Percussit. 143 *Nasamones* populi sunt Libyæ. 144 Anaphora. 145 Latiores campos. 146 Capiebat. 147 Cumulos frumenti. 148 Per singultus animam emittentem. 149 Torquentem oculos moribundos. 150 En, inquit, habe & hoc terræ, quod moriens nunc occupas, de tot agris tuis, jam relinquendis. Est hæc verè hostilis irrisio, quam Sarcasmum vocant. 151 Arreptam subito ex vulnere Dorylæ. 152 Per cervicem ejecta est. 153 In anteriorem & posteriorem. 154 Hasta fraxinea. Metonymia materiæ. Vide supra v. 9. 155 Missa. 156 Jaculum in os Clanis fuit conjectum. 157 Anaphora. 158 [Ora Judææ maritima, quam Philistæi incolebant, in quâ Tyrus, Sidon, Gaza urbes commercio, & peritiâ rei nauticæ celebres.] 159 Ergo spurius. 160 Sciens prævidere atque præ nunciare futura: augur enim erat. 161 Falso augurio: futuram enim mortem prævidere nescivit. 162 Phinei fratris regis. [*Agyrtes* & nomine & parricidio infamis. *Agyrta* Græcis Ἀγύρτης, circumforaneus, erro qui dum futura prædicere fingit, vicatim stipem emendicando, popellum argento emungit.]

[163] Plus tamen exhausto superest: [164] namque omnibus unum
Opprimere est animus, Conjurata undique pugnant
Agmina [165] pro caussâ meritum impugnante fidemque.
[166] Hâc pro parte, socer frustra pius, & nova conjux
Cum genitrice, favent; ululatuq; atria complent.
Sed sonus armorum superat, gemitusq; cadentum:
[167] Pollutosq; semel multo [168] Bellona penates
Sanguine perfundit; renovataque prælia miscet.
[169] Circueunt unum Phinëus, & mille secuti
Phinea. Tela volant hibernâ grandine plura
[170] Præter utrumque latus, præterque & lumen & aures.
[171] Applicat hinc humeros ad magnæ saxa columnæ,
Tutaque terga gerens, adversaq; in agmina versus,
Sustinet instantes. Instabant parte sinistrâ
[172] Chaönius Molpeus, dextrâ [173] Nabathæus Ethemon.
[174] Tigris ut, auditis [175] diversa valle duorum
Exstimulata fame mugitibus armentorum,
Nescit [176] utrò potius ruat; & ruere ardet utrôque:
Sic dubius Perseus, dextrâ lævâne feratur,
Molpea [177] trajecti [178] summovit vulnere cruris;
[179] Contentusque fugâ est. Neque enim dat tempus Ethemon;
Sed furit; &, cupiens alto dare vulnera collo,
Non [180] circumspectis [181] exactum viribus ensem
Fregit: & extremâ percussæ parte columnæ
Lamina dissiluit; [182] dominiq; in gutture fixa est.
Non tamen ad letum caussas satis illa [183] valentes
[184] Plaga dedit. Trepidum Perseus, & inermia frustra
Brachia tendentem [185] Cyllenide confodit harpe.
[186] Verùm, ubi [187] virtutem turbæ [188] succumbere vidit,
Auxilium, Perseus, quoniam sic [189] cogitis ipsi,

163 Quamvis tot interfecerit Perseus, plus tamen eo, quod factum est, superest conficiendum. 164 Omnibus enim animus est unum Perseum opprimendi. 165 Pro Phineo, qui & meritum Persei, quo Andromedam servaverat, & fidem ipsi à rege datam oppugnabat. 166 Pro fide autem ac merito, & justa causa pauci admodum stabant. 167 Violatos, infectos. 168 Pallas Dea belli. 169 Circumdant Perseum solum. 170 Juxtà utrumque latus & dextrum & sinistrum, & propè oculos & aures. 171 Tunc Perseus humeros magnæ columnæ apposuit, ut à tergo tutus in se ruentes hostes repellere posset. 172 Epirota. *Chaonia* enim pars est Epiri. 173 *Nabathæa* regio est Arabiæ, undè fit *Nabathæus*. 174 Hac similitudine Poëta ostendit Perseum dubitasse, utrium priùs percuteret, cùm ambo instarent, alter à dextrà, alter à sinistra, Molpeum, an Ethemonem. 175 In diversa vallis parte. 176 In utram partem. 177 Transfixi. 178 Repulit. 179 Satis Perseo fuit Molpea fugasse: ab altera enim parte Ethemon instabat, neque Perseo interficiendi Molpei tempus dabat. 180 Ipse non circumspectus, i. imprudens ac temerarius. *Circumspectus* enim idem est quod prudens, qui omnia circumspicit. 181 Ejectum. 182 Ethemonis. 183 Potentes. 184 Ictus, vulnus. 185 Cylleniâ, i. e. quam acceperat à Mercurio, qui natus est in Cyllene monte Arcadiæ. 186 Verùm ubi se numero obrui advertit, neque per ingruentem undique multitudinem locum esse virtuti: cùm amicos admonuisset, ut oculos averterent, Gorgonis caput hostibus aperuit: quo Phineus cum omnibus auxiliaribus in saxum conversus est. 187 Fortitudinem suam. 188 Superari à multitudine. *Succumbere* enim est vinci, oneri imparem esse. 189 Ad hoc impellitis.

Dixit,

Dixit, ab [190] hoſte [191] petam: vultus avertite veſtros,
Si quis amicus adeſt: & Gorgonis extulit ora.
Quære aliùm, tua quem moveant [192] miracula, dixit
Theſcelus, utque manu jaculum fatale parabat
Mittere, in [193] hoc [194] hæſit [195] ſignum de marmore geſtu.
Proximus huic Ampyx animi pleniſſima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit: inque petendo
Dextera [196] diriguit, nec citrà mota, nec ultrà.
At Nileus, qui ſe genitum [197] ſeptemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina ſeptem
Argento partim, partim [198] cælaverat auro:
Aſpice, ait, Perſeu, [199] noſtræ primordia gentis;
Magna feres [200] tacitas ſolatia mortis & umbras,
A [201] tanto cecidiſſe viro. Pars ultima vocis
In medio [202] ſuppreſſa ſono eſt: [203] adapertaq; vel-le
Ora loqui credas, [204] nec ſunt ea pervia verbis.
Increpat hos, [205] Vitioque animi, non crinibus, inquit,
[206] Gorgoneis [207] torpetis, Eryx: incurrite mecum;
Et proſternite humi juvenem [208] magica arma moventem.
[209] Incurſurus erat; tenuit [210] veſtigia tellus,
[211] Immotuſque ſilex, armataque manſit imago.
Hi tamen ex [212] merito pœnas [213] ſubiêre. Sed [214] unus
Miles erat Perſei, pro quo dum pugnat, Aconteus,
Gorgone conſpectâ ſaxo concrevit [215] oborto.
Quem ratus Aſtyages etiamnum vivere, longo
Enſe ferit: ſonuit [216] tinnitibus enſis acutis.
Dum ſtupet Aſtyages, [217] naturam traxit eandem:
Marmoreoq; manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora eſt media de plebe virorum
Dicere. Bis centum reſtabant corpora pugnæ:
Gorgone bis centum [218] riguerunt corpora visâ.
Pœnitet injuſti nunc [219] denique Phinea belli.
Sed quid agat? ſimulacra videt diverſa figuris;
Agnoſcitque ſuos, & nomine quemque vocatos;
Poſcit opem: credenſq; parum, ſibi proxima tangit
Corpora: [220] marmor erant. [221] Avertitur; atque ità ſupplex,

190 Capite Meduſæ. 191 Sumam. 192 Monſtra. 193 Theſcelus in ſtatuam marmoream ita eſt mutatus, ut jaculum emittere velle videatur. 194 Stetit. 195 Statua marmorea. 196 Rigida & dura facta eſt. 197 Fluvio Ægypti ſeptem oſtiis in mare exeunte. 198 Sculpſerat, ornaverat. 199 Noſtri generis. 200 Ad animis voce carentes & mutas. 201 Tam generoſo. Nam laus eſt, à forti ſtrenuoque viro interfici. Sic lib. XII. *Quiſquis es, o juvenis, ſolatia mortis habeto, Dixit, ab Hæmonio quod ſis jugulatus Achille.* Et Virg. 10. Æn. de Lauſo ab Æneâ interfecto: *Hoc tamen, infelix, miſeram ſolabere mortem, Æneæ magni dextrâ cadis.* Et eodem libro de Pallante cum Turno congreſſuro ſimile quid. 202 Cohibita, atque coërcita. 203 Cùm enim Perſeum alloqueretur Nileus, in ſtatuam lapideam, quæ loqui velle videtur, fuit transmutatus. 204 Neque enim verba egredi poſſunt. 205 Quia puſillanimes eſtis. 206 Crinibus Meduſæ. 207 Pigri & immobiles eſtis. 208 Incantamentis valida. 209 Impetum feciſſet in Perſeum. 210 Pedes. 211 Immobilis. Nam in ſtatuam lapideam fuerat mutatus. 212 Erant enim Phinei propugnatores. 213 Paſſi ſunt. 214 Ordo eſt. Sed Aconteus erat unus miles Perſei, pro quo dum pugnat, concrevit, &c. 215 Repente orto. 216 Vocibus & ſonis. 217 Nam & ipſe in ſtatuam marmoream fuit mutatus. 218 Rigida, dura, & ſaxea facta ſunt. 219 Poſtquam ſocii ipſius in marmoreas ſtatuas fuerunt tranſmutati. 220 Marmoreæ ſtatuæ erant. 221 A Perſei conſpectu oculos avertit.

Confeſſâ-

Confessaq; manus, obliquaq; brachia tendens,
[222] Vincis, ait, Perseu: remove fera monstra; tuæq;
[223] Saxificos vultus, [224] quæcunq; ea, tolle Medusæ.
Tolle, precor. Non nos odium regnive cupido
Compulit ad bellum: Pro [225] conjuge movimus arma.
Causa fuit meritis melior tua, [226] tempore nostra.
Non [227] cessisse piget. Nihil, ô fortissime, præter
Hanc [228] animam concede mihi: tua cætera sunto.
Talia dicenti, neque eum, quem voce rogabat,
Respicere audenti, ait, Quod, timidissime Phineu,
Et possum tribuisse, & magnum munus [229] inerti est,
[230] (Pone metum) tribuam: nullo violabere ferro.
Quin etiam mansura dabo [231] monumenta per ævum
Inque domo soceri semper spectabere nostri:
Ut mea se sponsi soletur imagine conjux.
Dixit: & in partem [232] Phorcynida transtulit illam,
Ad quam se trepido Phineus [233] obverterat [234] ore.
Tum quoque conanti sua [235] flectere lumina cervix
[236] Diriguit, [237] saxoque oculorum induruit humor.
Sed tamen os timidum, vultusque in marmore supplex,
Submissæque manus, faciesque [238] obnoxia mansit.

222 Victor es. 223 Ora homines in saxa mutantia. 224 Sc. sit. Ignorat autem Phineus, quæ nam fuerit Medusa. 225 Pro uxore Andromeda pugnavimus 226 Nam Andromeda, antequam monstro marino objiceretur, Phineo fuerat desponsata. 227 Pœnitet me tibi Andromedam non reliquisse, eamque in jus tuum non venisse. *Cedere* propriè est abire, & locum dare victori. Hinc dicimus *cedere iræ*, i. dare locum iræ, & quasi ab irâ discedere. Ab hoc per Metaphoram *cedere* accipitur pro venire in jus alicujus: ut, *Cedunt* mihi bona ea, i. in jus meum veniunt. *Cedere lite*, i. victum se fateri, & à judicio victum abire. *Cedere* aliquando significat succedere: ut, omnia ex sententia *cedunt*. 228 Vitam. 229 Imbelli, ignavo. 230 Depone. Hos quatuor versus ironicè dicit Perseus, & acerbè. 231 Signa. 232 Medusam Phorci filiam 233 Converterat. 234 Timido vultu. 235 Suos oculos convertere ne Medusæ caput videret. 236 Rigida & dura facta est. 237 In saxum transmutatus, durus est factus. 238 Dejecta, veluti hominis supplicantis.

Prœtus in saxum. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Perseus Abantis pronepos, votorum compos, cum conjuge Andromeda Argos patriam suam adiit, Prœtumque, pulso Acrisio fratre, ipsius Persei avo, regnantem, ostenso Medusæ capite, in lapidem vertit, avoque licet immerito (ipsum enim cum Danaë matre arcæ impositum in mare projecerat) regnum restituit.

[1] VIctor Abantiades patrios cum [2] conjuge muros

1 Perseus votorum compos, cum Argos in patriam rediisset, Prætum, à quo Acrisius avus regno fuerat privatus, ostenso Medusæ capite, in lapidem mutavit, avoque licet immerito, (ipsum enim cum Danaë matre arcæ impositum in mare projecerat) regnum restituit. 2 Andromedâ.

Intrat: & [3] immeritæ vindex ultorque parentis
Aggreditur Prœtum. Nam [4] fratre per arma fugato
[5] Acrisioneas Prœtus possederat arces.
Sed nec ope armorum, nec, quam [6] malè ceperat, arce
Torva colubriferi superavit lumina monstri.

3 Qui minimè hoc meruerat. [Vetus hæc Lectio insulsa; nec de Jove potest locus intelligi: pro *immeriti* igitur *immeritæ* reposuit N. Heinsius, ut de Danaë intelligeretur.] 4 Expulso Acrisio. 5 Acrisii regnum. 6 Iniquè, injustè.

Polydectes in lapidem. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Polydectes rex insulæ Seriphi, ad quam Perseus cum Danaë matre inclusus arcâ pervenerat, cupiens ablegare Perseum, ut illius matre liberè potiretur, ad Gorgonis Medusæ resecandum caput eum misit, quod ille Minervâ volente ad Polydecten pertulit. Cui non credenti, factumque inficianti, Perseus caput ostendit, moxque diriguit.

[1] Te tamen, ô parvæ rector Polydecta [2] Seriphi,
Nec juvenis virtus per tot spectata labores,
Nec mala mollierant: sed inexorabile durus
Exerces odium; nec iniqua finis in ira est.
[3] Detrectas etiam laudes: fictamque Medusæ
[4] Arguis esse necem. [5] Dabimus tibi pignora veri;
[6] Parcite luminibus, Perseus ait: oraque regis
Ore Medusæo silicem sine sanguine fecit.

1 Quamvis tot miranda gesserit Perseus, totque in lapides converterit, tu tamen, ô Polydecta, odium ac iram mollire nec deponere potes. 2 Insula. 3 Diminuis, vituperas. Alioqui *detrectare* est vitare, negare. 4 Arguere vis, & probare. 5 Ironia, ut ante. 6 Nolite respicere Hæc iis dicit, qui cum Polydecte aderant: admonet enim, ut oculos avertant, ne & ipsi in lapides mutentur. *Parcere* autem *oculis* dicitur, qui illos continet clausos.

Musæ in aves, & Pyrenei præcipitium. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Musæ cùm Parnasum montem peterent adversis tempestatibus, invitatæ à Pyreneo, qui Daulida Phocidis urbem incolebat, ejus tecta subierunt: qui pulchritudine captus virginum cùm regiam claudi imperasset ad vim inferendam, ne cupiditatem ejus experirentur, in volucres conversæ sunt, quas dum ille involucris per aëra persequi voluit, delapsus est, ita ut toto corpore elideretur, vitamq; finiret.

1 Nullam quidem Poëta hoc loco exponit transformationem, sed rem sanè admirandam describit. Narrat enim quomodo Pegasus, equus alatus, unà cum Chrysaore è sanguine colli Medusæ exilierit, & ad Heliconem, Bœotiæ montem, pervenerit, ubi, cùm terram pedis ungulâ percussisset, illicò fons (qui ἱπποκρήνη, i. caballinus fons est appellatus) exortus fuisse memoratur. Ad eum igitur videndum, relicto Perseo, Pallas profecta est, quæ à Musis accepta, quam promtissimè ad ipsum fuit deducta. 2 Perseo, quem Jupiter in aureum imbrem conversus, & in Danaes gremium delapsus, genuit.

[1] HActenus [2] aurigenæ comitem [3] Tritonia fratri
Se dedit. Inde cavâ circumdata nube [4] Seriphon
Deserit; à dextrâ [3] Cythno [4] Gyaroque relictis.
Quaque super pontum via visa brevissima, Thebas,
Virgineumque [5] Helicona petit; quo monte potita
Constitit; & doctas sic est affata [6] sorores:
Fama novi fontis nostras pervenit ad aures;
Dura [7] Medusæi quem præpetis ungula rupit.
Is mihi causa viæ. Volui mirabile monstrum
Cernere: vidi [8] ipsum [9] materno sanguine nasci.
[10] Excipit [11] Uranie: Quæcunque est causa videndi
Has tibi, diva, domos, animo gratissima nostro est.
Vera tamen fama est: & Pegasus hujus origo
Fontis. Et ad [12] latices deducit Pallada sacros.
Quæ mirata diu factas [13] pedis ictibus undas,
Silvarum lucos circumspicit antiquarum;
Antraque, & innumeris distinctas floribus herbas:
Felicesque vocat pariter studiique locique
[14] Mnemonidas; Quam sic affata est una sororum:
O, nisi te virtus [15] opera ad majora tulisset,
In partem ventura chori Tritonia nostri,
Vera refers; meritoq; probas artesque locumque:
Et gratam sortem, tutæ modò simus, habemus.
Sed ([16] *vetitum est* [17] *adeo sceleri nihil*) omnia terrent

3 Pallas. Vide infrà, Lib. 6. vers. 2. 4 Insulæ è Cycladibus. 5 Musis Virginibus sacrum Bœotiæ montem. 6 Musas. Nam Musæ Jovis & Mnemosynes filiæ sunt. Sunt autem Musæ numero novem, quibus nomina à proprio cuique munere indita fuerunt. *Clio* enim ἀπὸ τοῦ κλέους, à *gloria*, quæ ex Poëtarum laudibus oritur, dicta est. *Euterpe*, ἀπὸ τοῦ εὐτερπῶς, i. à *jucundo*, propter voluptatem, quæ ab audientibus ex honesti perceptione sentitur. *Thalia*, ἀπὸ τοῦ θάλλειν, i. à *virendo*, quòd in longum tempus Poëtarum gloria *virescat*. *Melpomene*, ἀπὸ τοῦ μέλπεσθαι, i. à *modulando*, quòd *melodia* audientes maximè demulceantur. *Tersichore*, ἀπὸ τοῦ τέρπειν, i. à *delectando*, quòd doctrinâ hominum animi maximè *delectentur*. *Erato*, ἀπὸ τοῦ ἐρᾷν, i. *ab amando*, quod docti homines ab omnibus *amentur*. *Polymnia*, quòd cantus suavitate Poëtas reddat gloria immortales. *Urania*, ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, i. à *cælo* quòd viri eruditi ad *cælum* gloriâ tollantur. *Calliope*, ἀπὸ τοῦ κάλλους τῆς ὀπός, i. à *pulchritudine vocis*, quòd *cantus suavitate* alios antecedens magni ab audientibus æstimetur. Harum inventa & hæc fuisse perhibentur, Clio Historiam invenisse scribitur: Thalia agriculturam & curam, quæ plantis adhibetur: Euterpe Mathematicas artes: Tersichore eruditionem: Erato saltationem: Polymnia lyram: Melpomene cantum lugubrem, & elegias: Urania Astrologiam: Calliope Poësin. 7 Et volucris & alati equi. 8 Pegasum. 9 Aderat enim Perseo Pallas, cùm Medusam obtruncavit. 10 Respondet. Ita Lib. 4. *Excipit unus, Ex numero procerum.* Ita infrà: *Jupiter excepit.* Virg. 4. Æn. *Tum sic excepit regia Juno.* 11 Una ex novem Musis. 12 Aquas sacras. 13 Percussione pedis. 14 Musas: [Mnemosynes Filias; Illa enim Mater Musarum. A *Mnemosyne* formes *Mnemosynidas*, quod non patitur versus. Sed à Græco Μνήμων, Μνήμονος.] 15 Ad bellica gesta, quæ studiis disciplinarum sunt majora. 16 Omnia scelerati audent, neque sibi quicquam prohibitum esse putant. 17 Certè.

Virgineas mentes: dirusque ante ora [18] Pyreneus
Vertitur: & nondum me totâ mente [19] recepi.
[20] Daulia Threïcio Phocêaque milite rura
Ceperat ille ferox, injustaque regna tenebat.
Templa petebamus Parnasia. Vidit euntes:
Nostraque fallaci veneratus numina cultu;
Mnemonides, (cognorat enim) consistite, dixit:
Nec dubitate, precor, tecto grave [21] sidus, & imbrem
(Imber erat) vitare meo: subiêre minores
Sæpe casas superi. Dictis & tempore motæ
[22] Annuimusq; viro, [23] primasq; intravimus ædes.
Desierant imbres; victoque [24] Aquilonibus [25] Austro,
[26] Fusca repurgato fugiebant nubila cœlo.
[27] Impetus ire fuit. Claudit sua tecta Pyreneus:
Vimque parat: quam nos [28] sumtis effugimus alis.
Ipse secuturo similis stetit [29] arduus arce:
Quaque via est vobis, erit & mihi, dixit, eâdem.
Seque jacit vecors è summæ culmine turris:
Et cadit in vultus, discussique ossibus oris
Tundit humum moriens scelerato sanguine tinctam.

18 Thrax fuit tyrannus, qui Daulida, Phocidis urbem, occupavit, ubi cùm quodam die pluvioso Musas ad Parnassum euntes vidisset, ut tecta sua subirent dum pluvia cessaret, invitavit. Cùm verò jam imber cessasset, Musæque discedere vellent, Pyreneus impius, clausis foribus, illis vim inferre parabat. Sed Musæ in aves conversæ evolaverunt: quas cùm persequi Pyreneus vellet, ex arce se præcipitem jaciens caput terræ illisit, sicque expiravit. 19 Collegi. 20 Daulios agros. *Daulia* autem (quæ & *Daulio* dicitur) urbs est Phocidis, à *Daulida* Nymphâ appellata. 21 Tempestates à quorundam siderum ortu & occasu excitatas. Metonymia efficientis. 22 Consensimus, morem gessimus. 23 Primas ædium partes. 24 Serenitatem adferentibus. 25 Noto pluvias as nubes adferente. 26 Subnigra. 27 Voluntas abeundi nobis fuit. 28 Subito assumtis. 29 [In arduo, i. e. in loco excelso eamque ob caussam periculoso.]

Pieridum certamen cum Musis. Illarum speciminis argumentum. Dii à Typhoëo fugati, seque mutantes in varias formas. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Pierûs qui Macedoniam possedit, & Evippes novem filiæ, insolentiùs dum gloriarentur, Musas in certamina cantûs provocarunt: quarum una carmen exorsa est, quod gigantes adversus Deos contenderint; ex quibus Typhoëus terrigena deformitate terruit deos, compulitque in Ægyptum: ubi Jupiter ob metum in arietem versus est. Apollo in corvum, Liber in caprum, Diana in felem, Juno in vaccam, Venus in piscem. Invicem autem Musæ, cùm Cereris laudem cecinissent, & qualiter Typhoëus Ætnæ monti Siciliæ subjectus esset; Pierides victæ in picas sunt transfiguratæ.

[1] MUsa loquebatur. Pennæ sonuêre per auras:
Voxque [2] salutantum ramis veniebat ab altis.
Suspicit; & linguæ quærit tam certa loquentes
Unde sonent: hominemque putat [3] Jove nata locutum.
Ales erant; numeroque novem sua [4] fata querentes
Institerant ramis imitantes omnia picæ.
Miranti sic orsa Deæ [5] Dea: Nuper & istæ
Auxerunt volucrem victæ certamine turbam.
Pieros has genuit [6] Pellæis dives in arvis:
[7] Pæonis Evippe mater fuit: illa potentem
[8] Lucinam novies, novies paritura, vocavit.
[9] Intumuit numero stolidarum turba sororum;
Perque tot [10] Hæmonias, & per tot [11] Achaïdas urbes
[12] Huc venit: & tali committunt prœlia voce:
Desinite indoctum vanâ dulcedine vulgus
Fallere. Nobiscum, si qua est fiducia vobis,
[13] Thespiades certate Deæ: nec voce, nec arte
Vincemur; totidemque sumus. Vel cedite victæ
[14] Fonte Medusæo, & [15] Hyantêa [16] Aganippe:
Vel nos [17] Emathiis ad [18] Pæonas usque [18] nivosos
Cedamus campis. [19] Dirimant certamina Nymphæ.
Turpe quidem contendere erat; sed cedere visum
Turpius. Electæ [20] jurant per flumina Nymphæ;

1 Multas describit, Metamorphoses Poëta. Musa enim fingitur Palladi referre certamen suum cum Pierûs filiabus, quo quidem in certamine, & transformationes Deorum in varia animalia temporis belli gigantei à Pierûs filiabus canuntur, & pœna Typhoei gigantis, & Proserpinæ raptus, & Cyanes in fontem mutatio, multaque alia contrà à Musis cantan ur. Pieros igitur ex Evippe uxore novem sustulit filias, quæ pulchritudine ac vocalitate sua superbæ, Musas in certamen provocare ausæ sunt. Eas verò Nympharum judicio victas, Musæ indignatæ, vocalitate ereptâ in raucas picas mutarunt. 2 Exprimentium salutationis vocem χαῖρε, χαῖρε: illud enim verbum exprimere videntur picæ. [Ita Persius in Prologo,

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?]

3 Pallas miratur unde hæc vox salutantium sonet, &c. 4 De sua fortuna conquerentes. 5 Musa respondet Deæ Palladi miranti. 6 Macedonicis agris. Pella est urbs Macedoniæ, natale solum Philippi Macedonis, & Alexandri Magni, qui inde Pellæi dicuntur. [Ita Juvenalis,

—

Unus Pellæo Juveni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit.]

7 Ex Pœoniâ oriunda. 8 Id est, Novies pepererat. Lucina, sic appellata *à luce*, quod in lucem educere infantes credebatur, gravidarum & parturientium Dea. 9 Superba facta est. 10 Thessalicas: *Hæmonia* enim eadem est cum Thessalia, ab *Hæmone* rege dicta. 11 Achaias, Græcas. 12 Ad Parnasum. 13 Musæ *Thespiades* dictæ sunt à *Thespiis*, urbe Bœotiæ, ubi maximè colebantur. 14 Hippocrene 257. vers. suprà, Musis dicato. 15 Bœotos antiquitus Hyantes appellatos fuisse scribit Plinius. Hinc Hyanteus. 16 Aganippe fons est Bœotiæ, Musis sacer. 17 [Thessalicis. *Emathia* enim *Thessalia*. Lucanus initio operis. *Bella per Emathios plusquam civilia campos, Jusque datum sceleri canimus. Pharsalicos* intelligit *campos* qui in Thessalia. Catullus quoque de Peleo, *Emathiæ tutamen opis.* Peleus autem Rex Thessaliæ.] 18 Montanos. *Pœones* enim populi sunt Macedoniæ montani. 19 Dijudicent, utræ nostrum meliùs cecinerint. *Dirimi* autem propriè dicuntur bella atque lites, cùm sedantur. 20 Se justè judicaturas.

Factaque

Factaque de vivo [21] pressêre sedilia saxo.
[22] Tunc, sine sorte prior, quæ se certare professa est,
Bella canit superûm: [23] falsoq; in honore Gigantas
Ponit, & [24] extenuat magnorum facta Deorum;
Emissumque imâ de sede [25] Typhoëa terræ
Cœlitibus fecisse metum; cunctosque dedisse
Terga fugæ: donec fessos [26] Ægyptia tellus
Ceperit, & septem discretus in ostia Nilus.
Huc quoq; terrigenam venisse Typhoëa narrat,
Et se mentitis superos celâsse figuris.
[27] Duxque gregis, dixit, fit Jupiter: unde recurvis
Nunc quoque formatis Libys est cum cornibus Ammon.
[28] Delius in Corvo, proles Semeleïa Capro,
Fele [29] soror Phœbi, niveâ [30] Saturnia Vaccâ,
Pisce [31] Venus latuit, Cyllenius [32] Ibidis alis.

Hactenus ad citharam vocalia moverat ora:
Poscimur 33 Aönides. Sed forsitan otia non sint;
34 Nec nostris præbere vacet tibi cantibus aurem.
Nè dubita, vestrumq; mihi refer ordine carmen,
Pallas ait: nemorisque 35 levi consedit in umbrâ.
Musæ refert: 36 *Dedimus* summam certaminis uni.
Surgit, & 37 immissos hederâ collecta capillos
38 Calliope querulas prætentat pollice chordas:
Atque hæc percussis subjungit carmina 39 nervis.

21 Occupavere sedilia è saxo nativo. 22 Tunc una ex illis sororibus, non exspectato sortis decreto utra pars prior caneret. 23 Canit Gigantomachiam, & falsa, nam Deos deprimit, Gigantas laudat. 24 Minuit, deprimit, minora facit, quam revera sint. 25 *Typhoëus* Titanis & Terræ fuit filius, tanta audacia, ut Jovem in pugnam provocare sit ausus. Quare Jupiter illum fulmine stravit, Trinacriæque insulæ subjecit. 26 Gigantes Typhoëo duce, impetum in Deos fecerunt, ac eos in Ægyptum usque fugere coëgerunt, ubi se Typhoëi metu in varia animalia converterunt. 27 Aries. Nam Jupiter se in arietem commutavit. 28 Apollo se in corvum mutavit, Bacchus, filius Semeles, in caprum. 29 Diana, soror Apollinis, in felem se convertit. 30 Juno, Saturni filia, in vaccam. 31 De Veneris in piscem mutatione Ovid. 2. Fast. *Terribilem quondam*, &c. usque ad *sidera nomen habent*. 32 *Ibis* est avis Ciconiæ similis. 33 Nos Musæ ad cantandum invitamur. *Aönides* Musæ dicuntur, ab *Aoniâ* Bœotiæ parte montanâ. 34 Nec commodum tibi est meos Hymnos audire. 35 Suavi ac jucundâ. 36 Totum certamen uni ex sororibus commisimus. 37 Dimissos, neglectos. 38 Una est ex novem Musis: cui à *pulchritudine* ac *bonitate* vocis nomen inditum est. Nam κάλλος *pulchritudo*, & ὢψ ὠπὸς *vox* dicitur. 39 Chordis.

Proserpina à Plutone rapta, & Cyane in fontem. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Venus indignata quòd & Diana, & Proserpina Cereris filia, numen suum conjugiaque aspernarentur, Ditem, qui territus viribus Typhoëi, moventis Ætnam, cui subjectus à Diis erat, ab inferis emerserat, impulit in amorem, uti Proserpinam circa Pergum lacum Hennæ flores legentem cum Minerva atque Diana, raperet. Quâ

captâ, cùm properanter curru fugeret, à Cyane Nymphâ, quam dilexerat Anapis amnis, intercedente tardatus est. At ille incensus ira propter moram intercedentis, sceptrum tanta vi jecit in terram, ut totum conderetur: icta tellus ita hiavit, ut illac Plutonis currus ad inferos transierit. Cyanen verò, quæ currui obstiterat, in liquorem sui nominis vertit: cujus lacus contiguus Arethusæ videtur.

[1] PRima Ceres unco glebam dimovit aratro:
Prima dedit fruges, [2] alimentaq; mitia terris;
[3] Prima dedit leges. Cereris sumus omnia munus.
Illa canenda mihi est. Utinam modò dicere possem
Carmina digna Deæ! certè Dea carmine digna est.
[4] Vasta giganteis ingesta est insula membris
[5] Trinacris; & magnis subjectum [6] molibus urget
Ætherias ausum sperare Typhoëa sedes.
Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpè:
Dextra sed [7] Ausonio manus est subjecta Peloro:
Læva, [8] Pachyne, tibi: [9] Lilybæo crura premuntur;
Degravat [10] Ætna caput: sub quâ resupinus arenas
Ejectat, [11] flammamque fero vomit ore Typhoeus.
[12] Sæpe [13] remoliri [14] luctatur pondera terræ;
Oppidaq; & magnos evolvere corpore montes.
Indè tremit tellus: & [15] Rex pavet ipse silentum,
Nè [16] pateat, latoque [17] solum retegatur hiatu,
Immissusque dies trepidantes terreat umbras.
Hanc metuens cladem, tenebrosâ sede tyrannus
Exierat: curruq; [18] atrorum vectus equorum
[19] Ambibat Siculæ cautus [20] fundamina terræ.

1 A laudibus Cereris carmen suum Calliope auspicatur. *Ceres* autem Saturni & Opis filia fuisse dicitur, quæ omnium prima agrorum cultum ac frumenta hominibus monstravit, legesque invenit, quibus homines civiliter vivere cœperunt. Hac ferè repetitione usus est & alibi: *Prima Ceres docuit turgescere semen in agris, Falce coloratas subsecuitque comas. Prima jugis tauros supponere colla coëgit. Et veterem curvo dente revellit humum.* Quâ de re rursus Fastor. lib. 4. v. 401. *Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato, Mutavit glandes utiliore cibo. Illa jugo tauros collum præbere coëgi: Tunc primùm Soles eruta vidit humus.* 2 Frumenta, antè cujus inventionem homines glandibus vescebantur. 3 Prima enim Ceres leges tulisse dicitur: undè à Virg. 4. Æn. *legifera* vocatur. Anaphora. 4 Typhoëo giganti, fulmine percusso, Jupiter Siciliam insulam superinjecit: ne quando resurgens è cœlo Deos pellere tentaret. 5 Sicilia, quæ ab aliis *Trinacria* sæpe dicitur, quòd tria ἄκρα & *promontoria* habeat, Pelorum, Lilybæum, & Pachynum. 6 Montibus, ponderibus. 7 Italo, quippe qui ad Italiam vergat. *Pelorus* dictus est à *Peloro*, classis Hannibalis gubernatore, quem interfectum Hannibal cùm crederet, se in insidias adductum ibi sepeliendum curavit. 8 *Pachynus* Siciliæ promontorium est in Græciam vergens. 9 Lilybæus quoque Siciliæ est promontorium Africam respiciens. 10 Mons est Siciliæ altissimus, cujus vertex fere semper flammas ejicit. 11 Hac de re sic 4. Fast. *Alta jacet vasti super ora Typhoëos Ætna, Cujus anhelatis ignibus ardet humus.* Et 2. Ex Ponto: *Vidimus Ætna à cœlum splendescere flammâ, Suppositus monti quam vomit ore Gigas.* 12 Sæpè tentat montes excutere, quo tempore maximi fiunt terræ motus. 13 Demoliri, decutere. 14 Conatur. 15 Pluto. Manes *silentes* dicuntur, quòd mortuis nulla vox sit. 16 Aperiatur. 17 Terra. 18 Nigrorum: apud inferos enim omnia sunt nigra, utpote apud quos perpetuæ sunt tenebræ. 19 Circumibat. 20 Fundamenta.

Postquam

Poſtquam exploratum ſatis eſt loca nulla labare,
Depoſiique metus: [21] videt hunc [22] Erycina vagantem [volucrem;
[23] Monte [24] ſuo reſidens: [25] natumque amplexa [25]
[26] Arma manuſque meæ, mea, nate, potentia, dixit,
Illa, quibus ſuperas omnes, cape tela, Cupido,
Inque [27] Dei [28] pectus celeres [29] molire ſagittas,
Cui [30] triplicis ceſſit fortuna noviſſima regni.
Tu ſuperos, ipſumque Jovem, tu numina ponti
Victa domas, ipſumq; regit qui numina ponti.
Tartara quid ceſſant? cur non matriſque, tuumque
Imperium [31] profers? [32] agitur pars tertia mundi.
[33] Et tamen in cœlo quoque tanta potentia noſtro
Spernitur: ac mecum vires minuuntur amoris.
[34] Pallada nonne vides, jaculatricemq; Dianam
Abſceſſiſſe mihi? Cereris quoque [35] filia virgo,
Si patiemur, erit: nam ſpes affectat eaſdem.
At tu, pro ſocio ſi qua eſt mea gratia regno
[36] Junge Deam patruo. Dixit Venus. [37] Ille pharetram
Solvit: & arbitrio matris de mille ſagittis
Unam ſepoſuit: ſed quâ nec acutior ulla, [cum:
Nec minus incerta eſt, [38] nec quæ magis audiat ar-
[39] Oppoſitoque genu [40] curvavit flexile cornu:
Inq; [41] cor [42] hamata percuſſit arundine [43] Ditem.
[44] Haud procul [45] Hennæis latus eſt à mœnibus altæ,
Nomine Pergus, aquæ. Non illo plura [46] Cayſtros
Carmina cygnorum labentibus audit in undis.

21 Narraturus Poëta Cyanes Nymphæ transformationem in ſtagnum prius Proſerpinæ raptum deſcribit. Cùm enim Pluto, Deus inferorum in Sicilia vagaretur, ſagittâ à Cupidine, rogatu Veneris, perculſus, viſa Proſerpina, Cereris filia, ita exarſit, ut eam raptam ſtatim currui ſuo imponeret, atque aſportaret. Cùm verò à Cyane Nymphâ retineretur, ipſe, adaperta terra, ad inferos cum Proſerpina devectus eſt. Cyane autem eo dolore fuit affecta, ut paulatim in fontem fuerit commutata. 22 Venus: ab *Eryce*, Veneris ac Butæ filio, qui, cùm in Sicilia regnaret, ac plurimùm corporis viribus polleret, hoſpites, ut ſecum cæſtibus decertarent, provocabat. Is exſtructo matri Veneri templo quæ inde *Erycina* fuit appellata, cum Hercule congreſſus, ab eo fuit interfectus. 23 Huic monti nomen eſt *Eryx*, ab *Eryce* dicto. 24 Sibi dicato. 25 Filium alatum, i. Cupidinem. 26 Eâdem fermè oratione Venus apud Virg. Æn. 1. Cupidinem filium alloquitur: *Nate meæ vires.* 27 Plutonis. 28 Animum. 29 Præpara. 30 Quod in tres diviſum eſt partes. Quarum ſuprema, i. cœlum, obtigit Jovi: media, i. terra, cum mari Neptuno: infima ac ultima, i. inferi, Plutoni. 31 Producis, amplificas. Sic Virg. 6. Æn. *Super Garamantas & Indos Proferet imperium.* 32 Tertia pars mundi in periculo verſatur, parumque abeſt, quin ea à nobis amittatur. 33 Non ſolùm inferos patimur ab amore liberos eſſe, verùm ſuperorum quoque quidam nos ſpernunt, noſtrâque patientiâ fruuntur. 34 A quibus potiſſimùm ſpernatur, exponit Venus. Pallas enim ac Diana perpetuam voverant virginitatem. 35 Proſerpina, quæ Jovis & Cereris fuit filia. 36 Junge Proſerpinam Plutoni fratri Jovis, qui Proſerpinæ pater. Ergo Pluto Proſerpinæ patruus. 37 Cupido. 58 Nec quæ faciliùs ab arcu emittatur. Illæ enim ſagittæ *arcum audire*, & obtemperare dicuntur, quæ facilè ab arcu emittuntur: vel etiam quæ hoc, quod arcus petit, faciunt, i. certò feriunt. 39 Geſtum exprimit eorum, qui arcus intendunt. 40 Inflexit, ut intenderet. 41 Pro corde. 42 Sagitta ferro armata & hamo, quæ è corpore difficulter extrahi poteſt. 43 Plutonem, qui à Græcis πλυτῶν, à Latinis *Dis κατ' ἀντίφρασιν*, quòd *minimè* ſit *dives*, dicitur. Nam πλοῦτος & Deus eſt divitiarum, & pro ipſis quoque divitiis ponitur. Vel rectè *Dis* dicitur, quoniam è terrâ, cujus Deus Pluto ab aliis dicitur, divitiæ effodiuntur. 44 Lacum nomine Pergum deſcribit, juxtà quem Proſerpina cum æqualibus puellis flores colligens, à Plutone, illac curru tranſeunte, rapta fuit. 45 Henna urbs Siciliæ. 46 Ioniæ fluvius, cycnorum copia celebris.

[47] Silva coronat aquas, cingens latus omne: suisq;
Frondibus, ut velo, Phœbeos [48] submovet [49] ignes:
Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores.
Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
Ludit, & aut Violas, aut candida Lilia carpit,
Dumque [50] puellari studio calathosque sinumque
Implet, & æquales certat superare legendo;
[51] Pæne simul visa est, dilectaq; raptaq; Diti:
Usque adeò properatur amor. [52] Dea territa mœsto,
Et [53] matrem, & [54] comites, sed matrem sæpius, [55] ore
Clamat: &, ut summâ vestem laniarat ab [56] ora,
Collecti flores tunicis cecidêre remissis.
Tantaq; simplicitas puerilibus adfuit annis:
[57] Hæc quoq; virgineum movit [58] jactura dolorem.
Raptor [59] agit currus, & nomine quemq; vocatos
Exhortatur equos. Quorum per colla jubasque
[60] Excutit [61] obscura tinctas ferrugine habenas.
Perque lacus altos, & olentia sulphure fertur
Stagna [62] Palicorum rupta [63] ferventia terra:
Et qua [64] Bacchiadæ bimari gens orta [65] Corintho
Inter inæquales posuerunt [66] mœnia [67] portus.
[68] Est medium Cyanes, & [69] Pisææ Arethusæ,
Quod cöit angustis inclusum cornibus æquor.
Hic fuit, à cujus stagnum quoq; nomine dictum est,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas;
Gurgite quæ medio summa tenus exstitit alvo,
Agnovitque [70] Deum: Nec longiùs ibitis, inquit,
Non potes invitæ Cereris gener esse. Roganda;
Non rapienda fuit. Quod si [71] componere magnis
Parva mihi fas est; & me dilexit [72] Anapis.
Exorata tamen, nec, ut hæc, exterrita nupsi.
Dixit: &, in partes diversas brachia tendens,
Obstitit. Haud ultrà tenuit [73] Saturnius iram:
Terribilesque hortatus equos, in gurgitis ima
Contortum valido sceptrum regale lacerto

47 Undique sylva lacum circumit.
48 Repellit, penetrare non sinit. 49 Solis fervores.
50 Cupiditate puellæ convenienti.
51 Climax. Sic 3. Fastor. *Mars videt hanc, visamque cupit, petiturque cupitâ.*
52 Proserpina.
53 Cererem.
54 Leucippen, Phœno, Ianthen, Melobothin, Tychen & Ocyroen.
55 Pleonasmus.
56 A supremo limbo.
57 Elegantissimè, ut ubique, Poëta noster hic exprimit τὸ πάθος puellæ simplicis, ut quæ collectos flosculos anxiè servare studet.
58 Hoc damnum, quia amiserat flores.
59 Agitat & concitat in cursum.
60 Concutit.
61 Ferrugineo colore, qui fuscus est ac ferro similis.
62 Palici Jovis & Thaleæ Nymphæ, à Vulcano genitæ, filii fuerunt. Dicti sunt autem *Palici* ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, i. ab iterum veniendo in vitam, cùm mortui jam essent. Nam cum Thalea Nympha à Jove fuisset compressa, Junonis timore optavit, ut sibi terra dehisceret. Quod ubi factum est, maturi partus tempus advenit: ex terrâ igitur apertâ duo simul infantes exilìere, qui *Palici* sunt appellati. 63 Innuit Poëta ibi esse fontes calidarum aquarum. 64 Originem Bacchi, à Dionysi filia, ducentes. 65 *Corinthus* idcircò *bimaris* appellatur, quòd in Istmo Peloponnesi ædificata ab alterâ parte Ægeum mare, ab altera Ionium spectet. Sic *Horat.* dixit *Bimarisve Corinthi Mœnia* 66 Ædificarunt urbem Syracusas. 67 Alter enim portus major, alter minor esse dicitur. 68 Locum describit, ubi Cyane Nympha Plutonem inhibêre voluit, ne Proserpinam asportaret. Cæterum à Plutone contemta, præ dolore in fontem sui nominis fuit conversa. 69 *Arethusa* fons est Siciliæ juxtà Syracusas urbem, quam idcircò *Pisæam* vocat Poëta, quòd creditur esse Alphæus, qui fluvius juxtà Pisam subterraneo meatu lapsus, miscêre se Arethusæ fonti dicitur. 70 Plutonem. 71 Comparare, assimilare, in Trist. *Grandia si parvis assimilare licet.* 72 Fluvius Siciliæ. 73 Pluto, Saturni filius.

[74] Condidit. [75] Icta viam tellus in [76] Tartara fecit:
Et pronos currus medio [77] cratere recepit.
At Cyane, raptamq; Deam, contemtaq; fontis
Jura sui mœrens, [78] inconsolabile vulnus
Mente gerit tacita; lacrymisq; absumitur [79] omnis:
Et, quarum fuerat magnum modò numen, in illas
Extenuatur aquas. Molliri membra videres:
Ossa pati [80] flexus: ungues [81] posuisse rigorem:
Primaque de tota tenuissima quæque liquescunt;
Cærulei crines, digitique, & crura, pedesque:
Nam brevis in gelidas membris [82] exilibus undas
Transitus est. Post hæc tergumq; humeriq; latusq;
Pectoraq; in tenues abeunt [83] evanida rivos.
Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
Lympha subit: [84] restatq; nihil, quod prendere possis.

74 Jecit tantis viribus, ut totum sceptrum occultaretur. 75 Nam sceptro percussa ita hiavit, ut facile Plutonis currus illac ad inferos pertransierit. 76 Ad inferos. Est enim *Tartarus* infimus inferorum locus & obscurissimus, dictus ἀπὸ τοῦ τεταράχθαι, i. ex eo, quòd omnia in eo *perturbata* & *confusa* sint. 77 In mediam voraginem. Nam *crater* non solùm vas dicitur: sed ad ejus similitudinem hiatus quoque terræ, unde flamma præsertim egreditur, *crater* appellatur. 78 Maximum dolorem, qui nullam consolationem admittere posset. 79 Tota. 80 Fiunt flexilia. 81 Deposuisse. 82 Tenuibus ac parvis. 83 Evanescentia, resoluta. 84 Nihil duri de Cyanes corpore fuit relictum, quod quisquam manibus prehendere possit.

Puer in stellionem. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Ceres cùm orbem terrarum peragrasset, requirens filiam Proserpinam, æstu torrida ad casam cujusdam anus nomine Misme, aut, ut alii volunt Metanira, devenit; petitque ab ea ut sibi aquam ad os colluendum porrigeret. Quæ cùm polentatam ei potionem dedisset, & illa avidiùs biberet, puer quidam ejusdem casæ, nomine Stelles, eam procaciùs est prosecutus, aviditatem ejus in bibendo cum risu increpans: cujus Dea audaciâ offensa, in ejus malas partem potionis effudit, fecitque ut in stellionem converteretur, qui variis maculis potionem polentâ sparsam ostenderet.

INterea pavidæ nequicquam [1] filia [2] matri
Omnibus est terris, [3] omni quæsita [3] profundo.
Illam non [4] rutiles veniens [5] Aurora capillis
Cessantem vidit, non Hesperus. [7] Illa duabus
Flammiferâ [8] pinus manibus succendit ab [9] Ætnâ,

1 Proserpina. 2 Cereri. 3 In omni mari. 4 Rubentibus. 5 Oriens. 6 Occidens orbis plaga. 7 Ceres. 8 Faces ex pinu arbore confectas. *Pinus* enim arbor est, ex quâ optimæ faces conficiuntur. [H]oc loco non dicit Poëta, quot faces accenderit Ceres. In 4. verò *Fast.* ait duas fuisse: *Illic accendit geminas pro lampade pinus: Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur.* Metonym. materiæ. 9 Ab Ætnæ incendio & cratere. Unde & in sacrificiis Cereris faces accensas jactare solebant ad imitationem illius, filiam quærentis.

Perque

Perque [10] pruinosas tulit irrequieta [10] tenebras.
Rursus, ubi alma dies [11] hebetârat sidera, [12] natam
Solis ad occasus Solis quærebat ab ortu.
Fessa labore sitim [13] collegerat: [14] oraque nulli
Colluerant fontes: cum tectam [15] stramine vidit
Fortè [16] casam; parvasque fores pulsavit. At [17] indè [que roganti,
[18] Prodit [19] anus, [20] Divamque videt, lympham-
[21] Dulce dedit, tostâ quod coxerat ante, [22] polentâ.
Dum bibit illa datum; [23] duri [24] puer oris, & audax
Constitit ante Deam; risitq; [25] avidamq; vocavit:
Offensa est: neq; adhuc [26] epota parte loquentem
Cum liquido mista perfudit Diva polenta.
[27] Combibit os maculas; &, qua modò brachia gessit,
Crura gerit: cauda est mutatis addita membris:
Inque brevem formam, nè sit vis magna nocendi,
Contrahitur: parvaque minor mensura lacertâ est.
Mirantem, flentemq; & tangere monstra parantem
Fugit anum; latebramque petit: [28] aptumque colori
Nomen habet, variis [29] stellatus corpora guttis.

10 Noctem. 11 Lumen syderum retuderat & occultaverat. Nam adveniente die syderum fulgor non videtur. Metaphora. 12 Filiam Proserpinam. 13 Contraxerat. 14 Nihil aquæ biberat Propriè autem *os collui* dicitur, quando abluitur. 15 Paleâ, culmis frumentaceis. *Stramen* indè dictum est, quòd pecori *substernatur*. 16 Domum rusticam. 17 Ex ista casa. 18 Procedit, egreditur. 19 Metanira. 20 Cererem. 21 Mustum. 22 Sec. cum. *Polenta* est farina hordeacea, sive hordeum madefactum, deinde siccatum, & tostum. 23 *Duri esse oris* dicuntur, qui sunt impudentes. 24 Stelles. 25 Gulosam. 26 Ebibitâ. 27 Contrahit. 28 *Stellio* vocatur, quòd *parvis stellis* insignitus esse videatur. Est autem parvum animal, quod (ut ait Plinius) rore tantum vivit. 29 Habens stellatum corpus, & guttis infectum, quæ stellæ videntur.

Ascalaphus in bubonem. *Fab.* VIII.

ARGUMENTUM.

Cùm Arethusa Nympha Siculæ fontis, qui humo pressus ab Elide fluit, indicavisset Cereri à Dite raptam Proserpinam; illa ab Jove impetravit, si fratris nuptiis contenta non esset, ea lege ab inferis reduceret eam, si nihil ibi gustasset. Quam ob causam cum judicium fieret, Ascalaphus Acherontis filius ad judicium primus descendit, docuitque eam mali Punici granum gustasse: quamobrem in avem bubonem abominandi ominis conversus est. Jupiter autem ex æquo fratri suo Cererique tribuit, ut partem anni Proserpina apud virum, partem autem apud matrem ageret.

QUas Dea per terras, & quas erraverit undas,
Longa referre mora est. [1] *Quærenti defuit orbis.*

1 Nam cùm Ceres totum terrarum orbem perlustrasset, ubi quæreret filiam, nihil ei loci restabat: quare in Siciliam est reversa.

[2] Sicani-

[2] Sicaniam repetit. Dumq; omnia luſtrat eundo;
Venit & ad [3] Cyanen: ea, nî mutata fuiſſet,
Omnia naraſſet. Sed & os & lingua volenti
Dicere, non aderant: [4] nec, quo loqueretur, habebat.
Signa tamen manifeſta dedit: notamque parenti
Illo forte loco delapſam gurgite ſacro
Perſephones [5] zonam ſummis oſtendit in undis.
Quam ſimul agnovit, tanquam tum deniq; raptam
Sciſſet, inornatos laniavit Diva capillos:
Et repetita ſuis percuſſit pectora palmis.
Nec ſcit adhuc ubi ſit: terras tamen [6] increpat omnes;
Ingrataſq; vocat, nec frugum munere dignas.
[7] Trinacriam ante alias, in quas [8] veſtigia [9] damni
Repperit. Ergo illîc [10] ſævâ vertentia glebas
Fregit aratra manu: [11] parilique irata colonos
Ruricolaſque boves leto dedit: [12] arvaque juſſit
Fallere depoſitum; vitiataque ſemina fecit.
Fertilitas terræ latum vulgata per orbem
[13] Caſſa jacet: primis [14] ſegetes moriuntur in herbis:
Et modò [15] Sol nimius, nimius modò corripit [16] imber.
[17] Sideraq; ventiq; nocent: avidæq; volucres
[18] Semina jacta [19] legunt: [20] lolium, tribulique [21] fatigant
[22] Triticeas meſſes, & [23] inexpugnabile gramen
Cum caput [24] Elêis [25] Alpheïas extulit undis:
[26] Roranteſq; comas à fronte [27] removit ad aures:
Atque ait: O toto quæſitæ virginis orbe,
Et frugum genitrix, [28] immenſos ſiſte labores:

2 Revertitur in Siciliam, à *Sicano* rege appellatam. 3 Cyanes mutationem. Vide ſupra Fab. VI. 4 Nec linguam, quâ loqui poſſet habebat. 5 Cingulum Proſerpinæ. Quam enim Latini *Proſerpinam*, Græci *Perſephonem* vocant. 6 Incuſat, objurgat. 7 Siciliam, quòd tria acra, i. promontoria habeat, ut ſuprà diximus. 8 Zonam nempe. 9 Amiſſæ filiæ. 10 Robuſta & irata manu. Metonymicè. 11 Interfecit ſimili ac pari morte. Alii legunt, nec malè, *pariterque*. [Hæc autem lectio in antiquis libris vix eſt invenienda, certè ejus Heinſius non meminit.] 12 Et arvis mandavit, ne ſibi ſemina credita redderent. *Depoſitum* dicitur id, quod alicujus fidei committitur, eâ conditione factum, ut id nobis petentibus, iterum reſtituat. *Deponi* enim aliquando dicitur, quod ſervandum alicui datur. [*Deponi* quoque dicuntur præmia *pro* quibus Poëtæ certant. ita Virgilius Eclogâ III.] Eſt verò figurata ac Poëtica locutio, *fallere depoſitum*, pro eo quod eſt, fallere homines, non reddendo ſemina credita atque depoſita. 13 Diſperſa marceſcit, ac nullo eſt in honore, nullumque fructum hominibus præbet. 14 Frumenta ſeminata. Eleganter autem ea omnia enumerat, quibus ſegetes corrumpuntur. 15 Nimia ſiccitas à calore Solis proveniens. 16 Nimia humiditas. Nam imber in herbâ tantùm ſegetibus eſt utilis, florentibus autem frumento & hordeo nocet. 17 Sydera tunc nocêre ſegetibus videntur, cùm rubiginem contrahunt. Venti autem tribus temporibus nocent frumento & hordeo, in flore, aut protinus cùm defloruêre, vel matureſcere incipientibus. 18 Grana ſeminata. 19 Colligunt, & devorant. 20 Herba eſt hordeo ſimilis, ſegetes corrumpens. 21 Laborioſiores efficiunt. 22 Tritici ſegetes. *Meſſis* autem propriè dicitur tempus metendi & colligendi frumenti: ſed pro ſegete interdum quoque accipitur, ut hoc loco. 23 Indomabile, quod nulla ratione ita domari poteſt, ut non renaſcatur. 24 Aquis per ſubterraneas cavernas ab Elide urbe venientibus. 25 Arethuſa, quæ Alphei, fluvii Elidis, filia eſſe videtur. Arethuſa quoque eadem cum Alpheo eſſe putatur: quæ enim apud Piſam in Alpheum projiciuntur, eadem in Siciliâ ab Arethuſâ ejiciuntur. 26 Stillantes capillos. 27 Repulit. 28 Deſiſte immenſis laboribus, filiæ quærendæ. *Siſtere* autem eſt ſtare facere, reprimere: ut, *Siſte* gradum *ſiſte* lacrymis. Aliquando ponitur pro ſui copiam facere, & ſe præſentem exhibêre. *Cic.* Des operam, ut te antè Kalendas *ſiſtas*. Item, *Siſtere aliquem judicio*.

Neve

[29] Neve tibi fidæ violenta iraſcere terræ.
Terra nihil meruit: [30] patuitque invita rapinæ.
[31] Nec ſum pro patria ſupplex: huc [32] hoſpita veni.
[33] Piſa mihi patria eſt: & ab Elide ducimus ortum.
Sicaniam peregrina colo: ſed gratior omni
Hæc mihi terra ſolo eſt; hos nunc Arethuſa Penates,
Hanc habeo ſedem; quam tu, mitiſſima, ſerva.
[34] Mota loco cur ſim, tantique per æquoris undas.
Advehar [35] Ortygiam; veniet narratibus hora
[36] Tempeſtiva meis: cùm tu curiſq; [37] levata,
Et vultûs melioris eris. Mihi pervia tellus
Præbet iter: [38] ſubterque imas ablata cavernas
Hic [39] caput attollo: [40] deſuetaque ſidera cerno.
Ergò dum [41] Stygio ſub terris gurgite labor,
Viſa tua eſt oculis illîc Proſerpina noſtris.
Illa quidem triſtis, nec adhuc interrita vultu;
Sed regina tamen, ſed opaci maxima [42] mundi;
Sed tamen inferni [43] pollens matrona [44] tyranni.
[45] Mater ad auditas ſtupuit, ceu ſaxea, voces:
Attonitæque diu ſimilis fuit: utque dolore
[46] Pulſa gravi gravis eſt amentia; curribus auras
Exit in æthereâs. Ibi toto [47] nubila vultu
Ante Jovem paſſis ſtetit [48] invidioſa capillis.
[49] Proque meo veni ſupplex tibi, Jupiter, inquit,
Sanguine, proq; tuo. Si nulla eſt gratia matris;
[50] Nata patrem moveat, [51] neu ſit tibi cura precamur
Vilior illius, quod noſtro eſt edita partu.
En quæſita diu tandem mihi nata reperta eſt:
[52] Si reperire vocas, amittere certiùs; aut ſi
Scire ubi ſit, reperire vocas. [53] Quòd rapta, feremus
Dummodo reddat eam: neq; enim prædone marito
Filia digna tua eſt; ſi jam mea filia digna eſt.
Jupiter [54] excepit: Commune eſt pignus onuſque
Nata mihi tecum: ſed, ſi [55] modò nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum,
Verùm amor eſt: neq; erit nobis gener ille [56] pudori,

29 Irata. 30 Se aperuit, ut Plutoni, unà cum rapta Proſerpina ad inferos properanti, aditum præberet. 31 Nec tibi pro patriæ meæ excuſatione ſupplico. Hæc idcircò dicit, ne mentiri putetur. 32 Peregrina. 33 Sic 4. Triſt. *Sulmo mihi patria eſt, gelidis uberrimus undis.* Ter. in Eun. *Samia mihi mater fuit* Piſa Arcadiæ oppidum eſt, juxta quod Alpheus fluvius labitur; unde *Piſæus* derivatur. 34 Arethuſa venatrix fuit Nympha, Dianæ comes, quæ cùm fortè ſe in Alpheo fluvio lavaret, ita Alpheum in ſui amorem pellexit, ut ipſam retinere conatus ſit: ſed cùm in Siciliam uſque fugientem Alpheus ſecutus eſſet, implorato Dianæ auxilio, in fontem ſui nominis fingitur eſſe mutata. 35 Eſt hæc Ortygia inſula juxta Syracuſas in Sicilia, juncta continenti. 36 Tempus commodum. 37 Liberata. 38 Per ſubterraneas vias abducta. 39 Exeo. 40 Non viſa mihi ſub terris labenti, cum fui ſub terra. 41 Ita profundo, ut ipſum Tartarum ſubirem. Styx eſt inferorum palus. 42 Inferni, ſubterranei. 43 Potens uxor. 44 Plutonis. 45 Ceres. 46 Percuſſa, affecta magno dolore. 47 Triſtis. 48 Invidiam motura, & Jovi & Plutoni fratribus. 49 Extant 4. Faſt. carmina, quæ hunc locum illuſtrant plurimum: *Quæſita diu ſecum,* uſque ad *cortice poma tegunt.* 50 Proſerpina enim Jovis ex Cerere filia fuit. Conatur autem Ceres Jovi perſuadère, ne patiatur filiam à Plutone detineri. 51 Neque illius minorem curam habeas, quod ego illam peperi. 52 Q. d. hoc eſſe potius amittere, quam reperire. 53 Quòd ſit rapta æquo animo tolerabimus, dummodò Pluto eam nobis reddat. 54 Reſpondit. 55 Si nomina vera imponere volumus rebus & his factis, non injuriam hoc, ſed amorem eſſe cognoſcemus. 56 Dedecori. Pudor enim eſt timor juſtæ vituperationis.

Tu

Tu modò, [57] Diva, velis. Ut [58] desint cætera; Quantum est
Esse Jovis fratrem! Quid quòd nec cætera desunt,
Nec [59] cedit nisi forte mihi? Sed tanta cupido
Si tibi [60] discidii; repetat Proserpina [61] cœlum:
Lege tamen certa; si [62] nullos contigit illîc
Ore cibos. Nam sic [63] Parcarum fœdere cautum est.
[64] Dixerat. At Cereri [65] certum est [66] educere natam.
Non ita fata sinunt. Quoniam jejunia virgo
[67] Solverat: &, cultis dum [68] simplex errat in hortis,
Puniceum [69] curva decerpserat arbore pomum:
Sumtaque pallenti septem de cortice grana
[70] Presserat ore suo. Solusque ex omnibus illud
Viderat [71] Ascalaphus: quem quondam dicitur Orphne,
Inter [72] Avernales haud ignotissima Nymphas,
Ex Acheronte suo [73] furvis peperisse sub antris.
Vidit: & [74] indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina [75] Erebi; testemque [76] profanam
Fecit [77] avem: sparsumque caput [78] Phlegethontide lympha
In rostrum, & plumas, & grandia lumina vertit.
Ille [79] sibi ablatus fulvis [80] amicitur ab alis;
[81] Inque caput crescit; [82] longosque reflectitur ungues;
Vixque movet natas per inertia brachia pennas:
[83] Fœdaque fit volucris, [84] venturi nuncia luctûs,
[85] Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

57 Illum nobis esse generum. 58 Ut demus omnia alia Plutoni deesse. 59 Nec Pluto potentiâ à quoquam superatur, præter quam à me solo, qui mundi partem meliorem, quam ille, sortitus sum. Nam mihi cœlum, illi inferorum imperium in mundi divisione obtigit. 60 [Separationem conjugum vocat Poëta *Discidium*. Glossæ veteres. *Discidium* διάλυσις γάμου. ita Catullus in Comâ Berenices, *Et fratris cari flebile discidium.*] 61 Aërem. 62 Si nihil apud inferos comedit. Qui enim ibi aliquid gustasset, ei illinc reditus non datur. 63 Nam sic est in fatis. Virg. Æneid. 1. *Sic volvere Parcas.* Parcæ, tres sorores, Clotho, Lachesis, & Atropos, Noctis & Erebi filiæ sunt, nendo disponentes fatum, quod ipsum Jovem superat. 64 Jupiter. 65 Decretum est. 66 Ab inferis reducere, revocare. 67 Comederat aliquid. 68 Rerum imperita. 69 Depressâ pomorum multitudine. 70 Comederat. 71 Acherontis ex Orphne Nymphâ filius fuit, qui cùm testatus esset Proserpinam Plutonis hortis septem grana mali punici comedisse, ab ipsa irata in bubonem, pessimi ominis avem, fuit commutatus. 72 Infernales. 73 Nigris speluncis. 74 Et Ascalaphus delatione suâ facultatem redeundi Proserpinæ eripuit, nec illam ad superos redire permisit. 75 Proserpina inferorum regina. Est enim Erebus inferni pars. 76 Execrandam. 77 Bubonem. 78 Phlegethontis aquâ. Est enim *Phlegethon* unus ex inferorum fluviis, ἀπὸ τοῦ φλεγέθειν, i. ab *ardendo*, cognominatus. 79 Sua figura ac forma spoliatus. 80 Vestitur, cooperitur. 81 Et caput ejus, quam reliqua membra, grandius efficitur. 82 Et longi ungues reflectuntur, i. reflexi fiunt. 83 Turpis aspectu. 84 Ex opinione veterum. Sic Lib. VI. vers. 432. *Tectoque profanus incubuit bubo*, &c. 85 Vilis ac imbellis.

Sirenes. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Sirenes Acheloï, & Melpomenes Musæ, aut, ut alii volunt, Calliopes filiæ, Proserpinæ comites fidissi-

mæ, cùm Proserpinam raptam requirerent, neque eam ullo modo possent invenire, à Diis impetraverunt, ut versæ in volucres, non tantùm in terra, sed etiam in mari requisitam consequi possent. Mansit tamen illis vox humana faciesque virginea. Novissimè devenerunt ad petram maris, quæ imminebat proxima pelago. Horum ita fatum fuit, quamdiu earum vox obaudita non esset mortalibus, manerent incolumes. Fortè Ulysses monitu Circes obturatis auribus prætervectus est, tum se præcipitaverunt.

[1] HIc tamen indicio pœnam [2] linguâq; videri [de
Commeruisse potest. Vobis, [3] Acheloïdes, un-
Pluma pedesq; avium, cùm [4] virginis ora geratis;
An quia, cùm legeret vernos Proserpina flores,
In comitum numero mistæ, Sirenes, eratis?
Quam postquam toto frustra quæsistis in orbe;
[5] Protinus ut vestram sentirent æquora curam,
Posse super fluctus [6] alarum insistere [6] remis:
Optastis: [7] facilesque Deos habuistis, & artus
Vidistis vestros subitis flavescere pennis.
[8] Nè tamen ille [9] canor [10] mulcendas natus ad aures,
[11] Tantaque dos oris linguæ deperderet usum,
Virginei vultus, & vox humana remansit.

1 Ascalaphus in bubonem mutatus. 2 Linguæ garrulitate, loquacitate. 3 Sirenes filiæ Acheloï & Terpsichores. *Achelous* verò Calydoniæ fluvius est, Oceani & Tethyos filius. Hic pro Deïanirâ cum Hercule acriter pugnans, tandem fuit superatus. 4 Cùm faciem virginis habeatis. 5 Ut diligenter in mari quoque possetis inquirere Proserpinam. 6 Remigio & agitatione alarum. 7 Benignos, utpote qui vobis ea, quæ optastis, concesserunt. 8 Causam exponit, cur totæ in aves non fuerint commutatæ Sirenes, sed virgineos vultus retinuerint. 9 Facultas canendi ingenita & à natura data. 10 Delectandas. 11 Si enim totæ in aves fuissent mutatæ, tam suaviter canere nunquam potuissent.

Arethusa in fontem. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Jupiter divisit annum, ut Proserpina partim apud virum, partim apud matrem moraretur. Ceres pacata se recipiens, ab Arethusa exegit ut sibi originem suam exponeret. Tum Arethusa: Achaïdum Nympharum formosissimam me dixere, & me Alpheus amnis mei amore incensus sumtâ viri formâ persecutus est. Cujus impetum cùm effugere cuperem, invocavi Dianam, cujus comes studiique æmula fueram, ut laboranti mihi ferret auxilium, quæ me nube texit, ne in cupientis conspectum venirem: mutorque in fontem: cujus aquas ut vidit Alpheus, cognovit, sumsitque propriam

priam amnis formam, ut se mihi misceret. At Diana, ruptâ tellure, me per obscurum iter in insulam Ortygiam Siciliæ adjacentem admisit. Cæterum Alpheus, per subterraneas cavernas me huc usque persequi non destitit.

[1] AT medius fratrisque sui mœstæq; sororis
Jupiter, ex [2] æquo volventem dividit annum
Nunc Dea [3] regnorum numen commune duorum,
[4] Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.
[5] Vertitur extemplo [6] facies & mentis, & oris:
Nam, modò quæ poterat Diti quoq; mœsta videri,
Læta [7] Deæ frons est: ut Sol, qui tectus aquosis
Nubibus antè fuit, [8] victis ubi nubibus exit.
[9] Exigit alma Ceres, nata [10] secura repertâ,
Quæ tibi causa viæ: cur sis, Arethusa, [11] sacer fons.
Conticuêre undæ: quarum Dea sustulit alto
Fonte caput: viridesque manu siccata capillos
Fluminis Elêi veteres narravit amores.
Pars ego Nympharum, quæ sunt in [12] Achaïde, [dixit,
Una fui: nec me studiosiùs altera [13] saltus
[14] Lêgit, nec [15] posuit studiosiùs altera casses.
[16] Sed quamvis formæ nunquam mihi fama petita est,
Quamvis fortis eram; [17] formosæ nomen habebam:
Nec mea me facies nimiùm laudata [18] juvabat.
[19] Quaque aliæ gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui; crimenque placere putavi.
Lassa revertebar (memini) [20] Stymphalide silva.
Æstus erat: magnumq; labor geminaverat æstum.
Invenio sine [21] vortice aquas, sine murmure euntes,
[22] Perspicuas imo; per quas [23] numerabilis altà
Calculus omnis erat; quas tu vix [24] ire putares.
Cana salicta dabant, nutritaque populus unda,
Sponte sua natas ripis declivibus umbras.

1 Jupiter arbiter medius inter Plutonem fratrem, & Cererem sororem, ne eorum alteri displiceret, ex æquo annum divisit, ut sex quidem menses Proserpina cum matre, totidemque cum marito foret. 2 In duas æquales partes distribuit. 3 Et inferi & superi. Quamdiu enim est cum matre Proserpina, apud superos; quamdiu cum Plutone, apud inferos regnare dicitur. Hoc ideò fingitur, quod Luna, quæ eadem est cum Proserpinâ, tanto tempore in cœlo lucère, quanto sub terra videtur latêre. 4 De hoc sic 4. Fast. *Et factura fuit, pactus nisi Jupiter esset, Bis tribus ut cœlo mensibus illa foret.* 5 Convertitur, mutatur, i. e. est vultu meliore, ut supra vers. 500. ad quem redi. 6 Figura. 7 Proserpinæ. 8 Ex dissolutis nebulis atque depulsis. Tunc enim *nubes* à *Sole* vinci dicuntur, cum resolvuntur atque expelluntur. 9 Exposcit. 10 Sine curâ, & læta. 11 Omnes fontes Nymphis sacri esse dicuntur. 12 Acharâ. 13 Sylvas, in quibus feræ saliunt. 14 Elegit aptas ad venandum sylvas, aut lustravit. 15 Tetendit retia: per quæ significat se venatricem fuisse. 16 Quamvis ego nunquam famam vel gloriam ex forma mea quærerem, & quamvis essem fortis. 17 Sc. *tamen*. 18 Delectabat. 19 Pulchritudinis, quâ aliæ Nymphæ gaudere solent, me pudebat, & alicui placere crimen ac flagitium esse putabam. 20 Redibam è sylva juxta Stymphalum, qui Arcadiæ in Peloponneso campus est, & urbs. [Callimachi interpres Græcus *Stymphalidas* boves, à *Stymphis* regione Epiri deducit. Στυμφαλίδες Ἠπειρωτικαί. Στύμφας γὰρ χωρίον τῆς Ἠπείρου. Stephanus autem Arcadiæ urbem *Stymphalum* nominat. Στύμφαλος πόλις Ἀρκαδίας, καὶ πεδίον ὁμώνυμον καὶ πηγή.] 21 Aquarum vertigine. 22 Claras usque ad imum. 23 Poterat numerari propter aquæ perspicuitatem. 24 Fluere.

Accessi; primumque pedis vestigia tinxi:
[25] Poplite deinde tenus. Neq; eo contenta, recin-
Molliaque impono salici velamina curvæ, [gor:
Nudaque mergor aquis. Quas dum ferioque, tra-
hôque,
[26] Mille modis [27] labens, [28] excussaq; brachia jacto;
Nescio quod medio sensi sub gurgite murmur:
Territaque insisto propioris margine ripæ.
Quò properas, Arethusa? suis [29] Alpheüs ab undis,
[30] Quò properas? iterum [31] rauco mihi dixerat o-
re.
Sicut eram fugio sine vestibus; [32] altera vestes
Ripa meas habuit. Tantò magis instat, & ardet;
Et quia nuda fui, sum visa [33] paratior illi.
Sic ego currebam; sic me ferus ille [34] premebat,
Ut [35] fugere accipitrem penna trepidante columbæ,
Ut solet accipiter trepidas agitare columbas.
Usque sub [36] Orchomenon, [36] Psophidaque, [37] Cyl-
lenenque [& [40] Elin
[38] Mænaliosque sinus, gelidumque [39] Erimanthon
Currere sustinui. Nec me velocior ille.
Sed tolerare diu cursus ego viribus impar
Non poteram: longi patiens erat ille laboris.
Per tamen & campos, per opertos arbore montes,
Saxa quoq; & rupes, & quà via nulla, cucurri.
[41] Sol erat à tergo: vidi præcedere longam
Ante pedes umbram; [42] nisi si timor illa [43] vide-
bat.
Sed certè sonituque pedum terrebat; & ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris. [inquam,
[44] Fessa labore fugæ, Fer opem, [45] deprendimur,
[46] Armigeræ, Dictynna, tuæ: cui sæpe dedisti
[47] Ferre tuos arcus, inclusaque tela pharetrâ.
Mota [48] Dea est; spissisq; ferens è nubibus unam
Me [49] super injecit. [50] Lustrat caligine tectam
Amnis; & [51] ignarus circum cava nubila quærit.
Bisque locum, quo me Dea texerat, inscius ambit:
Et bis, [52] Iö Arethusa, Iö Arethusa, vocavit.
Quid mihi tunc animi miseræ fuit? Anne quod ag-
næ est,
Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?

25 Usque ad genu. Synecdoche partis. 26 Variis modis. Numerus finitus pro infinito. 27 Natans. 28 Concussa, jactata. 29 Fluvius est Elidis. 30 Anaphora. 31 Rauca voce: quale murmur solet esse fluentium aquarum. 32 Caussa est, cur sine vestibus fugeret; in altera enim ripa fuerant relictæ. 33 Promtior ad vim patiendam. 34 Urgebat. 35 So. *solens*. His autem similitudinibus & Arethusæ fugientis & Alphei persequentis celeritas declaratur. 36 Arcadiæ urbes, non procul à Mantinea. 37 Arcadiæ mons, in quo natus Mercurius, inde dictus Cyllenius. 38 Mœnal. est Arcadiæ mons Pani sacer. 39 Est & hic Arcadiæ mons, & sylva. Item fluvius in Alpheum defluens. 40 Oppidum Arcadiæ. 41 Sol post terga erat, ideò antè me umbras jaciebat. 42 Nisi perterrita mihi eam umbram videre videbar.

43 Videre faciebat: timore enim oculi sæpe decipiuntur. 44 Defatigata fugiendi labore Dianam rogavi, ut mihi opitularetur. 45 Comprehendimur. *Deprehendi* enim propriè dicuntur, qui mali aliquid committentes inveniuntur. 46 Quæ tibi arma subministrat, gerit. [Diana *Dictynna* a *Dictæo* vel *Dicte* monte *Cretico*. Nomen autem sumsit à *Britomarti* unâ Nympharum, quæ Minöa fugiens, de monte *Dicte* seipsam in mare præcipitavit. Hist. narrat Callimachus Hymno in Dianam.] 47 Ferendos. 48 Diana. 49 Anastrophe. 50 Circumit: me nube coopertam Alpheus circumit. 51 Nescius ubi essem. 52 Anaphora.

Aut lepori, qui vepre [53] latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
Non tamen [54] abscedit: neque enim vestigia cernit
Longiùs ulla pedum. [55] Servat nubemque locumque.
Occupat obsessos [56] sudor mihi frigidus artus;
Cœruleæque cadunt toto de corpore guttæ.
Quaque pedem movi, manat lacus: èque capillis
Ros cadit: & citiùs, quàm nunc tibi, fata renarro,
In [57] laticem mutor. Sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas, [58] positoq; viri, quod sumserat, ore,
Vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas.
[59] Delia rumpit humum. [60] Cæcis ego mersa cavernis
Advehor Ortygiam: quæ me cognomine [61] Divæ
Grata mihi superas eduxit prima sub auras.

53 Occultus in spinis. 54 Alpheus. 55 Custodit, observat. 56 Sudor, qui ex nimio labore provenit, calidus esse solet: qui verò ex nimio timore, frigidus. 57 Aquas. 58 Deposita figura ac forma virili. 59 Diana, quæ unà cum Apolline in insula Delo nata est. 60 Occultis terræ foraminibus. 61 Dianæ. Nam & *Delia* & *Ortygia*, ab eadem insula, Diana cognominatur. [*Ortygia* autem hæc Insula dicitur à multitudine coturnicum: ὄρτυξ Græcis *coturnix*.]

Lyncus in lyncem. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Triptolemo Ceres currum draconibus junctum dedit, quo per terras vectus agriculturam frugumque usum mortales doceret. Per Europam Asiamque vectus, novissime delatus in Scythiam, à Lynco rege susceptus est hospitio: cui cùm exposuisset adventûs sui causam, invidiâ tanti honoris instinctus, dormientem ut interficeret aggressus est. Dea sui nuncii memor, quem divini honoris dignum habuerat, eum conservavit, Lyncum regem in Lyncem feram, ne Triptolemum occideret, convertens.

[1] HAc Arethusa tenus. Geminos [2] Dea fertilis angues
Curribus admovit; frænisq; coërcuit ora:
Et medium cœli terræque per aëra vecta est:
Atq; levem currum Tritonida misit in [3] arcem
[4] Triptolemo; partimque [5] rudi data semina jussit
Spargere humo, partim post tempora longa [6] recultæ.

1 Hactenus Arethusa fuit locuta. 2 Ceres fertilitatis Dea. Vide suprà v. 342. *Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.* 3 Athenas, à Pallade Tritonia nominatas, cui hæc urbs sacra. [Ita Maro, Eclogâ II. *Pallas quas condidit arces Ipsa colat.*] 4 Triptolemus à Cerere serendi artem edoctus, accepit ab ea currum quem alati dracones trahebant, quo vectus mox per maria, ac terras, mortalibus novæ hujus agriculturæ rationem impertivit. 5 Incultæ terræ. 6 Aratæ, vel novali agro, qui altero demum anno, aut etiam tertio recolitur.

Jam super Europen sublimis, & [7] Asida terras
Vectus erat [8] juvenis; [9] Scythicas advertitur oras.
Rex ibi Lyncus erat. Regis subit ille penates.
[10] Quà veniat, causamque viæ, nomenque rogatus,
Et patriam. Patria est claræ mihi, dixit, Athenæ;
Triptolemus nomen. Veni nec puppe per undas,
Nec pede per terras: patuit mihi [11] pervius æther.
[12] Dona fero Cereris; latos quæ sparsa per agros
Frugiferas messes, alimentaq; mitia reddant.
Barbarus invidit, tantique ut muneris auctor
Ipse sit; hospitio recipit: somnoque gravatum
Aggreditur [13] ferro. Conantem [14] figere pectus
[15] Lynca Ceres fecit: rursusq; per aëra misit
[16] Mopsopium juvenem sacros agitare [17] jugales.

7 Asiam: Græco vocabulo. 8 Triptolemus. 9 Ad Septentrionem *Scythæ* enim populi sunt ad Septentrionem. 10 Per quæ loca & quomodo. 11 Penetrabilis aër. 12 Frumentum. 13 Ense. 14 Transfigere. 15 Accusativus est Græcus. *Lynx* autem fera est maculosa Baccho dicata. 16 Triptolemum Atheniensem. Mopsopus, vel Mopsus olim regnavit Athenis. 17 Dracones eidem jugo subjectos.

Pïerides in picas. *Fab.* XII.

ARGUMENTUM.

Cùm Calliope huc usque varias transformationes, cecinisset, Nymphæ, quæ certamina dirimerent, Musas vicisse judicarunt. Pïerides verò victæ, Musisque protervè manus intentantes, in picas mutatæ sunt.

[1] Finierat dictos è nobis [2] maxima cantus:
At [3] Nymphæ vicisse [4] Deas Helicona colentes
[5] Concordi dixêre sono. Convicia [6] victæ
Cùm jacerent, Quoniam, [7] dixit, certamine vobis
Supplicium meruisse parum est, [8] maledictaque culpæ
Additis, [9] & non est patientia libera nobis;
[10] Ibimus in pœnas; &, quà vocat ira, sequemur.
Rident [11] Emathides [12] spernuntque minacia verba;
Conatæq; loqui, & magno clamore protervas
[13] Intentare manus, pennas exire per ungues
Aspexere suos, operiri brachia plumis:
Alteraque alterius rigido concrescere rostro

1 Pieris filiæ, Nympharum sententia, à Calliope, Musarum præstantissima, superatæ, cœperunt & Nymphas & Musas ipsas conviciis insectari: quam rem quidem ægrè ferentes Musæ, eas in picas converterunt, quæ ingenitam retinuisse videntur loquacitatem. [*Doctos* in *dictos* mutavit Heinsius eleganter. putidum enim esset Musam inducere sororiis laudibus indulgentem.] 2 Calliope, cui uni summam certaminis dederamus, ut Musa, quæ hic loquitur, dixit supra vers. 338. 3 Najades, quæ certamina dirimerent, ut narratur supra vers. 314. 4 Musas Heliconem habitantes. 5 Unâ omnium sententiâ. 6 Pieris filiæ. 7 Calliope. 8 Convitia, contumelias. 9 Quoniam has contumelias pati non possumus. 10 Vos pœnis ac suppliciis afficiemus. 11 [*Thessalicæ*, Emathia *Thessalia*. Vide supra ad vers. 313.] 12 Contemnunt. 13 In nos frequenter intendere, quod minantes facere solent.

Ora vident, volucresque novas [14] accedere silvis.
[15] Dumque volunt plangi ; per brachia mota levatæ,
Aëre pendebant, nemorum [16] convicia, picæ.
Nunc quoq; in alitibus [17] facundia prisca remansit,
Raucaq; garrulitas, [18] studiumq; immane loquendi.

14 Adjici, adjungi.
15 Et dum miserationem sortis suæ inducere volunt in aëre levatæ pendêre cœperunt. 16 [Opprobria, retrimenta.] 17 Loquacitas pristina. 18 Maxima cupiditas garrendi.

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER VI.

Certamen Palladis & Arachnes. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Arachne Lydia Idmonis filia, cujus mater Hypæpis urbe parvâ genita, studio lanificii famam quæsierat, cùm maternâ industriâ cunctas præcessisset in opere faciendo, gloriabunda insolentiùs quàm mortalem decuit, elocuta est. Nam Minervam à qua edocta fuerat, ad certamen provocavit. Quæ in anum versa, in hoc ad eam venit, ut audaciæ impetum compesceret. Quam cùm in certaminis proposito vidisset permanentem, reversa in suam speciem, opere proposito in certamen descendit, & singula, quæ sequuntur, inseruerunt telæ; prior Minerva, dehinc Arachne.

[1] PRæbuerat dictis [2] Tritonia talibus aurem:
Carminaque Aönidum, justamque [3] probaverat iram.
[4] Tum secum, [5] *Laudare parum est; laudemur & ipsæ:*
Numina nec sperni sine pœnâ nostra sinamus.

1 Certamina Musarum cum Pieridis filiabus cum Pallas audivisset, fortè ei in mentem venit, quâ pœnâ & ipsa Arachnen, Lydam puellam, quæ se Pallade ipsa lanificii peritiorem esse contendebat, affecerit. 2 A Tritone fluvio Bœotiæ, ubi primùm in virginali habitu apparuit. [*Tritonus* autem oppidulum Macedoniæ teste Stephano.] 3 Laudaverat. 4 Sc. *dixit*, aut *locuta est*. 5 Non satis est alias laudare, nisi & nos laudemur.

Mæoniæ

Mæoniæque animum fatis intendit [6] Arachnes:
Quam sibi [7] lanificæ non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa [8] loco, nec origine gentis
Clara, sed arte, fuit. Pater huic [9] Colophonius Idmon,
[10] Phocaïco bibulas tingebat murice lanas.
Occiderat mater: sed & hæc de plebe, suoque
[11] Æqua viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
[12] Quæsierat studio nomen memorabile: quamvis
Orta domo parvâ, parvis habitabat Hypæpis.
Hujus ut aspicerent opus admirabile, sæpe
Deseruere sui Nymphæ vineta [13] Tymoli:
Deseruere suas Nymphæ [14] Pactolides undas.
Nec factas solùm vestes spectare juvabat;
Tum quoque, cùm fierent, *Tantus decor affuit arti.*
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes:
Seu digitis subigebat opus; repetitaque [15] longo
Vellera [16] mollibat nebulas æquantia tractu;
Sive levi teretem [17] versabat pollice fusum;
Seu pingebat acu; [18] scires à Pallade doctam.
Quod tamen ipsa negat: [19] tantâq; [20] offensa magistrâ,
Certet, ait, mecum; [21] nihil est quod victa recusem.
[22] Pallas anum simulat: [23] falsósq; in tempora canos
Addit, & infirmos baculo quoque sustinet [24] artus.
Tum sic orsa loqui: *Non omnia [25] grandior ætas,*
Quæ fugiamus, habet. Seris venit usus ab annis.
Consilium ne sperne meum. Tibi fama petatur
Inter mortales [26] faciendæ maxima lanæ.
[27] Cede Deæ: veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga. Veniam dabit illa roganti.
Aspicit hanc [28] torvis, inceptaque fila relinquit,
Vixque manum [29] retinens, [30] confessaque vultibus iram,

6 *Arachne* Mæonia, vel Lydâ fuit puella, Idmonis filia, lanificii peritissima, quæ cùm se Palladi anteferret, eamque in certamen provocare ausa esset, ab ipsa quidem, in anum conversa, admonetur, ut ab incepto desistat, ac temeritatis suæ veniam à Deâ suppliciter petat. Cæterùm Arachne eâ admonitione insolentior facta, nullo pacto Minervæ cedere animum induxit. Quare Dea indignata, deposita vetulæ forma, & in certamen descendit, & Arachnen superatam in araneam commutavit: quæ pristinæ artis non immemor, tenuissimas telas nunquam contexere desistit. Hoc verò in describendo certamine Poëta multas exponit transformationes. Nam utraque telam, quam conficit, variis imaginibus distinguit: prior Minerva, dehinc Arachne. 7 Lanificii. 8 Sic *Cic. Loco* nobili & celebri. *Sall.* Natus haud obscuro *loco*. *Locus* enim sæpè accipitur pro natalibus, vel genere. *Locus* propriè dicitur, spatium corpus ambiens. 9 *Colophon* Lydiæ urbs est, Apollinis oraculo clara. 10 Phocaica purpura. Est enim *murex* piscis, ex cujus sanguine purpureus conficitur color. [Sic Persius, *Vitiato murice vellus.*] 11 Par, æqualis. 12 Lanificii industria & diligentia comparaverat. 13 Tmoli montis Lydiæ, vitibus consiti. 14 Pactoli, Lydiæ fluvii, arenis aureis clarissimi, filiæ. 15 Longa productione. Lanæ enim illæ sic protrahebantur, ut nebulæ videri possent. 16 Mollia reddebat. 17 Volvebat, i. filabat. *Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant.* Lib. 4. vers. 34. 18 Scire posses. 19 Quanta est Pallas. 20 Non agnoscens Palladem magistram. 21 Nulla est pœna, quam ego victa recusare velim. 22 Ab hastæ *quassatione* dicta, i. ut quidam volunt, vibratione, quòd sit bellicosa: πάλλειν enim apud Græcos significat *quatere*. 23 Simulatos. 24 Membra, quæ infirma esse fingebat. 25 Senectus. 26 [A faciendâ lanâ *lanificium* Heins.] 27 Ne contendas cum Dea Pallade. 28 Adde *oculis.* 29 A verberandâ Deâ. 30 Et præ se ferens ac ostendens indignationem vultûs mutationibus.

Talibus

Talibus [31] obſcuram reſecuta eſt Pallada dictis:
[32] Mentis inops, longâq; venis [33] confecta ſenectâ:
Et [34] nimium vixiſſe diu nocet. Audiat iſtas,
Si qua tibi nurus eſt, ſi qua eſt tibi filia, voces.
Conſilii ſatis eſt in me mihi: neve monendo
Profeciſſe putes: eadem ſententia nobis.
Cur non ipſa venit; cur hæc certamina vitat?
Tum Dea, Venit, ait; formamq; removit anilem;
[35] Palladaq; exhibuit. Venerantur numina Nymphæ,
[36] Mygdonideſque nurus. Sola eſt non territa [37] virgo.
Sed tamen erubuit; ſubituſque [38] invita notavit
Ora rubor: rurſuſque [39] evanuit. Ut ſolet aër
Purpureus fieri, cùm primùm [40] Aurora movetur;
Et breve poſt tempus [41] candeſcere ſolis ab ictu.
[42] Perſtat in incepto, [43] ſtolidæque cupidine [44] palmæ
[45] In ſua fata ruit. Neq; enim Jove [46] nata recuſat:
Nec monet ulteriùs: nec jam certamina differt.
Haud mora; conſtituunt diverſis partibus ambæ,
Et [47] gracili geminas [48] intendunt ſtamine telas.
[49] Tela jugo vincta eſt; ſtamen ſecernit arundo:
Inſeritur medium [50] radiis [51] ſubtemen acutis;
Quod digiti [52] expediunt, [53] atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt inſecti [54] pectine dentes.
[55] Utraque feſtinant, [56] cinctæque ad pectora veſtes
Brachia docta movent, [57] *Studio* [58] *fallente laborem.*
[59] Illic & Tyrium quæ purpura ſenſit aënum
Texitur, & tenues parvi diſcriminis umbræ:
[60] Qualis ab [61] imbre ſolet percuſſis [62] ſolibus [63] arcus
Inficere ingenti [64] longum curvamine cœlum;
In quo diverſi niteant cùm mille colores,

31 Diſſimulantem ſe, & alieno ſchemate latentem: *reſecuta*, autem pro *proſecuta* eſt ac reſpondit.
32 Stolida ac demens.
33 Exhauſta, evacuata omnibus & animi & corporis viribus. 34 Significat eam delirare.
35 Et oſtendit ſe Palladem eſſe.
36 E Phrygia enim multæ convenerant mulieres, ut Arachnes opera ſpectarent, quæ omnes, præter ſolam Arachnen, veneratæ ſunt Deam Palladem.
37 Arachne.
38 Ipſius Arachnes invitæ ora. 39 Subito abiit.
40 Aurora incipit oriri.
41 Candidus & albus eſſe incipit. 42 Perſeverat in incepta pertinacia, ut cum Pallade contendat.
43 Ipſa Arachne ſtolida.
44 Victoriæ.
45 Intellige hic *perniciem*, *ſortemque exitialem*. 46 Pallas. 47 Tenui, ſubtili. 48 Diriguntur, ordiuntur. 49 Mirandam utriuſque oſtendit celeritatem. Jugum autem dicitur lignum illud, quo textores telam convolvunt. Videtur Ovidius expreſſiſſe formam jugi, ſub quo ignominiæ gratia victi hoſtes mitti ſolebant. Quod fiebat haſtis defixis duabus in terra, tertiaque ad ſummum earum deligata, idque potiſſimum apud Romanos, quoties hoſtes, traditis armis, deditionem facerent; quod & Romani ipſi ad *Furcas Caudinas* à Samnitibus victoribus erant perpeſſi. 50 *Radius*, inſtrumentum eſt, quo textores ſubtemen inſerunt ſtamini. 51 Quod ſtamini inſeritur. 52 Aptant, accommodant. 53 Periphraſis eſt ſubteminis. Id enim dentibus pectinis inculcatur. 54 Inſtrumento textorio. [*Percutere*, *ferire* verba ſunt tectonica in arte textoriâ Heinſ.] 55 Et Pallas & Arachne. 56 Habentes ſubductas veſtes, quo magis promtæ eſſent. 57 Cupiditate. 58 Minuente. 59 Purpura Tyria nobiliſſima intexitur, ſeu purpurea fila. Nam *Tyrus* Phœniciæ urbs, ubi olim pretioſiſſima purpura fiebat. 60 Hac ſimilitudine oſtenditur, quam variis telæ illæ coloribus diſtinctæ eſſent. 61 Poſt imbrem, i. pluviam. 62 Solis radiis. 63 Iris. 64 Longam aëris partem. De Iride ſic etiam *Virg.* 5. *Æn.* *Illa viam celerans per mille coloribus arcum, Nulli viſa cito decurrit tramite Virgo.*

65 Tranſitus

65 Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.
66 Usque adeò quòd tangit idem est, tamen ultima distant.
Illic & 67 lentum filis immittitur aurum,
Et 68 vetus in tela 69 deducitur argumentum.

65 Unius coloris ad alium transitus oculos decipit: quia cùm sint diversi, iidem tamen esse videntur. 66 In tantùm is, qui alii conjungitur, color similis ei est, ut idem esse videatur, cùm tamen distet & differat. 67 Flexibile. 68 Antiqua fabula. 69 Effingitur. Propriè enim deduci fila dicuntur, cùm in longum protrahuntur.

Tela Minervæ, & Arachnes. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Minerva incipit. Itaque telæ suæ intexuit contentionem Athenis inter se Neptunumque habitam; qui lacu salso in arce edito suam processionem vendicabat: ipsa verò, oliva arbore à se inventa. Item Hæmum regem, reginamque, Rhodopen Threiciam, qui pari insania, & amore, conjugii Jovis & Junonis abusi erant nominibus, in montes transfiguratos. Item Pygmæam ab Junone in gruem versam. Item Antigonem Laomedontis filiam, quæ cum Jove coierat: quam ob admissum scelus Juno transfiguravit in ciconiam. Item Cinyræ regis Assyriorum filias ob insolentiam ab eadem Dea in graduum templi sui lapides mutatas; per quæ exempla frangi posset de Minervæ numine: finemque operi suo oliva arbore sua picta, imposuit.

1 Cecropiâ Pallas 2 scopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem.
3 Bis sex cœlestes medio Jove sedibus altis
4 Augustâ gravitate sedent. 5 Sua quemque Deorum
Inscribit facies. Jovis est regalis imago.
6 Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aspera saxa facit, medioque è vulnere saxi

1 Atheniensi arce, à *Cecrope*, Atticæ Rege primo; qui *Pelasgos* in Græciam traduxerat. 2 Areopagum, qui *Martis villa* dicitur: ἄρειος enim *Martius*, & πάγος villa dicitur, est Athenis promontorium, idcircò à *Marte* cognominatum, quod is Halirrhothium, Neptuni filium, eo in loco interfecit propter Alcippen ejus filiam. Telam autem Palladis primùm describit Poëta, in cujus initio & Areopagus erat depictus, & Dii judices erant effecti, qui sententiis deciderent, utrùm Pallas an Neptunus urbi illic conditæ nomen imponere deberet. De hoc enim contendebatur. Dii autem sic statuerunt, ut, qui rem humano generi commodiorem invenisset, is urbi nomen imponeret. Cùm igitur Neptunus tridente percussisset terram, equus exilivit. Pallas verò hastæ cuspide terra percussa, olivam in lucem eduxit, quæ mortalibus commodior judicata, Palladem victricem effecit. 3 Majores Dii gentium. 4 Sacra majestate. *Augustum* enim dicitur augurio consecratum. 5 Unusquisque Deorum propria effingitur figura. 6 Neptunum stantem pingit.

Exsiluisse

Exsiluisse [7] ferum; quo pignore [8] vindicet urbem.
[9] At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam:
Dat galeam capiti: defenditur [10] ægide pectus.
Percussamque suâ simulat de cuspide terram
[11] Prodere cum [12] baccis fœtum [13] canentis olivæ,
Mirarique Deos: [14] *Operi victoria finis.*
Ut [15] tamen exemplis intelligat æmula laudis, [sis;
[16] Quod pretium [17] speret pro tam [18] furialibus au-
Quattuor in partes certamina quattuor addit
Clara colore suo, [19] brevibus distincta sigillis.
Threïciam Rhodopen habet angulus unus, & Hæmon;
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam;
Nomina summorum sibi qui tribuere [20] Deorum.
[21] Altera [22] Pygmææ [23] fatum miserabile matris
Pars habet. Hanc Juno victam certamine jussit
Esse gruem; [24] populisque suis indicere bellum.
Pingit & Antigonen ausam contendere quondam
Cum magni consorte Jovis; quam regia Juno
In volucrem vertit: nec profuit Ilion illi,
Laomedonve pater, sumtis quin candida pennis
Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro. [bum:
Qui superest solus [25] Cinyran habet angulus [26] or-
Isque gradus templi natarum membra suarum
Amplectens, saxoque [27] jacens, lacrymare videtur.
Circuit extremas oleis [28] pacalibus oras.
Is [29] modus est; operiq; suâ facit [30] arbore finem.

7 Equum: ita Virgilius--*Hastam In latus inque* feri *curvam compagibus alvum Contorsit.*] 8 Suam ac propriam esse affirmet. 9 Pallas ita se ipsam in tela effingit, ut & clypeo, & ægide, & hasta & galea armata esse videatur. 10 *Ægis* munimentum est pectoris Minervæ cum capite Medusæ, quo in bello potissimum utitur. 11 Emittere. 12 *Baccæ* proprie dicuntur fructus olivæ. 13 Quæ cana & subalba videtur. 14 In fine telæ victoriam suam Pallas effinxit. 15 Quamvis victoria Palladis operi finem imposuerit, adjecit tamen in quatuor telæ angulis exempla quorundam in Deos impiorum, ex quibus facilè cognoscere posset Arachne, quam pœnam & ipsa expectare deberet. 16 Quam pœnam. 17 Exspectare debeat. 18 Pro tam furiosa temeritate. 19 Parvis signis. 20 Jovis & Junonis. 21 In secundo telæ angulo depicta erat mutatio Pygmææ mulieris in gruem, quòd se, ut pulchriorem, Junoni præferre ausa esset. 22 Pygmææ mulieris. *Pygmæi* enim sunt populi, montana Indiæ incolentes, quorum longissimi pedes duos non excedunt. Hi assiduum cum gruibus bellum gerere dicuntur. 23 Sortem miserabilem. 24 Pygmæis, à quibus ipsa originem ducebat. 25 *Cinyras*, Assyriorum rex, filias habuit pulcherrimas, quæ se Junoni præferre ausæ fuerunt: quare indignata Juno eas in gradus templi sui commutavit, ac patrem, gradus ipsos pro filiarum corporibus amplectentem, itidem in saxum commutavit. 26 Liberis privatum. 27 Adhærens. 28 Paciferis ac pacem significantibus. 29 Finis. 30 Olivâ.

Picta in tela Arachnes. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Arachne autem ut videretur per opera respondisse, sequentia telæ intexuit: Jovem in taurum versum ob Europæ amorem. Item in aquilam, ut comprimeret Asterien. Item in olorem, ut Ledam Thestii filiam comprimeret. Item in Satyrum, ut Nyctei filiam comprimeret. Item in Amphi-

Amphytriona, ut Alcmenam Electryonis filiam comprimeret. Item in aurum, ut Danaën Acrisii filiam comprimeret: in ignem, ut Asopidam. Duo sensus isti ultimi uno in versu continentur. Item in pastorem, ut Mnemosynen comprimeret: in serpentem, ut Deoïdam. Et hi duo sensus in unum versum veniunt. Neptuni præterea cupiditates inseruit: ita ut doceret eum in juvencum esse mutatum, ut Æoli filiam Arnen, aut, ut alii volunt, Menalippen, stupraret: in Enipeum, ut Iphimediam, ex qua nati Aloidæ: in arietem, ut Bisaltidem comprimeret. Hi tres sensus in tribus versibus. Item in equum, ut Cererem: in equum volucrem, ut Gorgonem Medusam, ex qua equus Pegasus proditur natus: in delphinum, ut Deucalionis filiam Melantho. Hi sensus continentur in tribus versibus. Apollinis præterea in eadem tela amoris furta intexuit: indicans eum in accipitrem, interdum in leonem fuisse conversum. In pastorem quoque, ut Issen Macarei filiam comprimeret. Item Liberum patrem in uvam, ut Erigonen comprimeret. Item Saturnum in equum, ut Phillyram Oceani filiam, ex qua Chirona Centaurum dicitur procreasse, comprimeret.

[1] MÆonis elusam designat imagine tauri
Europen: verum taurum, freta vera putares.
Ipsa videbatur terras spectare relictas,
Et comites clamare suas, tactumque vereri
Assilientis aquæ; [2] timidasque reducere, plantas.
Fecit & [3] Asterien aquila luctante teneri:
[4] Fecit [5] olorinis Ledan recubare sub alis:
[6] Addidit, ut Satyri celatus imagine pulchram
Jupiter implerit gemino Nycteïda fœtu:
[7] Amphitryon fuerit, cùm te [8] Tirynthia cepit.
[9] Aureus ut Danaën, [10] Asopida luserit igneus;
[11] Mnemosynen pastor: varius [12] Deoïda serpens.

1 Arachne Mœonia sive Lyda. Fabulas in Arachnes telâ depictas narrat Poëta. 2 Europa tim da videbatur retrahere pedes ab aquæ tactu. [*Reducere* identidem idem valet ac *adducere* & *retrahere*; ita noster lib. XII. *---Clypeoque adversa* reducto *Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat.*] 3 Addidit & Asterien, in coturnicem mutatam, & à Jove aquilæ forma induto, raptam. 4 Jupiter Ledæ amore captus, in cygnum mutatus, eâ potitus est, quæ ovum dicitur peperisse, ex quo Castor, Pollux & Helena orti esse finguntur. 5 Cygnæis. 6 Jupiter in Satyrum conversus, Antiopam, Nyctei filiam, compressit, quæ geminos Amphionem & Zethum peperisse fingitur. 7 Jupiter Alcmenæ amore captus, in Amphitryonem illius maritum conversus, cum eâ concubuit. Herculemque ex eo concubitu suscepit. 8 Dicitur Alcmena Tirynthia ab urbe Tiryntha Argis vicina, in qua educatus Hercules Tirynthius quoque appellatur. 9 Danaë, Acrisii Argivorum regis filia, à Jove, in aureas guttas mutato, compressa Perseum genuit, ut audivimus Lib. 4. 10 Æginam Asopi filiam: nam Jupiter, in ignem conversus, Æginam, Asopi fluvii filiam, compressit, & ex eâ Æacum suscepit. 11 Nam pastoris habitu Mnemosynem compressisse ajunt, atque indè novem Musas genuisse.

[12] Te quoq; mutatum torvo, Neptune, juvenco
[13] Virgine in Æolia posuit. Tu visus [14] Enipeus
Gignis Aloïdas; [15] aries Bisaltida fallis.
Et te, flava comas, frugum [16] mitissima mater
Sensit equum: te sensit avem [17] crinita colubris
[18] Mater equi volucris: sensit Delphina [19] Melantho.
Omnibus his faciemque suam, faciemque locorum
Reddidit. Est illic [20] agrestis imagine Phœbus.
[21] Utque modò accipitris pennas, modò terga leonis
Gesserit: ut pastor [22] Macareïda luserit Issen.
[23] Liber ut Erigonen falsa deceperit uvâ:
Ut Saturnus equo [24] geminum Chirona [25] creârit.
Ultima pars telæ, [26] tenui circumdata [27] limbo
Nexilibus flores hederis habet intertextos.

12 Hanc Proserpinam volunt. 13 Neptunus in juvencam versus compressit Arnen Æoli filiam. Apostrophe ad Neptunum. 14 Mutatus in fluvium Enipeum genuit Othum & Ephialtem ex Iphimedia Aloei uxore. De Enipeo vide infrà. Lib. 7. v. 3. 15 In arietem mutatus compressit Theophanem Bisaltidis filiam. 16 Ceres. 17 Pro crinibus colubros ac serpentes habens. 18 Et Medusa mater equi alati Pegasi (Vide supra Lib. 4. v. 786.) à te in avem mutato, compressa est. Anaphora. 19 *Melantho* Deucalionis filia fuit, quam Neptunus, in Delphinum conversus, cognovit, ac filium, nomine Delphum, suscepit. 20 Apollo, divinitate privatus propter interfectos Cyclopas, Admeti regis Thessaliæ, armenta pavit. 21 Apollo interdum in accipitrem, interdum in leonem se commutasse in Arachnes tela videbatur. 22 Issen Macarei filiam, quam Apollo in pastorali habitu vitiavit. 23 Bacchus in uvam versus. 24 Qui ab anteriore parte homo, à posteriore equus videbatur. 25 Nempe ex Philyra. 26 Subtili fascia. Est enim *limbus* fascia ultimam vestis partem ambiens. *Virg. Sidoniam picto Chlamydem circumdata limbo.*

Arachne in araneam. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Arachne, orditâ telâ, à Minerva cum contumelia percussa suspendio se affecit. Sed in ultimo càsu, propter studium quod à Dea acceperat, in araneam versa est, ut opere inutili nullum sui effectum capere posset. Plura verò opera Arachnes Poëta retulit fuisse quàm Minervæ, ut hanc scientiâ artis, quæ potior est, illam labore contendisse, demonstraret.

NOn [1] illud Pallas, non illud carpere Livor
Possit opus. Doluit successu [2] flava virago:
Et rupit pictas cœlestia crimina vestes.
Utque [3] Cytoriaco radium de monte tenebat;
[4] Ter quater [5] Idmoniæ frontem percussit Arachnes.
Non tulit infelix: laqueoque [6] animosa ligavit
Guttura. Pendentem Pallas miserata levavit;

1 Arachne perfecta tela, cum Minerva irata eam percussisset, suspendio se affecit. Sed in ultimo casu, propter studium, quod à Deà acceperat, in araneam versa est. 2 Pallas formosa. 3 Radium buxeum. Videsis Lib. 4. vers. 310. 4 Sæpius. 5 Vide supra. *Pater huic Colophonius Idmon.* 6 Superba.

Atq;

Atq; ita, Vive quidem, pende tamen, improba, dixit:
[7] Lexque eadem pœnæ, nè sis secura futuri,
[8] Dicta tuo generi, serisque nepotibus esto.
Postea discedens succis [9] Hecateïdos herbæ
Spargit. Et extemplo [10] tristi medicamine tactæ
Defluxêre comæ: cumque his & naris & auris.
Fitq; caput minimum toto quoq; corpore parvæ.
In latere [11] exiles digiti pro cruribus hærent.
Cætera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamen; & [12] antiquas exercet aranea telas.

7 Ex eadem pœna etiam posteri tui afficiantur. 8 Statuta sit. 9 Herbæ venenosæ inventæ ab Hecate Persæ filia: alii aconitum, alii cicutam volunt. 10 Noxio. 11 Tenues. 12 Et pristinas conficit telas, quæ quidem & ipsæ araneæ dicuntur. *Araneus* vero masc. gen. semper de animalibus dicitur.

Niobe in marmor. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Niobe Tantali filia Sipylo urbe Lydiæ orta, ob insolentiam Apollinis ac Dianæ numen experta est. Nam ex Amphione septem filiis totidemque virginibus editis, dum comitata gauderet, & quodam tempore Manto Tiresiæ filia responso monuisset Thebanos, ut Latonæ & liberis ejus per preces tura redderent, sola exstitit, quæ sacrificio interesse noluerit, prædicans se potentiorem esse numine Deæ, ac liberis ejus. Itaque oratione instructa Latona, questa cum filiis, quòd suarum injuriarum ultores non essent. Apollo igitur & Diana tecti nubibus, ut præceperat genitrix, Thebas venerunt: ac Niobes filios, cùm in campo equis exercerentur, sagittis necaverunt. Quorum nomina hæc sunt: Ismenus, Sipylus, Phædimus, Tantalus, Alphenor, Damasichthon, Ilioneus. Pater Amphion post necem filiorum ferro se interfecit. Nec minor violentia desiit esse Niobes: quod Diana indignè tulit. Nam virgines pari calamitate affecit. Vita novissimè Niobe flens decessit; turbineque ventorum in patriam Sipylum delata est, cessitque in silicem, voluntate Apollinis & Dianæ.

Lydia tota fremit, Phrygiæque per oppida facti
Rumor it, & magnum sermonibus occupat orbem.
[1] Ante suos Niobe thalamos cognoverat illam.
Tum cùm [2] Mæoniam virgo [3] Sipylumque colebat.

1 Niobe cognoverat hanc Arachnen ante nuptias suas cum Amphione Thebarum rege. 2 Lydiam. 3 Oppidum Lydiæ.

Nec tamen admonita est pœnâ popularis Arachnes
Cedere cælitibus, verbisque [4] minoribus uti.
[5] Multa dabant animos. Sed enim nec [6] conjugis artes,
Nec genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuere illi (quamvis ea cuncta placebant)
Ut sua progenies: & felicissima matrum
Dicta foret Niobe; si non sibi visa fuisset.
Nam sata Tiresia venturi præscia [7] Manto
Per medias fuerat, divino concita motu,
Vaticinata vias: [8] Ismenides, ite frequentes:
Et [9] date Latonæ, [10] Latonigenisque duobus,
Cum prece thura pia, [11] lauroq; innectite crinem.
[12] Ore meo Latona jubet. Paretur: & omnes
[13] Thebaides jussis sua tempora frondibus ornant.
Thuraq; dant sanctis, & verba precantia, flammis.
Ecce venit comitum Niobe celeberrima turbâ,
Vestibus intexto Phrygiis [14] spectabilis auro:
Et, quantum ira sinit, formosa: movensq; decoro
Cum capite immissos humerum per utrumque capillos,
Constitit: utque oculos circumtulit [15] alta [16] superbos;
Quis furor [17] auditos, inquit, [18] præponere visis
Cælestes? aut cur colitur Latona per aras;
Numen adhuc sine [19] thure meum est? Mihi Tantalus [20] auctor;
[21] Cui licuit soli superorum tangere mensas;
[22] Pleiadum soror est genitrix mihi: maximus Atlas
Est avus, [23] ætherium qui fert cervicibus axem:
Jupiter [24] alter avus. [25] Socero quoq; glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiæ: me regia Cadmi
Sub dominâ est: [26] fidibusq; mei [27] commissa mariti
Mœnia cum populis à meq; viroq; reguntur.
In quamcunque domûs [28] adverto lumina partem,
Immensæ spectantur opes. [29] Accedit eodem
Digna Deâ facies. Huc natas adjice septem,
Et totidem juvenes; & [30] mox generosque nurusque.
Quærite nunc, habeat quam nostra superbia causam:

4 Humanioribus, moderatioribus.
5 Multa eam superbam faciebant.
6 [*Artes* heic non *arces* reposuit Heinsius. Et intellexit artes lyræ Amphioniæ, per quas muri Thebani sunt exstructi.]
7 Filia fuit Tiresiæ vatis, paternæ artis peritissimi, à quâ *Mantua* urbs fuit appellata.
8 Sic Appellantur Thebanæ mulieres ab Ismeno Bœotiæ fluvio.
9 Sacrificate.
10 Et Apollini & Dianæ. [Thuris Epitheton proprium *pium*; ita Martialis, *da pia thura Jovi*. In editione viri magni *pia* sexto casu, jungitur cum *prece*: minus rectè]
11 Et caput lauro coronate.
12 Latona loquitur ore meo, & hoc vobis mandat.
13 Thebanæ mulieres.
14 Spectatu digna.
15 Elata.
16 Superba Niobe oculos altos circumtulit. Eleganter.
17 Auditos Deos.
18 Præferre Diis. quos quotidiè videtis, n. mihi, & conjugi. 19 Cultu, sacrificio. 20 Pater. Niobe enim Tantali filia fuit. 21 Cui ex hominibus, soli concessum fuit epulis Deorum accumbere. 22 Niobes mater Taygeta fuit, una ex Pleiadibus, Atlantis filiabus. 23 De Atlante, vide supra Lib. 4. vers. 628, &c. 24 Paternus: nam Tantalus Jovis fuit filius ex Plote. 25 Amphion enim filius fuit Jovis ex Antiopâ. 26 Amphion tantùm musica valuisse narratur, & cithara, ut saxa illum sequerentur: quibus omnium primus Thebas unà cum Zetho fratre munivit. 27 Composita, constructa. 28 Converto. 29 Ad idem adjungitur. 30 Brevi hinc expectandos.

Nescio

Nescio quoque audete satam Titanida Cæo
Latonam præferre mihi; cui maxima quondam
Exiguam sedem pariture terra negavit,
[33] Ne cœlo, nec humo, nec aquis [34] Dea vestra recepta est.
[35] Exsul erat mundo; donec miserata vagantem,
Hospita tu terris erras, Ego, dixit, in undis,
[36] Instabilemque locum Delos dedit. Illa duobus
Facta parens: uteri pars est hæc septima nostri.
Sum felix. Quis enim neget hoc? felixq; manebo.
Hoc quoque quis dubitet? *Tutam me copia fecit.*
Major sum, quàm cui possit fortuna nocere.
Multaque ut eripiat; multò mihi plura relinquet.
Excessere metum mea jam bona. Fingite demi
Huic aliquid populo natorum posse meorum;
Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum,
Latonæ. [37] Turbâ quo quantum distat ab [38] orbâ?
Ite sacris, properate sacris; laurumq; capillis
Ponite. Deponunt; [39] infectaq; sacra relinquunt:
[40] Quodq; licet, tacito venerantur murmure numen.
Indignata Dea est: [41] summoque in vertice [42] Cynthi,
Talibus est dictis gemina cum prole locuta:
[43] En Ego vestra parens, vobis [44] animosa creatis,
Et nisi Junoni, nulli cessura Dearum,
An Dea sim; dubitor: perq; omnia secula [45] cultis
Arceor, ô nati, nisi vos succurritis, [45] aris.
Nec dolor hic solus: diro convicia facto
[46] Tantalis adjecit: vosque est postponere natis
Ausa suis: & me (quod in ipsam recidat) [47] orbam,
Dixit; & exhibuit linguam scelerata [48] paternam.
[49] Adjectura preces erat his Latona relatis:
Desine, Phœbus ait, [50] (pœnæ mora longa) querelas.
Dixit idem [51] Phœbe, celerique per aëra lapsu

31 Latona fi:ia fuit Cæi gigantis, quæ à Jove compressa, Apollinem simul & Dianam concepit. [Hic versus antea mendosissimus ita legebatur. *Quoque modo audetis genitam Titanida Cæo.* Ordo hic, & audetis præferre Latonam genitam Cæo nescio quo. *Quo* hic, cui *que* jungitur, est pronomen sexto casu]
32 Neptem Titanum, à quibus gigantes originem traxerunt.
33 Nunquam Latona locum invenit, ubi parere posset. Juno enim omnes terras jurejurando obstrinxerat, ne Latonæ parturienti locum præberent.
34 Cum quodam contemptu hæc à Niobe dicuntur.
35 A toto exulabat mundo.
36 Quia Delos crebris terræmoribus quatiebatur, aut quod hæc insula, quæ in tempus sub aquis latuerat, ut ajunt, tum primum jussu Neptuni emersit, quo Latona parturiens locum haberet. Vocatur infra Delos erratica, vers. 332.
37 [Quàm inepte jactari potest Latona, quæ duos liberos tantùm habet. *Quo* numero, quod proximè præcessit. *Turba* ironicè dicitur.] 38 *Orbi* dicuntur qui re aliquâ charâ privantur. 39 Non facta, non finita. 40 Et quod possunt, etiam Niobe prohibente. 41 In alto cacumine. 42 Montis Deli, unde & Apollo *Cynthius*, & Diana *Cynthia* vocantur. 43 Hac oratione Latona Apollinem simul & Dianam incendit ad ulciscendam injuriam à Niobe accept.m. 44 Magnanima, ac superba. 45 Exornatis altaribus, 46 Tantali filia, sc. Niobe. 47 Vocavit carentem filiis. Hoc autem Niobe non dixit, sed duos tantum illam liberos peperisse: quod ægerrimè Latona tulerat: & ideò crimen amplificat. 48 Patris Tantali ob garrulitatem puniti, cum Deorum epulis adhibitus eorum arcana vulgasset. 49 Cùm hæc Latona retulisset, preces adjectura erat. 50 Pœna in longum protrahitur justis querimoniis. 51 Diana, quæ eadem esse cum Luna dici

Contigerant tecti [52] Cadmeïda nubibus arcem.
[53] Planus erat latèque patens prope mœnia campus,
[54] Assiduis pulsatus equis; ubi turba rotarum,
Duraque [55] mollierant subjectas ungula glebas.
Pars ibi de septemgenitis Amphione fortes
Conscendunt in equos, [56] Tyrioque rubentia fuco
Terga premunt; auroque graves moderantur habenas.
E quibus [57] Ismenos, qui matri [58] sarcina quondam
Prima suæ fuerat, dum certum flectit in orbem
[59] Quadrupedes cursus, spumantiaque ora coërcet;
Hei mihi! conclamat; medioq; in pectore fixus
Tela gerit, frenisque manu moriente remissis
In latus à dextro paulatim [60] defluit [61] armo.
Proximus, audito sonitu [62] per inane [63] pharetræ,
[64] Fræna dabat [65] Sipylus: veluti cùm [66] præscius imbris
Nube fugit visa, pendentiaque undique rector
Carbasa deducit nè qua levis effluat aura.
Fræna dabat. Dantem non evitabile telum
Consequitur: [67] summaque tremens cervice sagitta
Hæsit; & [68] exstabat nudum de gutture ferrum.
Ille, ut erat pronus, per colla admissa jubasque
Volvitur; & calido tellurem sanguine fœdat.
Phædimus infelix, & aviti nominis hæres
Tantalus, ut solito finem imposuere labori,
Transierant ad opus [70] nitidæ juvenile palæstræ:
Et jam [71] contulerant [72] arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus; cùm tento [73] concita nervo,
Sicut erant juncti, [74] trajecit utrumq; sagitta.
Ingemuere simul; simul incurvata dolore
Membra solo posuere; simul suprema jacentes
Lumina [75] versârunt; animam simul [76] exhalârunt.
Aspicit Alphenor, laniataque pectora [77] plangens
Advolat, ut gelidos complexibus [78] allevet artus:
Inque pio cadit officio. Nam Delius illi
Intima [79] fatifero rumpit [80] præcordia [81] ferro.
Quod simul eductum, pars est pulmonis in [82] hamis

52 Thebanam arcem à Cadmo exstructam, vel ipsas Thebas. 53 Describit locum, in quo Niobes filii & equos agitare, & se exercêre consueverant. 54 Assiduo equorum cursu. 55 In pulverem resolverat. 56 Purpura Tyria: significat autem ephippia purpurea fuisse. 57 Ab *Ismeno*, Bœotiæ fluvio, sic appellatus. 58 Primum uteri onus. Nam primogenitus erat. [*Sarcina* propriè id genus oneris dicitur quod quisque secum portat. Ita Juvenalis de Othone, *Res memoranda novis annalibus atque recenti Historiâ, speculum civilis sarcina belli.*] 59 Equi. 60 Decidit. 61 Equi. 62 Per aërem. 63 Sagittæ. 64 Equum currere permittebat, & sic fugere cœpit. 65 Est hoc unius ex filiis nomen. De Sipylo Mœoniæ urbe vide infra vers. 312.

66 Præcognoscens futuram tempestatem. 67 In colli summitate. 68 Eminebat, extra stabat: quo significat collum sagitta fuisse transfixum. 70 [Palæstritæ *nitidi* vocantur, quoniam oleo peruncti in arenam descendebant, inde *palæstra nitida.*] *Palæstra* autem Latinè dicitur lucta: dictam volunt ἀπὸ τῆς πάλης, i. à *pulvere*, quo luctatorum corpora perfundebantur. 71 Luctari cœperant. 72 Stricto amplexu. 73 Sagitta emissa, impulsa. 74 Transfixit. 75 Volverunt oculos, ut solent morientes. 76 Exspiraverunt. Nota spondæum in quinto pede, quo artificiosè morientis gemitus exprimitur. 77 Lanians & percutiens pectora sua ob mortem fratrum. 78 Extollat. 79 Mortifero 80 Intestina, quæ cordi prætenduntur. 81 Spiculo. 82 Unà cum telo hamato.

Eruta;

Eruta: cumque anima cruor est effusus in auras.
At non [83] intonsum simplex Damasichthona vulnus
[84] Afficit. Ictus erat, qua [85] crus esse incipit, & qua
Mollia nervosus facit [87] internodia [88] poples.
Dumque manu [89] tentat [90] trahere [91] exitiabile telum,
Altera per jugulum [92] pennis tenus acta sagitta est.
Expulit hanc sanguis: seq; ejaculatus in altum
Emicat, & longè terebratâ prosilit [93] aurâ.
Ultimus Ilioneus non profectura precando
Brachia sustulerat: Diq; ô [94] communiter omnes,
Dixerat; [95] (ignarus non omnes esse rogandos)
Parcite. Motus [96] erat, cùm jam revocabile telum
Non fuit, Arcitenens. Minimo tamen occidit ille
Vulnere; non alta percusso corde sagittâ.

Fama mali, populique dolor, lacrymæque suorum
Tam subitæ matrem certam [97] fecere ruinæ,
[98] Mirantem potuisse; irascentemq; quòd ausi
Hoc essent superi, quòd tantum [99] juris haberent.
Nam pater Amphion, ferro per pectus [100] adacto,
Finierat moriens pariter cum [101] luce dolorem.
[102] Heu Quantum hæc Niobe Niobe [103] distabat ab illa;
Quæ modo [104] Latoïs populum submoverat aris,
Et [105] mediam tulerat gressus resupina per urbem,
[106] Invidiosa suis: at nunc miseranda vel [107] hosti!
Corporibus [108] gelidis incumbit: & ordine nullo
Oscula dispensat natos suprema per omnes.
A quibus ad cœlum [109] liventia brachia tendens;
Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore;
Pascere, ait; satiâque meo tua pectora luctu:
[Corque [110] ferum satia, dixit per funera septem]
[111] Efferor: exulta; [112] victrixq; inimica triumpha.
Cur autem victrix? Miseræ mihi plura supersunt,
Quàm tibi felici. Post tot quoq; funera vinco.
Dixerat: in sonuit contento nervus ab arcu;
Qui, præter Nioben unam, conterruit omnes.

83 [*Minellius* heic posuit *ergo crinitum* ut eo melius explicaret *non intonsum*; argutè mehercules & doctè. Ovidius autem *adultum* designavit Damasichthona ac si diceret *non impuberem*. *Impuber* seu *intonsus* Græcis ἀκερσεκόμης. Bacchus & Apollo qui impuberes à multis antiquitus colebantur hoc titulo frequenter erant insigniti. Ita noster Lib. xv. *indetonsusque Thyoneus*. de Baccho.]
84 Conficit, interficit.
85 Significat genu illius fuisse percussum. Nam à genu crus incipit, & protenditur à genu usque ad talos, ex tibia & sura constans.

87 Spatia inter duos nodos sita.
88 Posterior genu pars est.
89 Conatur.
90 Extrahere.
91 Pestiferum, exitiale.
92 Usque ad pennas.
93 Aëre.
94 Ac si cum Plauto diceret, *O Dii omnes superi, inferi, & medioxumi*.

95 Sola enim Latona cum Apolline & Diana placanda erat. 96 Apollo precibus Ilionei, ultimi Niobes filii, motus erat; verùm jam sagittam miserat irrevocabilem. 97 Admonuerunt, certiorem fecerunt. 98 Sc. *Deos tot filios suos interficere*. 99 Potestatis. 100 Impulso gladio. 101 Vitâ. 102 Epiphonema. 103 Differebat. 104 A Latonæ altaribus. 105 Confer cum vers. super. 168, & 169. 106 In se invidiam concitans. 107 Etiam inimicis, non solum amicis. 108 Mortuis. 109 Ex nimio planctu. 110 Crudele. 111 Ad sepulturam ferot. Videbatur enim [illegible] Niobe unà cum filiis septies quasi efferri. 112 Voti compos.

Illa malo est audax. Stabant cum vestibus [113] atris
Ante [114] toros fratrum [115] demisso crine sorores.
E quibus una, trahens hærentia [116] viscere tela,
[117] Imposito fratri moribunda relanguit ore.
Altera, solari miseram conata parentem,
Conticuit subito; duplicataq; vulnere [118] cæco est.
[[119] Oraque non pressit, nisi [120] postquam* spiritus exit.]
Hæc frustra fugiens collabitur; illa [121] sorori
Immoritur: latet hæc; illam trepidare videres.
Sexque [122] datis leto, diversaque vulnera passis,
Ultima restabat: quam toto corpore mater,
Tota veste legens, Unam, [123] minimamque relinque;
De multis minimam posco, clamavit, & unam.
Dumque rogat; pro quâ rogat, [124] occidit. Orba resedit
[125] Exanimes inter natos, natasq; virumq;
Diriguitque [126] malis. [127] Nullos movet aura capillos.
In vultu color est sine sanguine: lumina mœstis
Stant immota [128] genis: nihil est in imagine vivi.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
[129] Congelat, & venæ [130] desistunt posse moveri.
Nec flecti [131] cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest. [132] Intra quoque viscera saxum est.
[133] Flet tamen, & validi circumdata [134] turbine venti
In [135] patriam rapta est. Ibi fixa cacumine montis
[136] Liquitur, & [137] lacrymas etiamnum marmora manant.

113 [Luctui accommodatis. *Atrati* enim *incedebant*, qui proximos defunctos lugebant.] 114 Lectulos, in quibus erant ad funus compositi ut efferrentur. 115 Dissolutis capillis, ut fieri in luctu solet. 116 In visceribus. 117 Undè patet, eam, inter osculandum fratrem, periisse. 118 Occulto, quod non apparebat. 119 Et os clausit. 120 Nisi dùm spiritum emittebat; tunc enim os non compresserat, sed apertum tenebat. 121 Sc. *inhærens*. 122 Interfectis. 123 Supple *natu*. 124 Mortua est ea, pro quâ rogat. 125 Mortuos filios, & filias, & maritum Amphionem. 126 Infortuniis ac liberorum acerbissima morte. 127 Jam enim in saxum fuerat commutata. 128 Genæ & mœroris & lætitiæ sunt indices. 129 Frigida & dura fit. 130 Desinunt posse palpitare: carebant enim pulsu. 131 Collum. Synecdoche: est enim *cervix* pars colli posterior. [*Gestus* postea eleganter ponitur; is enim proprius, manuum motus. Hinc *Gesticulatio*.] 132 Etiam intestina saxea fuerunt effecta. 133 Quamvis Niobe in saxum fuerit mutata, flere tamen videtur. 134 Impetu vehementis venti. Est enim turbo ventus cum fragore violentus, proxima quæque prosternens. 135 Sipylum, Mæoniæ caput, quod ante Tantalis vocabatur. Vide sis supra vers. 149. 136 Liquescit. 137 Emittunt lachrymas. [*Manare stillare, rorare* & similia verba nunc cum quarto, nunc cum sexto casu junguntur; Seneca de Niobe,

Stat nunc Sipyli vertice summo
Flebile saxum, & adhuc lacrymas
Mœsta æternum marmora manant

qui proculdubio hunc locum respexit. *Heins.*]

Rustici in ranas *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Latona Cœi filia cùm Junonis irâ ob adulterium ex Jove conceptos Apollinem & Dianam parere non posset, & nulla eam errantem regio reciperet: novissimè venit in Lyciam, & cùm ex ardore æstûs, ac longitudine viæ sitim sedare vellet, ab iis qui ulvam & juncum secundùm lacum legebant, prohibita est propius accedere. Quamobrem accensa ira digrediens petit à Deis, ut accolæ nunquam stagno carerent. Auditis itaque precibus ejus, Jupiter agricolas in speciem ranarum transfiguravit.

[1] TUm verò cuncti manifestam numinis iram
Fœmina virque timent: cultuque impensius omnes
Magna gemelliparæ venerantur numina [2] Divæ.
[3] Utque fit, à facto propiore priora [4] renarrant.
E quibus unus ait: [5] Lyciæ quoque fertilis agris
Haud [6] impunè [7] Deam veteres [8] sprevêre coloni.
Res obscura quidem est [9] ignobilitate virorum;
Mira tamen: vidi præsens stagnumque lacumque
[10] Prodigio notum. Nam me jam grandior ævo,
[11] Impatiensque viæ genitor deducere [12] lectos
Jusserat indè boves: gentisque illius eunti
Ipse ducem dederat. Cum quo dum pascua [13] lustro,
Ecce lacus medio sacrorum nigra favillâ
Ara vetus [14] stabat, tremulis circumdata cannis.
[15] Restitit; & pavido, faveas mihi, murmure dixit
Dux meus: & simili, faveas, ego murmure dixi.
[16] Naïadum, [17] Faunine foret tamen ara rogabam,

1 Narraturus Poëta, quomodo Latona à quibusdam Lyciæ rusticis bibere prohibita, eos in ranas verterit, more suo quædam interserit. 2 Latona [illegible] quæ uno eodemque partu gemellos, i. Apollinem & Dianam peperit. Sic. 5. Fast. *Scorpion immisit tellus, fuit impetus illi Curva gemelliparæ spicula ferre Deæ.* Et *Plautus* eas, quæ uno eodemque partu nascuntur, *gemelliticum fœtum* vocat. 3 Ac quemadmodum fieri solet. 4 Commemorant Thebani. 5 Latona cùm Apollinem Dianamque peperisset, iram Junonis fugiens, in Lyciam usque unà cum infantibus pervenit, ubi fessa sitique confecta, cùm bibere è quodam lacu vellet, à rusticis quibusdam, pedibus aquam proculcantibus, prohibita fuit. Quâ injuriâ Dea indignata, eos omnes in ranas mutavit. *Lycia* autem est Asiæ regio finitima Lydiæ. 6 Non sine supplicio, sed cum maxima pœna: nam in ranas omnes fuerunt mutati. 7 Latonam. 8 Contemserunt. 9 Rustici enim erant vilissimi. 10 Nobilem miraculo. 11 Qui viæ laborem propter senectutem ferre non poterat. 12 Electos, egregios. 13 Circumeo ad eligendos boves. 14 Erecta erat. 15 Substitit. 16 Nympharum fontium, à νάω, *fluo*, quòd in *fluentis* habitent. Merito dubitat & rogat cujusnam Dei sit ara, quia est peregrinus. 17 Dei sylvestris.

[18] Indigenæ ne Dei; cùm talia [19] reddidit hoſpes.
Non hâc, ô juvenis, [20] montanum numen in arâ eſt:
Illa ſuam vocat hanc, cui quondam [21] regia Juno
Orbe interdixit: quam vix [22] erratica Delos
Orantem accepit, tum cùm [23] levis inſula [24] nabat.
Illîc, incumbens cum Palladis [25] arbore palmæ,
[26] Edidit invitâ [27] geminos Latona [28] novercâ.
Hinc quoque Junonem fugiſſe [29] puerpera fertur:
Inque ſuo portâſſe ſinu duo numina natos.
Jamque [30] Chimæriferæ, cùm Sol gravis ureret arva,
Finibus in Lyciæ, longo Dea feſſa labore,
[31] Sydereo ſiccata ſitim collegit ab æſtu:
Uberaque [32] ebiberant avidi [33] lactantia nati.
Fortè lacum [34] melioris aquæ proſpexit in imis
Vallibus: agreſtes illîc [35] fruticoſa [36] legebant
Vimina cum [37] juncis, [38] gratamque paludibus ulvam.
Acceſſit, poſitoque genu Titania terram
Preſſit, ut hauriret gelidos potura liquores:
[39] Ruſtica turba vetant. Dea ſic affata vetantes:
Quid prohibetis aquis? uſus communis aquarum eſt.
Nec ſolem [40] proprium natura, nec aëra fecit,
Nec [41] tenues undas: ad [42] publica munera veni.
Quæ tamen ut detis, ſupplex peto. Non ego noſtros
Abluere hîc artus, laſſataque membra parabam:
Sed [43] relevare ſitim. Caret [44] os humore loquentis;
Et fauces [45] arent, vixque [46] eſt via vocis in illis.
[47] *Hauſtus aquæ mihi nectar erit: vitamque fatebor*
Accepiſſe [48] *ſimul. Vitam* [49] *dederitis in unda.*

18 Qui non aliundè venerit, ſed ibi ortus ſit, ubi colitur: ut *homines indigenæ* vocantur, qui non aliundè venerunt, ſed in ipſis locis, quæ habitant, originem habuerunt.
19 Reſpondit.
20 Qualis eſt Faunus.
21 Juno regis Deorum hominumque uxor. Nam Juno (ut diximus) cùm reſciviſſet Latonam ex Jove concepiſſe, illam per totum terrarum orbem exagitavit, ita ut nuſquam conſiſtere poſſet.
[Antiquam lectionem *Orbem interdixit* ſi libri non obſtarent, etiam defendi poſſe docuit Gronovius.] 22 Quæ errare, inſtabiliſque eſſe ideò fingitur, quia crebro terræ motu vexabatur Vide ſupra verſ. 191. 23 Quia levis erat. 24 Fluitabat. *Nare* enim propriè dicuntur animata: *fluitare* inanimata. 25 Olivâ. Significat autem illam & palmæ & olivæ innixam peperiſſe. 26 Peperit. 27 Apollinem & Dianam. 28 Contrà voluntatem Junonis, quæ noverca eſſe videbatur Apollinis & Dianæ, cùm Jovis ſit uxor. 29 Cum jam peperiſſet. 30 Chimæras, i. capras ferentis. Chimæra mons eſt Lyciæ, cujus pars ſumma leonibus, media igne, infima ſerpentibus infeſtatur. Hinc Poëtæ fabulati ſunt Chimæram eſſe monſtrum triforme. 31 Calore Solis. Nam quamvis *ſidus* propriè vocetur ſignum ex multis ſtellis conſtans: tamen interdum pro Sole ponitur. 32 Exſuxerant. 33 Lac emittentia. 34 Ob ſaporem gratæ, & dulcis. 35 Parva, utpote è fruticibus naſcentia. Sunt enim *frutices* medii inter herbas & arbores. 36 Colligebant. 37 Herbis paluſtribus ſine nodo. 38 In paludibus naſcentem. 39 Ruſticorum multitudo prohibet. 40 Privatum. 41 Labiles aquas. 42 Quæ nullius quidem ſunt, ſed omnium. 43 Diminuere & levem facere. 44 Os meum, quæ vobiſcum loquor. 45 Siccæ ſunt. 46 Et vix emittere vocem poſſunt. 47 Potus aquæ mihi loco nectaris ac ſuaviſſimus erit. 48 Poſtquam mihi vitam aquis inſtauraveritis. 49 Diaſtole.

Hi

Hi [50] quoque vos moveant; qui nostro brachia [51] tendunt
Parva [52] sinu. Et casu tendebant brachia nati.
Quem non blanda Deæ potuissent verba movere?
[53] Hi tamen orantem [54] perstant prohibere: minasque,
Ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.
Nec satis hoc: ipsos etiam pedibusque, manuque,
Turbavere lacus: imoque è gurgite mollem
Huc illuc limum saltu [55] movère [56] maligno.
Distulit [57] ira sitim; neque enim jam [58] filia Cœi
Supplicat indignis; nec dicere sustinet [59] ultra
Verba [60] minora Dea: tollensq; ad sidera palmas,
[61] Æternùm stagno, dixit, vivatis in isto.
Eveniunt optata Deæ. Juvat isse sub undas,
Et [62] modò tota cavâ submergere membra palude:
Nunc proferre caput; summo modò gurgite nare:
Sæpe super ripam stagni considere: sæpe
In gelidos resilire lacus. Et nunc quoque [63] turpes
Litibus exercent linguas: pulsoque pudore,
Quamvis sint [64] sub aquâ, sub aquâ maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca est; inflataque colla tumescunt:
Ipsaque dilatant [65] patulos convicia rictus.
Terga caput tangunt; colla [66] intercepta videntur:
[67] Spina viret: venter, pars maxima corporis, albet:
Limosoque novæ saliunt in gurgite ranæ.

50 Infantes enim, Apollinem & Dianam, illis ostendit, ut saltem eorum ætate moveantur. 51 Extendunt, porrigunt. 52 E nostro gremio. 53 Rustici. 54 Perseverant, & instant. 55 Commoverunt. 56 Ipsi maligni 57 Ira fuit causa differendæ & ad tempus sedandæ sitis. 58 Latona. Supra *Titania*, vers. 345. 59 Ulteriùs. 60 Humiliora. 61 Semper, & in æternum. Nomen pro adverbio positum. 62 Eleganter ranarum & naturam & corpus describit Poëta. 63 Contumeliosas. 64 Animadverte quodammodo ranarum coaxationem hac repetitione *sub aqua, sub aqua.* 65 Hiantia ora. 66 De medio recisa: nam ranæ collo carent. 67 Tergum viride est.

Satyrorum, Nympharum, Rusticorumque lacrymæ in flumen. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Satyrus nomine Marsyas, dum cum Apolline tibiis contendit (quas Minerva invenisse proditur) per audaciam, quòd Deo cedendum non putaret, suspensus est, ac cute nudatus. Quem Nymphæ, ac Satyri, cæterique ruris incolæ, ita fletu prosecuti sunt, quòd ejus cantu cerituri essent, ut lacrymis eorum flumen increverit, quod ejus nomine in Phrygia à prioribus nostris nuncupari videtur.

Sic

SIc [1] ubi nescio quis Lycia de gente virorum
Rettulit [2] exitium; [3] Satyri [4] reminiscitur alter:
Quem [5] Tritoniacâ [6] Latoüs arundine victum
[7] Affecit pœnâ. [8] Quid me mihi detrahis? inquit:
Ah piget: ah [9] non est, clamabat, tibia tanti!
Clamanti cutis est summos derepta per artus:
Nec quicquam, nisi vulnus, erat: cruor undique manat;
Detectique patent nervi: trepidæque sine ulla
Pelle [10] micant venæ. Salientia viscera possis,
Et perlucentes numerare in pectore [11] fibras,
Illum ruricolæ sylvarum numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoq; clarus [12] Olympus,
Et Nymphæ flêrunt: & quisquis montibus illis
Lanigerosque greges, armentaque [13] bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
[14] Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.
Quas ubi fecit aquam, vacuas emisit in auras.
Inde petens rapidum ripis [15] declivibus æquor,
Marsya nomen habet, Phrygiæ [16] liquidissimus amnis.

1 Ignobilis ergo fuit, qui hanc retulit fabulam. 2 Calamitosum exitum [quorundam virorum de Lycia gente; ita distinguendum; *exitium* non ad Marsyam referri debet.] 3 Marsyas fuit Satyrus, tibias inflandi adeò peritus, ut cum Apolline certare sit ausus: quem superatum, indignatus Apollo pelle atque cute privavit. Ex ejus verò corpore tantus defluxit sanguis, ut à terra exceptus, in fluvium fuerit commutatus, qui à Satyri nomine *Marsyas* fuit appellatus. 4 In memoriam reducit, commemorat. 5 Tibia à Tritonia, i. Pal ade, primum inventa. Quam posteà ob deformitatem vultus, ex flatu intumescentis, ab eâdem Deâ rejectam, Satyrus, i. Marsyas excepit, ejusque cantu (ut diximus) Apollinem provocavit. 6 Apollo Latonæ filius. 7 Punivit. 8 Cur meam mihi pellem eripis? 9 Ut ego hac pœnâ affici debeam. 10 Palpitant. 11 12 Fuit hic quoque Satyrus. 13 [Boves cornutos. Βοῦς enim *bos*; & κέρας *cornu*.] 14 Excepit. 15 Pronis, inclinatis. 16 Purissimus, limpidissimus.

Pelopis humerus è carneo in eburneum. *Fab.* VIII.

ARGUMENTUM.

Tantalus epulis Jovis cùm interesset, velletque experiri an futura prospiceret, invitato ad epulas, Pelopis filii interemti viscera reliquis dapibus immista apposuit. Quo pro merito punito, Dii misericordiâ moti, qui convivii participes fuerant partes viscerum Pelopis composuerunt, & humerus qui deerat, de ebore effectus est.

TAlibus extemplo redit ad [1] præsentia dictis
Vulgus; & extinctum cum stirpe Amphiona lugent.

1 Mala & infortunia Amphionis & Niobes.

2 Mater

2 Mater in invidia eſt. Tamen hanc quoque dicitur unus
Fleſſe 3 Pelops: humeroque ſuas ad pectora poſtquam
Deduxit veſtes, ebur oſtendiſſe ſiniſtro.
Concolor hic humerus, naſcendi tempore, dextro,
5 Corporeuſq; fuit. Manibus mox [6] cæſa paternis
Membra ferunt junxiſſe Deos. Aliiſque repertis,
7 Qui locus eſt juguli medius, ſummiq; lacerti,
Defuit, impoſitum eſt non comparentis in [8] uſum
9 Partis ebur: factoq; Pelops fuit integer [10] illo.

2 Niobes enim ſuperbia cauſa fuit mortis liberorum. 3 Erat hic frater Niobes. *Pelops* enim Tantali fuit filius, quem coctum pater Diis epulandum cum appoſuiſſet, ut, an omnia ſcirent, experiretur, omnes quidem, præter unam Cererem, ab eo abſtinuerunt, collectiſque in unum Pelopis membris, evocatâ à Mercurio anima ejus ab inferis, priſtinæ ipſum vitæ reſtituerunt. Sed cùm ei ſiniſtrum deeſſe humerum animadvertiſſent, eburneum affixerunt, & ſic Pelops integer vitæ fuit reſtitutus. Tantalus verò ad inferos detruſus ſiti in aquis, ac fame in ſumma pomorum copia laborat. 4 Purpureas ac ſibi convenientes: illis enim depoſitis, pullas ac lugubres ſumſit. 5 Ex carne: nam corpus propriè viventium, caro mortuorum dicitur. 6 Trucidata. 7 Humerus, qui medius eſt inter jugulum & brachii ſummitatem. 8 In locum & officium. 9 Humeri non inventi. 10 Illo Deorum beneficio.

Procne, Philomela, Tereus, & Itys in aves. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Tereus Martis filius Thracum rex, cùm auxilia multis regibus ferret; Pandioni quoque Athenis regnanti cùm à proximis civitatibus oppugnaretur, non defuit. Quamobrem filiam ſuam Procnen illi in matrimonium dedit. Quæ deportata in mariti regnum cùm ex intercapedine ſororem Philomelam deſideraret; petit à Tereo, ut proficiſceretur Athenas, ſororem ſibi ad ſollemne ſacrificium adducturus. Qui ut Athenas pervenit, ſoceri uſus hoſpitio in Philomelæ incidit amorem, quam ſecum digreſſus mandato conjugis duxit in Thraciam. Stabulis autem ſuis violatam clauſit, ut ſine cujuſquam ſuſpicione ad eam ſæpius commearet. Linguam, ne commiſſa eloqui poſſet, ei truncavit. Uxori verò mentitus eſt: dixit enim ſororem ejus interiiſſe. At Philomela, quæ lingua prodere non poterat, veſti intexuit notis literarum, quam uni dedit perferendam ſorori. Qua inſpecta, cum conjugis libidinem, caſumque germanæ comperiſſet, conſtituit ſacra celebrare Libero patri, moreque Bacchantis ad ſtabula venit, ac ſororem raptam in regiam ducit. Ityn filium interemit,

teremit, & epulandum patri appoſuit. Quo expletus Tereus, filium Ityn deſiderat. Ejus caput in Terei ſinum abjecerunt, dicentes, Intus habes quem deſideras. *Tereus cùm intellexiſſet ſcelus ſcelere ultum eſſe, conjugem ſororemque conjugis perſequitur: Deorum autem voluntate verſi ſunt in aves; Procne in hirundinem, Philomela in luſciniam, Tereus in epopem, Itys in phaſianum. Pandion dolore natarum actus, caruit vitâ: regnum ejus filius Erechtheus poſſedit.*

Finitimi proceres [1] coëunt: [2] urbeſque propinquæ
[3] Oravêre ſuos ire ad [4] ſolatia reges,
[5] Argoſque, & [6] Sparte, [7] Pelopeïadeſq; Mycenæ,
Et nondum torvæ [8] Calydon [9] inviſa Dianæ,
[10] Orchomenoſque [11] ferox, & [12] nobilis ære Corinthos,
[13] Meſſeneque [14] ferax, [15] Patræque, [16] humileſque Cleonæ,
Et Nelea [17] Pylos, neq; adhuc Pittheïa [18] Trœzen,
Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab [19] Iſthmo,
Exteriuſque ſitæ bimari ſpectantur ab Iſthmo.
Credere quis poſſit? Solæ ceſsâtis Athenæ.
Obſtitit officio bellum; [20] ſubvectaque ponto
Barbara Mopſopios terrebant agmina muros.
[21] Threïcius Tereus hæc auxiliaribus armis
[22] Fuderat: & clarum vincendo nomen habebat.
Quem ſibi [23] Pandion opibuſque viriſq; potentem,
Et genus à magno ducentem forte [24] Gradivo,
[25] Connubio Procnes junxit. [26] Non pronuba Juno,
Non [27] Hymenæus adeſt, non illi [28] Gratia [29] lecto.
[30] Eumenides tenuere faces de funere raptas:
Eumenides ſtravere torum: tectoque [31] profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine ſedit.

1 Conveniunt, congregantur. 2 Metonymia ſubjecti. 3 Oraverunt ut irent. 4 Ad conſolationem Pelopis, cujus ſoror Niobe cum omnibus liberis fuit exſtincta. 5 Urbs clariſſima Peloponneſi. 6 Regio Laconiæ. 7 *Mycenæ* urbs eſt Peloponneſi: quas Pelops auxiſſe fertur, ſeu potius poſteri Pelopis. 8 Urbs Ætoliæ. 9 *Nondum inviſa*, i. odio habita. Vide Lib. 8. de apro à Diana immiſſo in agros Calydonios. 10 Oppidum Arcadiæ. Vide ſura Lib. 5. verſ 606.

11 Cujus incolæ feroces; vel ob ſitum aſperum ita dicta. 12 Clara æreis vaſis, quæ *Corinthia* vocantur. 13 Urbs & regio Peloponneſi. 14 Fertilis. 15 Urbs Achaiæ. 16 Urbs eſt Arcadiæ parva. 17 Quam Neleus Neſtoris pater rexit. 18 Quam Pittheus avus maternus Theſei nondum ſub imperio tenebat. 19 *Iſthmus* brevis dicitur terra inter duo maria ſita. 20 Adjecta mari Euxino. Reges enim Aſiæ bellum Athenienſibus indixerant. 21 Thracius, & Thraciæ rex. 22 Profligaverat, in fugam converterat. 23 Athenarum rex. 24 Marte. *Gradivus* enim Mars à Latinis dictus eſt, quòd *gradatim* in bellum eatur. 25 Sic *Virg*. 1. *Æn. Connubio jungam ſtabili* 26 Nubentibus feliciter puellis, Juno pronuba præeſſe creditur. Hinc colligitur, quale futurum ſit Terei & Procnes conjugium. 27 Nuptiarum Deus. 28 *Gratiæ* ſunt tres, Deæ perpetuæ Veneris comites, quæ à Græcis χάριτες vocantur, quarum nomina ſunt Aglaia, Thalia, Euphroſyne. 29 Illis nuptiis. 30 Furiæ infernales prætulerunt faces novæ nuptæ, quas de funere rapuerunt. 31 Exſecrandus: eſt enim avis peſſimi ominis bubo. Vide ſis ſupra Lib. 5. verſ. 550.

[32] Hac ave conjuncti Procne Tereusque; parentes
Hac ave sunt facti. Gratata est scilicet illis
[33] Thracia: Disque [34] ipsi grates egere: diemque
Quaque data est claro Pandione nata tyranno,
Quaque erat ortus [35] Itys, festam jussere vocari.
[36] *Usque adeò latet utilitas.* [37] Jam tempora Titan
Quinque per autumnos repetiti duxerat anni:
Cùm blandita viro Procne, Si [38] gratia, dixit,
Ulla mea est; vel me visendæ mitte sorori;
Vel soror huc veniat. Redituram tempore parvo
Promittes socero. Magni mihi numinis instar
[39] Germanam vidisse dabis. Jubet [40] ille carinas
In freta deduci: veloque & remige portus
[41] Cecropios intrat; [42] Piræaque littora tangit.
[43] Ut primùm soceri data copia, dextraq; dextræ
Jungitur; infausto committitur omine sermo.
Cœperat, adventûs caussam, mandata [44] referre
Conjugis, & celeres [45] missæ spondere recursus.
Ecce venit magno dives Philomela [46] paratu;
Divitior [47] forma: quales audire solemus
[48] Naïdas, & Dryadas mediis incedere silvis:
Si modò des illis cultus, similesque paratus.
Non secus exarsit conspecta [49] virgine Tereus,
Quam si quis [50] canis ignem supponat aristis,
Aut frondem, positasque [51] cremet [52] fœnilibus herbas.
[53] Digna quidem facies. Sed & hunc innata libido
Exstimulat; [54] pronumq; genus regionibus illis
In Venerem est. Flagrat vitio gentisque suoque.
Impetus est [55] illi comitum corrumpere [56] curam
Nutricisque fidem: nec non [57] ingentibus ipsam
Sollicitare datis; totumque impendere regnum:
Aut rapere, & sævo raptam defendere bello.
Et nihil est, quod non [58] effræno captus amore
Ausit: nec [59] capiunt inclusas pectora flammas.
Jamq; moras malè fert; [60] cupidoq; revertitur ore
Ad Mandata Procnes; & [61] agit sua vota sub illis.
[62] *Facundum faciebat amor*: quotiesque rogabat
[63] Ulteriùs justo; Procnen ita velle ferebat.

32 Hoc augurio. 33 Thraces gratati sunt, i. gratulati sunt. 34 Tereus & Procne gratias Diis egerunt. 35 Terei & Procnes filius. 36 Epiphonema. 37 Jam quinque elapsi erant anni. 38 Si quid apud te possum. 39 Sororem Philomelam 40 Tereus. 41 Athenienses. 42 Attica. Piræeum Atheniensium navale & portus. 43 Cùm primùm Tereus ad Pandionem socerum fuit admissus, & dextram dextræ junxit, & Procnes mandata referre cœpit. 44 Veloces reditus. 45 Philomelæ: quæ quidem non fuerat missa, sed si missa fuisset, celerem pollicebatur Tereus reditum. 46 Ornatu. 47 Pulcritudine. 48 Nymphas, quæ formosissimæ esse videntur. 49 Philomelâ. 50 Flavis & jam aridis. 51 Comburat. 52 Impositas fœnilibus. 53 Facies Philomelæ digna quidem erat amari cum ab aliis omnibus, tùm verò à Tereo, qui maximè ingenitâ libidine in mulieres stimulabatur. 54 Thraces enim maximè in Venerem sunt proni. Proindè & singuli plures uxores ducebant. 55 Tereo. 56 Custodiam. 57 Maximis donis. 58 Effrænatos ac dissolutos homines reddente. 59 Jam enim Terei amor in Philomelam detegebatur. 60 Ipse cupidus ad mandata Procnes ore revertebatur, i. ad commemoranda Procnes mandata. 61 Sub simulatione desiderii quo flagrabat, Procne sua vota peragere conatur Tereus. 62 Eloquentem. Facundus dicitur, qui facit verbis quidquid vult. 63 Ultrà quam honestum esset.

Addidit & lacrymas; tanquam mandâsset & illas.
Proh superi, [64] *Quantum mortalia pectora cæca*
Noctis habent! [65] Ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius: laudemq; à crimine sumit.
Quid quòd idem Philomela cupit? patriosque lacertis
Blanda tenens humeros, ut eat visura [66] sororem,
Perque suam, contraq; suam, petit usq; [67] salutem.
Spectat eam Tereus; [68] præcontrectatq; videndo:
Osculaq; & collo circumdata brachia cernens;
Omnia pro stimulis, facibusque, ciboque furoris
Accipit; & quoties amplectitur illa parentem,
Esse parens vellet: neque enim minus impius esset.
Vincitur [69] ambarum [70] genitor prece: gaudet, agitque
Illa patri grates: & [71] successisse [72] duabus
Id putat infelix; quod erit [73] lugubre duabus.
[74] Jam labor exiguus [75] Phœbo restabat: [76] equiq;
Pulsabant pedibus [77] spatium declivis [78] Olympi.
Regales epulæ mensis, & [79] Bacchus in auro
Ponitur: hinc placido dantur sua corpora somno:
At rex [80] Odrysius, quamvis secessit, in illâ
[81] Æstuat: & repetens faciem, motusque, manusq;
Qualia vult fingit, [82] quæ nondum vidit: & ignes
Ipse suos nutrit, [83] cura removente soporem.
[84] Lux erat: &, [85] generi dextram complexus euntis,
Pandion comitem lacrymis commendat obortis:
Hanc ego, chare gener, [86] quoniam pia caussa coëgit,
[Et voluere ambæ, voluisti tu quoque, Tereu]
Do tibi: perque fidem, cognataq; pectora supplex,
Per superos oro, patrio [87] tuearis amore:
Et mihi [88] sollicitæ [89] lenimen dulce senectæ
Quamprimùm (omnis erit nobis mora longa) remittas.
Tu quoque quamprimùm, ([90] satis est procul esse sororem)
Si pietas ulla est, ad me, Philomela, redito.
[91] Mandabat; pariterq; suæ dabat oscula natæ:
Et lacrymæ mites inter mandata cadebant.
Utque fide pignus [92] dextras utriusque poposcit;

64 In quanta rerum omnium inscitia hominum animi versantur. Epiphonema. Vide infra vers. 661.
65 Ipsa præparatione.
66 Procnen.
67 Quia Tereo non solùm stuprata, sed etiam lingua fuit privata.
68 Antè oculis, quam manibus, sibi eam contrectare videtur.
69 Procnes & Philomelæ.
70 Pater Pandion.
71 Feliciter evenisse.
72 Sibi & Procne sorori.
73 Triste & luctus caussa futurum.
74 Finis diei advenerat.
75 Apollini, qui interdiu in regendo Solis cursu occupatus esse, per noctem verò quiescere vulgo videtur.
76 Equi Solis jam pervenerant in occidentem cœli partem.
77 Partem.
78 Cœli deorsum vergentis, quò cùm pervenerint equi Solis, in Oceanum descendere videntur.
79 Vinum. Inventor pro re inventa Metonymia efficientis.
80 Thracius: *Odrysæ* autem populi sunt Thraciæ, & *Odrysa* urbs eorum.
81 Ardet, sc. *tamen*.
82 Partes corporis intelligendæ sunt, quæ vestibus tectæ erant.
83 Amore somnum repellente.
84 Dies advenerat.
85 Terei discedere cupientis.
86 Pium enim est sororem sorori mittere videndam.
87 Defendas atque custodias.
88 Anxio de filiæ absentiâ.
89 Solamen.
90 Satis est, quòd Procne longè à me absit.
91 Hujusmodi mandata dabat.
92 Et Terei & Philomelæ. [*Utriusque* non *utrasque* legendum, ex Prisciani lib. VIII. monuit *Heinsius*.]

Inter seque datas junxit; [93] natamque nepotemque
Absentes [94] memori [95] pro se jubet ore salutent:
[96] Supremumque vale, pleno singultibus ore,
Vix dixit: timuitque suæ [97] præsagia mentis.
At simul imposita est pictæ Philomela carinæ;
[98] Admotumq; fretum remis, tellusq; repulsa est;
Vicimus, exclamat: mecum mea vota feruntur.
[Exsultatque & vix animo sua gaudia differt]
Barbarus: & nusquam [99] lumen detorquet ab illâ.
Non aliter, quàm cùm pedibus prædator obuncis
Deposuit nido leporem [100] Jovis ales in alto:
Nulla fuga est capto: [101] spectat sua præmia raptor.
Jamque iter [102] effectum; jamque in sua littora fessis
Puppibus exierant: cùm [103] rex Pandione [104] natam
In stabula alta trahit silvis obscura vetustis.
Atque, ibi pallentem, trepidamque, & cuncta timentem,
Et jam cum lacrymis, ubi sit germana, rogantem,
Includit: [105] fassusque nefas, & virginem, & [106] unam
Vi superat; frustra clamato sæpe parente,
Sæpe sorore sua, magnis [107] super omnia Divis.
[108] Illa tremit, velut agna pavens, quæ saucia cani
Ore [109] excussa [110] lupi, nondum sibi tuta videtur:
Utq; columba, suo madefactis sanguine plumis,
[111] Horret adhuc, [112] avidosque timet, quibus hæserat, ungues.
[113] Mox ubi mens rediit; [114] passos laniata capillos,
[Lugenti similis [115] cæsis plangore lacertis,]
Intendens palmas. Proh [116] diris, barbare, factis,
Proh crudelis, ait! Nec te mandata parentis
Cum lacrymis movere piis, nec cura sororis,
Nec mea virginitas, nec [117] conjugialia jura?
[118] Omnia turbasti. [119] Pellex ego facta sorori:

93 Et Procnem & Ityn. 94 Nomine suo, & verbis suis. 95 Ipsi memores. 96 Et ultimo loco vix potuit dicere vale: ita enim Pandion singultibus impediebatur, ut vix potuerit eloqui. 97 Divinationes. Est enim *præsaga mali mens*. 98 Hypallage est: remi enim mari, non mare remis admovetur. Tunc autem *remi* dicuntur *admovêri mari*, cùm remigatur, navisque impellitur: & sic in sequenti, *Tellusque repulsa est*. [Versum sequentem uncis inclusum suspectum habet *Heinsius*.] 99 Oculos. 100 Aquila, quæ, quòd nunquam fulmine tangitur, sub Jovis tutelâ esse dicitur. 101 Ordo est & sensus: Non aliter Tereus spectabat Philomelam, quàm Jovis ales raptor spectat sua præmia, cùm ipse prædator deposuit nido leporem aduncis pedibus. 102 Confectum, perfectum. Jam enim in Thraciam fuerant advecti. 103 Tereus. 104 Philomelam Pandionis filiam. 105 Jam professus amorem nefandum 106 Et solam & sibi creditam. 107 Imprimis, præsertim, maximè. Sic Lib. 8. *Super omnia vultus Accessêre boni, nec iners pauperque voluntas.* 108 Philomela. 109 Ejecta. 110 Lupi enim canitie infecti esse videntur. 111 Tremit quamvis accipitrem effugerit. 112 Avidi accipitris, qui columbas maximè infestat. 113 Sic Lib. 9. *Mens tamen ut rediit*. Et Ter. *Istoc verbo animus mihi rediit*. 114 Cùm Philomela sparsos capillos laniasset. Lacerare autem crines in mœrore solent mulieres. 115 Percussis brachiis. 116 Nefandis sceleribus. 117 Matrimonii jura, quibus non licet cuiquam cum duabus coïre sororibus. 118 Omnia jura & humana & divina confudisti. 119 *Pellex* propriè dicitur, quæ maritum alterius concumbere secum pellicit.

Tu [120] gemines conjux, [non hæc mihi, [121] debita pœna.]
[122] Quin animam hanc (nè [123] quod facinus tibi, perfide, restet)
Eripis? Atque utinam fecisses ante nefandos
Concubitus! [124] Vacuas habuissem criminis umbras.
Si tamen hæc superi cernunt; si numina divum
Sunt aliquid; si non perierunt omnia mecum;
Quandocunq; mihi pœnas dabis. Ipsa pudore
[125] Projecto tua facta loquar. [126] Si copia detur;
In populos veniam: si sylvis clausa tenebor;
Implebo sylvas, & conscia saxa movebo.
Audiat hæc [127] æther, & si Deus ullus in illo est.
Talibus ira feri postquam commota tyranni;
[128] Nec minor hac metus est: causa [129] stimulatus utraque
[130] Quo fuit accinctus, vagina [131] liberat ensem:
Arreptamque coma, flexis post terga lacertis,
Vincla pati cogit. [132] Jugulum Philomela parabat;
[133] Spemque suæ mortis viso conceperat ense.
[134] Ille indignanti, & nomen patris [135] usque vocanti,
[136] Luctantique loqui, comprensam [137] forcipe linguam [linguæ,
[138] Abstulit ense [139] fero. Radix [140] micat ultima
[141] Ipsa jacet, terræque tremens immurmurat atræ.
Utque salire solet [142] mutilatæ cauda colubræ,
[143] Palpitat; & moriens Dominæ vestigia quærit.
Hoc quoque [144] post facinus (vix ausim credere) fertur
Sæpe sua [145] lacerum repetîsse libidine corpus.
[146] Sustinet ad Procnen post talia facta reverti,
Conjuge quæ viso [147] germanam quærit: at ille
Dat gemitus fictos, [148] commentaque funera narrat.
Et [149] lacrymæ fecere fidem. Velamina Procne
Deripit ex humeris auro fulgentia lato:
Induiturq; [150] atras vestes: & [151] inane sepulcrum

120 Tu duabus es maritus, & mihi & sorori. 121 Sc. *te exspectat*; vel sic, tu mihi hostis es, quam pœnam ego veluti debitam patior, sororis pellex sum. [Hic lacunam esse relinquendam censet Heinsius. Tales in Virgilio multæ occurrunt.] 122 Cur non adimis mihi vitam? 123 Ne aliquod scelus tibi restet in me perpetrandum. 124 Crimine caruissem moriens. 125 Abjecto, deposito. 126 Si potero. 127 Cœlum. 128 Non minor est metus, ne à Philomelâ sorori proderetur scelus, quam ira. 129 Impulsus & irâ & timore. 130 Ita suprà de Pyramo: *Quoque erat accinctus, dimittit in ilia ferrum.* 131 Vagina deripit ensem. 132 Ultrò jugulum ensi objiciebat, ut citiùs interficeretur. 133 Mortem enim cupiebat Philomela. 134 Tereus. 135 Assiduè, semper. 136 Conanti. 137 Instrumento fabrili, quo ferrum facilè & capitur & tenetur. 138 Abscidit. 239 Ipse ferus, & crudelis. 140 Palpitat, vibrat. 141 Lingua recisa. 142 Serpentis incisæ in duas partes. *Mutilati* verò dicuntur, quibus aliquod membrum fuit recisum. 143 Salit, frequenter movetur. [*Tremens imm.* potius *fremens*, Heinsius. Hoc sæpè corruptum: *tremens* & *palpitans* idem sunt.] 144 Post extractam linguam. 145 Linguâ mutilatum. 146 Audet. 147 Sororem Philomelam. 148 Fictam Philomelæ mortem. 149 Effecerunt lacrymæ, ut Procne mortem Philomelæ veram esse crederet. 150 Pullas, lugubres. 151 Cadavere vacuum, quod Græci *cenotaphium* appellant.

Conſtituit: [152] falſiſq; piacula manibus infert:
Et luget [153] non ſic lugendæ fata ſororis.
Signa [154] Deus bis ſex acto [155] luſtraverat anno.
Quid [156] faciat Philomela? Fugam [157] cuſtodia claudit:
Structa [158] rigent ſolido ſtabulorum [159] mœnia ſaxo:
[160] Os mutum facti caret indice. *GRANDE dolori*
Ingenium eſt, [161] *miſeriſque venit ſollertia rebus.*
Stamina barbaricâ ſuſpendit callida telâ:
[162] Purpureaſque notas filis intexuit albis
Indicium [163] ſceleris: perfectaq; tradidit [164] uni:
Utque ferat Dominæ, geſtu rogat: ille rogata
Pertulit ad Procnen: nec ſcit quid tradat in illis.
[165] Evolvit [166] veſtes ſævi [167] matrona tyranni:
Germanæque ſuæ [168] carmen miſerabile legit:
Et (mirum [169] potuiſſe) ſilet. Dolor ora [170] repreſſit,
Verbaque quærenti ſatis indignantia linguæ
Defuerunt: [171] nec flere vacat. [172] Sed faſque nefaſque
Confuſura ruit: [173] pœnæque in imagine tota eſt.
Tempus erat, quo ſacra ſolent [174] Trieterica Bacchi
[175] Sithoniæ celebrare nurus: [176] nox conſcia ſacris:
Nocte ſonat [177] Rhodope tinnitibus æris [178] acuti:
Nocte ſua eſt egreſſa domo regina: Deique
[179] Ritibus inſtruitur; [180] furialiaq; accipit arma.
Vite caput tegitur: lateri cervina ſiniſtro
[181] Vellera dependent: humero [182] levis incubat haſta.
Concita per ſilvas turba comitante ſuarum
Terribilis Procne, furiiſque agitata doloris,
Bacche, [183] tuas ſimulat. Venit ad ſtabula [184] avia tandem:
Exululatque, [185] Evoëq; ſonat, portaſque refringit:
[186] Germanamq; rapit: raptæq; inſignia [187] Bacchi

152 Non veris, quia Philomela nondum mortua erat. [A voce *infert*, quæ eſt tectonica, derivantur *inferiæ*: ita Virgilius vitâ de *inferiis*, ---*Nec meritos Anchiſæ inferret honores.*] 153 Ut mortua non erat lugenda, ſed ut viva erat vindicanda, & in libertatem aſſerenda. 154 Apollo. 155 Illuſtraverat duodecim Zodiaci ſigna, ſive circumierat, i. jam duodecim tranſierant menſes. 156 Facere poſſet. 157 Cuſtodes à Tereo oppoſiti. 158 Aſpera ſunt, ita ut indè niſi per januam exitus non detur. 159 Parietes. 160 Os mutum ſcelus indicare non poteſt. 161 In adverſis rebus homines fiunt ſollertes, & ingenioſi. 162 Rubras literas. 163 A Tereo perpetrati. 164 Ex ancillis. 165 Explicat. 166 Telam illam candidam purpureis inſcriptam literis, à Philomela miſſam. 167 Procne, uxor crudelis Terei. *Matronæ* autem dicuntur principum & ditiorum uxores. 168 Litteras indices infortunii quod ſoror ſua Philomelæ paſſa fuit. 169 Sc. Silere. 170 Compreſſit, continuit. 171 Nec flendi tempus habet. 172 Sed furit, omne jus & humanum & divinum perturbatura. 173 In imaginatione pœnæ, quâ maritum afficiat. 174 Triennalia, quod tertio quoque anno Bacchi ſacra celebrarentur. A *tribus* enim *annis*, qui ἔτη Græcè dicuntur, *trieterica* fuerunt appellata. 175 Sithonia eſt regio Thraciæ. 176 Nocte enim ſacra Bacchi celebrantur. 177 Mons Thraciæ. 178 Acutè ſonantis. 179 Secundum ritus ſacrorum Bacchi. 180 Bacchica, quibus ſacra Bacchi celebrantes utebantur. 181 Cervinæ pelles. 182 Quæ pampinis ornata thyrſus vocatur Vide Lib. 3. 183 Furias. 184 Devia, & ſylvis obſcura vetuſtis, ut ſupra, verſ. 521. 185 Et utitur Baccharum clamoribus. 186 Sororem Philomelam. 187 Baccharum habitus.

Induit

Induit & vultus hederarum frondibus [188] abdit:
Attonitamque trahens intra sua limina ducit.
Ut sensit tetigisse domum Philomela nefandam,
[189] Horruit infelix: totoq; expalluit ore.
Nacta [190] locum Procne, [191] sacrorum pignora [192] demit,
Oraque develat miseræ pudibunda sorori;
Amplexuque petit. Sed non attollere contrà
Sustinet hæc oculos; pellex sibi visa sororis:
Dejectoque in humum vultu, jurare volenti,
[193] Testarique Deos, per vim sibi [194] dedecus illud
Illatum, [195] pro voce manus fuit. [196] Ardet, & iram
Non capit ipsa suam Procne: fletumque sororis
[197] Corripiens, Non est lacrymis hic, inquit, agendum,
Sed ferro; sed si quid habes, quod vincere ferrum
Possit. [198] In omne nefas ego me, germana, paravi.
Aut ego, cum facibus regalia tecta cremaro,
[199] Artificem mediis immittam Terea flammis,
Aut linguam, aut oculos, aut quæ tibi membra [200] pudorem
[201] Abstulerunt, ferro rapiam, aut per vulnera mille
[202] Sontem animam expellam. [203] *Magnum quodcunque paravi.*
[204] *Quid sit, adhuc dubito.* [205] Peragit dum talia Procne;
Ad matrem veniebat Itys. Quid [206] possit, ab illo
Admonita est: oculisq; tuens immitibus, Ah quàm
Es similis patri! dixit, nec plura locuta,
[207] *Triste parat facinus*; [208] *tacitaq; exæstuat irâ.*
Ut tamen [209] accessit natus, matrique salutem
Attulit, & [210] parvis adduxit colla lacertis,
Mistaque blanditiis puerilibus oscula junxit;
Mota quidem est genitrix; [211] infractaque constitit ira:
[212] Invitique oculi lacrymis maduere coactis.
Sed simul ex nimia matrem pietate [213] labare

188 Abscondit, ne agnosceretur à quoquam. [*Limina* pro *mœnia* rectè poni, sequentia confirmant.]
189 Cum quodam horrore extimuit eorum recordatione, quæ à Tereo perpessa fuerat.
190 Sc. *secretum.*
191 Ornamenta sacrificiorum Bacchi.
192 Revelat, detegit.
193 In testimonium vocare. 194 Illam ignominiam.
195 Manu enim illud significabat, quod voce indicare non poterat.
196 Furit.
197 Reprehendens. 198 Ad omne nefas perpetrandum.
199 Tereum tanti sceleris auctorem.
200 Virginitatem.
201 Systole.
202 Nocentem, sceleratam Terei animam è corpore expellam.
203 Sc. *supplicium*, vel *malum*.
204 Sc. *futurum*. Nondum decrevi, quo malo Tereum affectura sim.
205 Dùm talia loquitur & minatur Procne. 206 Quo malo afficere Tereum possit ex Ityos adventu cognovit: de illo enim interficiendo cogitavit. 207 Communem sibi cum Tereo filium interficere, & coctum patri epulandum apponere cogitavit. 208 Tecta, occulta: neque enim Ity se iratam esse ostendebat. 209 Appropinquavit. 210 Amplexus est, circumdedit, constrinxit. Sic Lib 9. *Adducta brachia dixit*, i. implicita, connexa: *Adductaque brachia solvit.* 211 [Lege proculdubio cum *Heinsio concidit* pro *constitit*, ridiculum enim esset illam *infractâ irâ constitisse*, quam & motam Ityos blanditiis esse, & lacrymasse affirmaverat.] 212 Illius Procnes invitæ. [*Matrem* hic pro materno affectu Procnes ponit Poëta. Noster lib. XIII. de Agamemnoe, ——*Postquam pietatem publica caussa Rexque Patrem vicit.* *Rex* officium Regis, *Pater* affectum paternum denotant. Ita Statius Thebaid. XI. de Creonte ——*Jam flectere patrem Incipit atque datis abolere Menoecea regnis.* Flectere *patrem*, i. e. affectum paternum.] 213 Vacillare, & ad misericordiam commoveri.

Sensit:

Senſit: [214] ab hoc iterum eſt ad vultus verſa ſororis;
[215] Inque vicem ſpectans ambos, Cur admovet, inquit,
Alter blanditias; rapta ſilet altera linguâ?
Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa ſororem?
Cui ſis nupta vide, [216] Pandione nata [217] marito.
[218] Degeneras: *Scelus eſt pietas in* [219] *conjuge Tereo.*
[220] Nec mora; traxit Ityn: veluti [221] Gangetica [222] cervæ
Lactentem fœtum per ſilvas tigris opacas.
Utque domus altæ partem tenuere remotam;
[223] Tendentemque manus, & jam ſua fata videntem,
Eja, & jam, *Mater*, clamantem, & colla petentem,
Enſe ferit Procne, lateri qua pectus [224] adhæret.
Nec vultum avertit. Satis illi [225] ad fata vel unum
Vulnus erat: Jugulum ferro Philomela reſolvit.
Vivaque adhuc, animæque aliquid retinentia membra
Dilaniant. Pars indè cavis [226] exultat aënis:
Pars verubus ſtridet: manant [227] penetralia tabo.
His adhibet conjux [228] ignarum Terea [229] menſis:
Et patrii moris [230] ſacrum mentita, quod [231] uni
Fas ſit adire viro, comites famulosq; [232] removit.
Ipſe ſedens [233] ſolio Tereus ſublimis [233] avito
Veſcitur: inque ſuam [234] ſua viſcera congerit alvum;
Tantaque [235] nox animi eſt, Ityn huc [236] arceſſite, dixit.
[237] Diſſimulare nequit [238] crudelia gaudia Procne:
[239] Jamq; ſuæ cupiens exiſtere nuncia cladis;
[240] Intus habes, quod poſcis, ait. Circumſpicit [241] ille,
Atque [242] ubi ſit, quærit. Quærenti, iterumque vocanti,
Sicut erat ſparſis furiali cæde capillis,
Proſiliit: Ityoſque caput Philomela cruentum
Miſit in ora patris: nec tempore maluit ullo
Poſſe loqui, & meritis teſtari gaudia [243] dictis.
[244] Thracius ingenti menſas clamore [245] repellit,

214 Ab hujus Itys aſpectu. 215 Et viciſſim, per vices. 216 Addubitatio. Se ipſam alloquitur Procne. Eſt autem emphaſis. Q. d. *Ego nata ſum è Pandione, viro generoſiſſimo, omnique virtute prædito rege.* 217 Q. d. Turpiſſimo, omniumque nefandiſſimo. 218 A tuis degeneras, ſi tantum ſcelus multum patiaris. 219 In maritum Tereum. 220 Sc. eſt, i. cùm primùm aſſeruit ſcelus eſſe pietate in Tereum uti, Ityn traxit in partem domus ſecretiorem. 221 Indicâ, à *Gange*, maximo Indiæ fluvio. 222 Periphraſis eſt hinnuli. 223 Ei ſupplicantem. 224 Adjungitur: ſignificat autem Ityn à matre inter latus & pectus fuiſſe percuſſum. 225 Ad mortem. 226 Fervet. Partem verò Ityos carnium elixam, partem toſtam fuiſſe ait. 227 Interiora ædium loca tabo & ſanie pueri occiſi fluunt. 228 Cædis filii inſcium. 229 His menſis. Continens pro contento. 230 Sacrificium Athenenſe 231 Soli marito. 232 Amandavit, dimiſit. 233 Sede avorum. 234 Suas carnes: nam Itys ex Terei ſanguine fuerat conceptus. 235 Cæcitas. Sic ſuprà: *Proh Superi, quantum mortalia pectora cæca Noctis habent!* 236 Advocate. 237 Non poteſt occultare. Eſt enim *diſſimulare*, fingere id non eſſe, quod ſit. 238 Letitiam ex crudeli filii cæde, quem pater vocaverat, provenientem. 239 Et ſtatim. 240 Intrà teipſum. 241 Tereus. 242 Itys. 243 Convenientibus verbis. 244 Tereus Thracius tyrannus. 245 Evertit.

Vipereaſque

Vipereaſque [246] ciet [247] Stygia de valle [248] ſorores:
Et modò, ſi poſſit, [249] reſerato pectore diras
[250] Egerere inde dapes, [251] ſemeſaque viſcera [252] geſtit;
Flet modò, ſeq; vocat [253] buſtum miſerabile nati;
[254] Nunc ſequitur [255] nudo genitas Pandione ferro.
Corpora [256] Cecropidum pennis pendere putares;
[257] Pendebant pennis: [258] quarum petit altera ſilvas:
[259] Altera tecta ſubit. Neque adhuc de pectore cædis
Exceſsêre [260] notæ; [261] ſignataque ſanguine pluma eſt.
[262] Ille dolore ſuo, [263] pœnæque cupidine velox,
Vertitur in volucrem; cui [264] ſtant in vertice criſtæ:
Prominet [265] immodicum [266] pro longa cuſpide roſtrum.
Nomen Epops volucri; facies armata videtur.
Hic dolor ante diem, longæque extrema ſenectæ
Tempora, Tartareas Pandiona miſit ad [267] umbras.

246 Vocat. 247 Ab inferis. 248 Furias, quæ pro crinibus viperas habere dicuntur. De his ſæpius antè. 249 Aperto. 250 Ejicere, evomere. 251 Dimidiâ parte conſumta, & comeſta. 252 Cupit. 253 Sepulcrum filii: carnes enim filii in ſtomacho habebat. 254 Modò perſequitur. 255 Stricto enſe. 256 Atheniensium, Procnes & Philomelæ. 257 Alis in aëre aliquis pendêre putaret: in aves enim jam fuerant mutatæ. 258 Philomela, quæ in luſciniam fuit mutata. 259 Procne, quæ in hirundinem fuit converſa. 260 Signa. 261 Et pluma eſt maculis ſanguineis infecta & hirundinum & luſciniarum. 262 Tereus. 263 Quâ Procnen & Philomelam afficeret. 264 Erectæ ſunt. 265 Maximum. 266 Pro longo enſe, quo fugientes perſequebatur. 267 Ad inferos, i. e. Pandion, Procnes pater, præ dolore extinctus eſt.

Zethes & Calaïs in aves. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Aquilo cùm Orithyiam Erechthei filiam diligeret, neque ullis precibus à parentibus puellæ impetrare potuiſſet ut ſe in affinitatem reciperent, ſuis viribus uſus, Athenas venit, puellamque raptam in Thraciam pertulit, ibique gravidam fecit: ex qua geminos Zethen & Calaïn procreavit: quorum poſtea humeris alæ increverunt, per quas parentis imaginem referrent.

[1] Sceptra loci, rerumque capit [2] moderamen Erectheus;
Juſtitia dubium, validiſne potentior armis.
Quatuor ille quidem juvenes, totidemque creârat
Fœmineæ ſortis: ſed erat par [3] forma duarum.

1 Imperium Athenarum. 2 Regni gubernationem. 3 E quatuor filiabus duas æquales pulcritudine fuiſſe ait: Procrin, quæ Cephalo, Deionei filio, nupſit: & Orithyiam, quæ à Boreâ vento dicitur fuiſſe rapta.

E quibus [4] Æolides Cephalus te conjuge felix,
Procri fuit: Boreæ Tereus Thraceſque nocebant:
Dilectâque diu caruit [5] Deus Orithyiâ,
Dum rogat, & precibus mavult quàm viribus uti.
Aſt ubi blanditiis agitur nihil; [6] horridus irâ
Quæ ſolita eſt illi nimiumque domeſtica vento;
[7] Et meritò, dixit: Quid enim mea tela reliqui,
Sævitiam, & vires, iramque, animoſque minaces,
[8] Admovique preces; [9] quarum me dedecet uſus?
Apta mihi vis eſt; vi triſtia nubila pello:
Vi freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induroque nives, & terras grandine pulſo.
Idem ego, cùm [10] fratres [11] cœlo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus eſt) [12] tanto molimine luctor;
[13] Ut medius noſtris concurſibus intonet æther;
Exſiliantque cavis [14] eliſi nubibus ignes.
Idem ego, [15] cùm ſubii convexa foramina terræ,
Suppoſuique ferox imis mea terga cavernis;
[16] Sollicito manes, totumq; tremoribus orbem.
Hac ope debueram thalamos petiiſſe: ſocerque
Non orandus erat, ſed vi faciendus, Erechtheus.
Hæc Boreas, aut his non inferiora locutus;
[17] Excuſſit pennas; quarum jactatibus omnis
Afflata eſt tellus; latumque perhorruit æquor.
[18] Pulvereamque trahens per ſumma cacumina pallam,
Verrit humum: pavidamque metu caligine tectus
Orythyian amans fulvis complectitur alis.
Dum volat; arſerunt agitati fortiùs [19] ignes:
[20] Nec priùs [21] aërii curſûs ſuppreſſit habenas,
Quam Ciconum tenuit populos & mœnia, raptor.
Illîc & gelidi conjux [22] Actæa [23] tyranni,
Et genitrix facta eſt; partus enixa gemellos,
Cætera qui matris, [24] pennas genitoris, haberent.
Non tamen has una memorant cum corpore natas:
Barbaque dum rutilis aberat [25] ſubmiſſa [26] capillis;

4 Æoli nepos: nam Æolus Deionei pater fuit.
5 Boreas.
6 Terribilis indignatione. Boreæ naturam deſcribit: eſt enim ventus valdè impetuoſus & violentus.
7 Meritò Boreas ſeſe carêre Orithyiâ confeſſus eſt, quandoquidem blanditiis quam viribus uti maluerit.
8 Adjunxi, appoſui.
9 Quibus mihi turpe eſt uti.
10 Ventos. Ita Lib. 1. *Tanta eſt diſcordia fratrum.*
11 Aëre patenti, in quo venti confligunt.
12 Tantis viribus reſiſto.
13 Phyſicorum ſententiam ſequitur, qui ex colliſione nubium tonitrua ajunt commoveri, & fulmina emitti.
14 Expulſi ignes, i. fulmina.
15 Terræ motus ex Phyſicorum ſententia fiunt à ventis in cavernis terræ clauſis, undè ſine magno impetu exire non poſſunt.
16 Infeſto, perturbo orbem ſubterraneum.

17 Concuſſit alas, ex quarum jactatione maximus ventus excitatus fuit. 18 Pulverulentam veſtem, quæ eleganter Boreæ tribuitur, quòd eo vento flante maximus excitatur pulvis: eſt enim ſiccus. 19 Amor. 20 Nec priùs volare deſtitit, quam ad Cicones, Thraciæ populos, perveniſſet. 21 Alti volatus. 22 Athenienſis Orithyia, ab Actæo rege. 23 Boreæ venti, qui omnium eſt frigidiſſimus. 24 Alas Boreæ patris. 25 [Longa, prolixa; ita quoque *promiſſam barbam* dixere.] 26 Flavis crinibus.

27 Implumes

[27] Implumes Calaïsque puer Zethesque fuerunt.
Mox pariter ritu pennæ cœpêre volucrum
Cingere utrumq; latus; pariter [28] flavescere malæ.
[29] Ergò, ubi [30] concessit tempus puerile juventæ,
[31] Vellera cum [32] Minyis nitido radiantia villo
Per mare non [33] motum prima petiêre carinâ.

27 Sine plumis & alis. 28 Flavâ fieri lanugine nascente. 29 Postquam juvenes effecti sunt, unà cum aliis Argonautis ad rapiendum vellus aureum navigaverunt. 30 Locum dedit. 31 Pellem arietis auream. 32 Thessaliæ populi, Argonautarum præcipui. 33 [Ita noster lib. 11. Amor;

O utinam, ne quis remo freta longa moveret,
Argo funestas pressa bibisset aquas.]

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER VII.

Jäson aureum vellus auxilio Medeæ acquirens. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Jäson Æsonis filius, missus à Pelia Neptuni filio cum proceribus Grajorum Colchon, ad pellem auream apportandam, adjutricibus Junone, & Minerva, Æetæ Solis filii contigit regiam, pulchritudineque sua perculit Medeam, avertitque à patre, ut sibi potius, quam patriæ, consuluerit. Ergo obligatum Jäsonem coëgit, ut fidem præstaret conjugii erga se. Itaque tauros spirantes ignem, & draconem custodientem templum, venenis atque carminibus coëgit parere Jasoni; ut proscisso solo dentes obsereret serpentis, ex quibus seges armatorum procresceret: inter quos, ut ei præceptum erat à Medea jactato silice, coëgit eos inter se dimicare, qui mutuo bello conciderunt. His gestis Jäson cum Medea Jolcon abiit.

JAmque fretum [1] Minyæ [2] Pagasæa puppe secabant,
Perpetuaq; trahens inopem [3] sub nocte senectam

1 [*Minya* oppidum Thessaliæ a quo *Minyas* cujus filiæ *Minyeides* sacra Bacchi respuebant.] 2 Argo nave, fabricata sub Pagasa promontorio & opp. Thessaliæ. 3 Sub cæcitate.

S Phineus

[4] Phineus visus erat; [5] juvenesq; Aquilone creati
[6] Virgineas volucres miseri senis ore fugârant;
Multaque perpessi claro sub Jäsone, tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidos undas.
Dumq; adeunt [7] regem; [8] Phryxeaque vellera poscunt;
[9] Lexque datur numeris magnorum horrenda [10] laborum:
Concipit interea validos [11] Æetias [12] ignes:
Et [13] luctata diu, postquam ratione [14] furorem
Vincere poterat; [15] Frustra, Medea, repugnas;
Nescio quis Deus obstat, ait. Mirumq; nisi hoc est,
Aut aliquid certè simile huic, quod amare vocatur.
[16] Nam cur jussa patris [17] nimiùm mihi dura videntur?
Sunt quoque dura nimis. Cur, quem [18] modò denique vidi,
Nè pereat, timeo? quæ [19] tanti causa timoris?
[20] Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix: *Si possem, sanior essem.*
Sed trahit invitam [21] *nova vis*; [22] *aliudque Cupido,*
Mens aliud suadet. [23] *Video meliora, probôq;*

4 Fuit hic Arcadiæ rex, qui ob impietatem in Plexippum & Pandiona, natos ex Cleopatra Boreæ & Orithyiæ filia, (eos enim occæcaverat) pœnas dedit Diis. immittentibus Harpyjas, qui cibos ipsi appositos raperent, fœdarentque. 5 Calais & Zethes. 6 Harpyjas, quæ virgineas facies habebant. Virg. 3. Æn. 7 Phineum. 8 Vellus aureum, quod Phryxus in Colchidem portaverat. Quicquid alii de hoc aureo vellere variè fabulentur, & conjiciant, sive arietem aureo vellere fuisse, seu auream phialam protuberante ariete cœlatam, vel templum à Phryxo conditum, auroque ditatum, ego sub hujus ficti velleris cortice, divitias Colchorum latere opinor, atque eorum aurifodinas, quas absque immenso labore penetrare non potuerunt. Eadem itaque de causa Jason cum sociis Colchidem petiit, qua Hispani olim in Indiam navigarunt. [Fabulæ autem hujus originem, ni fallor, veram vir magnus in Catullum ingeniose excogitavit. Zibellinorum pelles auro contra pretiosas è Colchide in Græciam delatas esse antiquitus a Mercatoribus conjicit. Græci autem nullum vellus nisi ovium agnoverunt. Animal enim vivum nunquam viderunt, ideoque de ejus figurâ nihil certi statuere potuerunt. Ex Iberia autem & partibus septentrionalibus in Colchidem potuisse esse delatas nemo negabit, qui situm harum regionum perspexerit.] 9 Et responsum datur ab Æetâ, magnos inesse labores in rapiendo vellere aureo. 10 Certaminum. 11 Medea Æetæ, Colchorum regis, filia. 12 Amores 13 Et postquam diu amori repugnavit. 14 Amoris rabiem. 15 Seipsam Medea alloquitur. [*Mirumque nisi hoc est* i. e. *mirum est, nisi amo.* Veteres passim ita loquebantur Plautus Amphitryon: Act. 1. Sc. 1. *Mirum, ni hic me quasi murænam exossare cogitat.* Sulpicius Servastus in Catalectis Pithoei, de Cupiditate,

Mirum, ni pulcras artes Romana juventas
Discat, & egregio sudet in eloquio. Heinsius.]

16 Colligit ex his Medea sc. captam esse Jasonis amore, & quòd quæ mandarat Jäsoni Æeta, nimium difficilia factu videbantur, & quòd pro illo quem paulò antè vidisset, adeò timebat. 17 Nam & indomitos tauros, ignem ore naribusque efflantes, jugo subjicere, & tot hominum armatorum impetus sustinere, & pervigilem draconem debellare, quæ imperaverat Æetes, difficillima sunt factu. 18 Nunc solùm. 19 Tantæ sollicitudinis. 20 Expelle, ejice. 21 Magna amoris potentia mihi nunquam antehac experta. 22 Aliud amor, aliud ratio mihi ostendit. 23 Cognosco. Extant verba ejusmodi in Euripidis Medea.

[24] *Deteriora sequor.* [25] Quid in hospite, [26] regia virgo,
Ureris? & [27] thalamos [28] alieni concipis orbis?
Hæc quoque terra potest, quod ames dare. Vivat, an ille
Occidat, in [29] Diis est. Vivat tamen. Idq; precari
Vel sine amore licet. [30] Quid enim commisit Jäson?
Quam nisi crudelem, non [31] tangat Jäsonis ætas,
Et genus, & [32] virtus? quam non, [33] ut cætera desint,
Forma [34] movere potest? Certè mea pectora movit.
At, nisi opem tulero, [35] taurorum afflabitur ore:
[36] Concurretque [37] suæ segeti tellure creatis
Hostibus: aut [38] avido dabitur fera præda draconi.
[39] Hoc ego si patiar, [40] tum me de tigride natam,
Tum ferrum & scopulos gestare in corde fatebor.
Cur non & specto pereuntem? oculosque videndo
[41] Conscelero? cur non tauros [42] exhortor in illum,
[43] Terrigenasque feros, insopitumque draconem?
[44] Dî meliora velint. Quanquam non ista precanda,
Sed facienda mihi. Prodamne ego regna parentis,
Atque ope [45] nescio quis servabitur advena nostra,
[46] Ut per me sospes sine me [47] det lintea ventis,
Virque sit alterius; [48] pœnæ Medea relinquar?
Si facere hoc, aliamve potest præponere nobis,
[49] Occidat ingratus. Sed non [50] is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ;
Ut timeam fraudem, meritique oblivia nostri.
[51] Et dabit ante fidem: cogamque in fœdera testes
Esse Deos. Quid tuta times? [52] accingere; & omnem
Pelle moram. [53] Tibi se semper debebit Jäson,

24 Undè alibi: *Odi, nec possum cupiens non esse quod odi: Heu quàm, quod studeas ponere, ferre grave est!* Et, *Quod sequitur fugio, quod fugit ipse, sequor.* 25 Cur, cùm sis filia regis, peregrini amore ardes? Acerrime hic & in sequentibus cum ratione & amore luctantem Medeam, bellè Poëta noster exprimit. 26 Regis filia. 27 Nuptias. Nam *thalamus* propriè dicitur sponsi & sponsæ cubiculum. 28 Alienæ regionis. 29 In Deorum manu ac potestate est. 30 Quid mali fecit? 31 Commoveat. 32 Fortitudo, & corporis robur. 33 Ut cætera deesse concedam. 34 Pellicere ad amandum. 35 Oportebat enim Jäsonem tauros, ignem naribus efflantes, jugo subjicere. 36 Et confligere cum hominibus natis ex dentibus draconis ab ipso seminatis. 37 Sementi ab ipso factæ. 38 Insatiabili. 39 Ut draconi objiciatur Jäson. 40 Tunc me crudelissimam esse fatebor. 41 Sceleratos efficio. Ironia, quâ sibi talia non esse facienda proponit Medea. 42 Incantationibus stimulo. 43 Homines è terrâ natos. 44 [Potius *Dî meliora. Velim quamquam.* Ex vulgari formulâ; *ferant*, *vellent* subintelligitur. Val. Maximus l. IV, c. 3. *Sophocles ætate jam senior cum ab eo quidam quæreret, an etiamnum rebus venereis uteretur: Dî meliora, inquit.* Græcis εὐφήμει. Ideoque hæc ipsa responsio Sophoclis apud Platonem, ita se habet: εὐφήμει ὦ ἄνθρωπε. Heins.] 45 Q. d. ignotus quidam peregrinus. 46 Ut opera meâ salvus & incolumis, me relicta, discedat in patriamque revertatur. 47 Navigando recedat: nam *dare lintea & vela ventis*, est navigare. 48 Aut dolori, quo afficiar ex illius amore; aut supplicio, quod de me pater sumet. 49 Moriatur quia ingratus; est causa quâ dignus morte videatur. 50 Talis. 51 Et antequam illi opem feram, jurejurando promittet, me sibi uxorem futuram. Nam *dare fidem*, est sanctè aliquid promittere. 52 Præpara te ad opem Jäsoni ferendam. 53 Jäson semper tuus, tibique devinctus erit.

Te [54] face sollenni junget sibi: perque Pelasgas
[55] Servatrix urbes matrum celebrabere turbâ.
[56] Ergò ego [57] Germanam, [58] Fratremque, Patremque, Deosque,
Et [59] natale solum [60] ventis ablata [61] relinquam?
[62] Nempe pater sævus, [63] nempe est mea barbara tellus:
Frater adhuc infans: [64] stant mecum vota sororis.
[65] Maximus intra me [65] Deus est. Non magna relinquam,
Magna sequar; [66] titulum servatæ pubis Achivæ,
Notitiamque loci [67] melioris, & oppida, quorum
Hîc quoque [68] fama viget, [69] cultusque, artesque virorum:
[70] Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Æsoniden mutâsse velim: quo conjuge felix
Et Dîs chara ferar, & [71] vertice sidera tangam.
[72] Quid, quod nescio qui mediis concurrere in undis
Dicuntur montes, ratibusque inimica [73] Charybdis,
Nunc sorbere fretum, nunc [74] reddere; [75] cinctaque sævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?
Nempe tenens quod amo, gremioque in Jäsonis hærens,
Per freta longa ferar. Nihil illum amplexa verebor:
Aut, si quid metuam, metuam de conjuge solo.
[76] Conjugiumne vocas, [77] Speciosaq; nomina culpæ
Imponis, Medea, tuæ? [78] Quin [79] aspice quantum
Aggrediare nefas: &, dum [80] licet, effuge crimen.
Dixit: & ante oculos [81] rectum, [82] pietasque, pudorque
Constiterant: & [83] victa dabat jam terga Cupido.
Ibat ad [84] antiquas [85] Hecates Perseïdos aras:
Quas nemus umbrosum, secretaq; silva tegebant:

54 Matrimonio legitimo cujus insignia faces quinque, quæ ritu Romano novis nuptis præferebantur. Vide infrà Lib. 9. vers. 60. 55 Juventutis Græcæ servatrix laudibus extolleris. 56 Hactenus Medea amori est obsecuta: nunc ad honesti cogitationem ita redit, ut statim illam abjiciat. 57 Sororem Chalciopen. 58 Absyrtum. 59 Patriam. 60 Navibus ablata, i. avecta, quæ ventis aguntur. 61 Relinquere possim. Hoc ipsum se Jäsoni benignè præstitisse, epistolâ, quam ad eum misit, ita conqueritur: *Læse pater*, usque ad *perdomuisse virum*. Rursus in eâdem epistolâ: *Redde torum, pro quo tot res insana reliqui: Adde fidem dictis, auxiliumque refer.* 62 Objectionibus ita respondet Medea, ut colligat omninò Jäsonem esse juvandum, sibique conjugio copulandum. 63 Profectò 64 *Soror Chalciope mecum sentit.* Chalciope, Jäsoni favebat. 65 Cupido. 66 Gloriam servatæ juventutis Græcæ. [Alludit autem Poëta nisallor, ad morem Romanum, dandi militibus coronas, qui de patria *ob cives* suâ virtute *servatos* ingruente prælio bene meruerunt.] 67 Civilioris. 68 Gloria floret. 69 Ornatus. 70 Quem cum omnibus totius mundi rebus non permutarem. 71 Et mihi felicissima videbor. *Hor. Sublimi feriam sydera vertice.* Hyperbolica exsultatio. 72 Aliam causam assignat Medea, quâ Jäsonem sequendum esse sibi persuadet. Multa enim nova periculosaque se visuram ait, quales sunt Cyaneæ petræ. aliis Symplegades dictæ, quæ inter se concurrere dicebantur. 73 Vorago est in freto Siculo naves ad se trahens, atque absorbens. 74 Rejicere, removêre. 75 Circumdata rabidis canibus. Nam illius inguina in canes mutata dicuntur. 76 Rursus alia objectio. 77 Pulchra & honesta. 78 Imò. 79 Considera. 80 Potes. 81 Honestum. 82 In parentes & patriam amor. 83 Jam Cupido ab honesto & pietate victus a Medeæ mente recedebat. 84 Vetustum templum. 85 Erat hæc Hecate filia Persæ, qui frater Æetæ.

Et

Et jam fortis erat, pulsusque [86] resederat [87] ardor;
Cùm videt [89] Æsoniden: exstinctaque [89] flamma revixit.
Erubuêre genæ; totoque recanduit ore.
[90] Ut solet à ventis alimenta assumere, quæque
Parva subinducta latuit scintilla favilla,
Crescere; & in veteres agitata resurgere vires:
Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,
[Ut videt juvenem, [91] specie [92] præsentis inarsit.]
[93] Et casu, solito formosior Æsone natus
Illa luce fuit: [94] *Posses ignoscere* [95] *amanti.*
Spectat; & in vultu, veluti [96] nunc denique viso,
Lumina fixa tenet: nec se mortalia demens
Ora videre putat: [97] nec se declinat ab illo.
Ut verò cœpitque loqui, dextramque prehendit
Hospes, & auxilium [98] submissa voce rogavit,
Promisitque [99] torum; lacrymis ait illa profusis:
Quid faciam video: nec me ignorantia veri
Decipiet, sed amor; servabere munere nostro:
Servatus promissa dato. Per sacra [100] triformis
Ille Deæ, lucoque foret quod [101] numen in illo,
Perque [102] patrem soceri [103] cernentem cuncta futuri,
Eventusque suos, per [104] tanta pericula jurat.
Creditus, accepit [105] cantatas protinus herbas,
Edidicitque usum; lætusque in tecta recessit.
Postera depulerat stellas Aurora micantes:
Conveniunt populi sacrum Mavortis in [106] arvum;
Consistuntque jugis: [107] medio [108] rex ipse resedit
Agmine [109] purpureus, sceptroque insignis eburno.
Ecce [110] adamanteis [111] Vulcanum naribus efflant
[112] Æripedes tauri: tactæque vaporibus herbæ
Ardent. Utque solent [113] pleni resonare camini,
Aut ubi terrena [114] silices fornace soluti
Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum;
Pectora sic intus clausas volventia flammas,

86 Requieverat. 87 Impetus amoris. 88 Jäsonem Æsonis filium. 89 [*Vivere* & *mori* cum de flamma vel carbonibus sit sermo, apud Latinos frequenter dicitur. Apud Anglos quoque eadem formula est in usu; *living or dead coales* usurpatur pro carbonibus, vel prunis] 90 Ordo est: Ut parva scintilla, & quæ latuit superinducta favillâ, solet resumere alimenta à ventis, & crescere. 91 Pulchritudine. [Hunc versum etsi cum Heinsio libenter tollendum censerem, tamen sensus claudicat eo sublato, ideoque eum corruptum potius quam spurium esse libenter pronuntiavero; multum enim ab Ovidiana & dulcedine, & majestate distat.] 92 Jäsonis. 93 Et fortè Jäson illo die formosior fuit, aut videbatur, quam consueverat. 94 Unusquisque amanti Medeæ dare veniam posset. 95 Amore Jäsonis captæ. 96 Ac si nunc primùm, eum attentè videre potuisset. 97 Nec oculos suos ab illo avertit spectando. 98 Ne ab aliis, quæ dicebant, perciperentur. 99 Lectum nuptialem, ac nuptias ipsas. 100 Hecates, quæ & Luna, & Diana & Proserpina creditur esse. 101 Sc. per, i. per numen Hecates, Persæ filiæ, quæ in luco illo colebatur. 102 Solem, Æetæ patrem, quem sibi socerum Medeæ conjugio cupiebat. 103 Aspicientem omnia. 104 Quanta erat subiturus. 105 Incantatas. 106 In illo enim campo vellus aureum super fago arbore collocatum à pervigili dracone servabatur. 107 Coronâ eum circumstante. 108 Æeta. 109 Purpuratus, ac purpura ornatus. *Purpureum* enim dicimus, quod totum ex purpura constat; *purpuratum* verò purpura ornatum. 110 Quæ ne igne quidem poterant domari 111 Ignem. Metonymia efficientis. 112 Non pedes ære armatos, sive indutos habentes sed ex ære solidos, quos Vulcanus fabricatus erat. 113 Plenæ carbonibus ignitis fornaces. 114 E quibus in terrena fornace calx coqui solet.

Gutturaque [115] usta sonant. Tamen illis Æsone natus
Obvius it. Vertêre [116] truces [117] venientis ad ora
Terribiles vultus, [118] præfixaque cornua ferro;
Pulvereumque solum pede pulsavêre [119] bisulco;
[120] Fumificisque locum mugitibus implevêre.
[121] Diriguêre metu Minyæ. Subit ille, nec [122] ignes
Sentit anhelatos, tantum medicamina possunt.
[123] Pendulaque audaci mulcet palearia dextrâ;
Suppositosque jugo pondus grave cogit aratri
Ducere; & insuetum [124] ferro proscindere campum.
[125] Mirantur Colchi. Minyæ clamoribus [126] implent,
Adjiciuntque animos. Galea tum sumit aënâ
[127] Vipereos dentes; & aratos [128] spargit in agros.
Semina mollit humus valido [129] prætincta veneno:
Et crescunt, fiuntque sati [130] nova corpora dentes.
Utque [131] hominis speciem materna sumit in alvo;
[132] Perq; suos intus numeros [133] componitur infans;
Nec nisi maturus communes exit in auras:
Sic ubi visceribus gravidæ telluris imago
Effecta est hominis, foeto consurgit in [134] arvo.
Quodque magis mirum, simul [135] edita concutit [136] arma.
Quos ubi viderunt præacutæ cuspidis hastas
In caput Hæmonii [136] juvenis [137] torquere parantes;
Demisere metu vultumque animumque [138] Pelasgi.
[139] Ipsa quoq; extimuit, quæ tutum fecerat illum;
Utq; peti vidit juvenem tot ab hostibus unum,
Palluit; & subitò [140] sine sanguine frigida sedit.
Neve parum valeant à se data [141] gramina, [142] carmen
Auxiliare canit; secretasque advocat [143] artes.
[144] Ille, gravem medios silicem jaculatus in hostes,
A se depulsum [145] Martem convertit in ipsos.

115 Combusta, ut per quæ ignea flamma transeat. 116 Torvi aspectu. 117 Ad faciem Jäsonis venientis. 118 In summitate ferrum habentia fixum. 119 Bifidis pedibus, quales boum esse videmus. 120 Fumum facientibus. 121 Exhorruêre, expalluêre 122 [*Ignes anhelati*, i. e. flammas evomentes. Epist. Medeæ, *Isset anhelatos non præmedicatus in ignes Immemor Æsonides.* Lib. IV. Fast. de Ætna. *Cujus anhelatis ignibus ardet humus.*] 123 Pelles, quæ à gutture boum pendent *palearia* dicuntur. 124 Vomere exarare. 125 Stupescunt rei novitate. 126 [*Implere* pro *hortari* hîc & aliis in locis apud Poëtas frequenter sumitur. Virgil. lib. VII. *Turnus Rutulos animis audacibus implet.*] 127 Serpentis illius dentes, qui à Cadmo interfectus est. Nam partem dentium serpentis à Cadmo interfecti ad Æetem miserunt Pallas & Mars. 128 Disseminat. 129 Infecta potenti veneno, utpote ex quibus homines armati sunt nati. 130 Magna hominum armatorum corpora. 131 Hac similitudine declaratur, quomodo dentes serpentis figuram contraxerunt humanam. 132 Et per suas omnes particulas. 133 Cooritur. 134 In agro foecundo, qui tot armatos peperit. 135 Simul nata cum illis hominibus. 136 Jäsonis. 137 Cum impetu mittere. 138 [Minyeides] Thessali: infra vocantur *Achivi*. [Ita autem gentiles illos vocari testatur Stephanus; *Μινύα πόλις Θετταλίας· ἀπὸ Μινύης κληθεῖσα ἢ Μινύειον, ἢ Μινυῆϊς.* Adi notas in v. 1. lib. 4.] 139 Medea. 140 Qui timent, & pallidi & frigidi fiunt. Timore enim sanguis ad cor refugere dicitur. De hoc ita alibi: *Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi, Cum vidi subitos arma tenêre viros.* 141 Herbæ. 142 Incantationem opitulantem. 143 Magicas artes occultas. 144 Jäson. 145 Bellum.

[146] Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres;
Civilique cadunt [147] acie. [148] Gratantur Achivi:
[149] Victoremque tenent; avidisq; amplexibus hærent.
Tu quoque victorem complecti, barbara, velles;
[Obstitit incepto pudor: At complexa fuisses:]
Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ.
Quod licet, [150] affectu tacito lætaris: agisque
Carminibus grates, & [151] Dîs auctoribus horum.
Pervigilem [152] superest [153] herbis [154] sopire [155] draconem:
Qui crista linguisque tribus [156] præsignis, & uncis
Dentibus horrendus, custos erat arietis [157] aurei:
Hunc postquam sparsit [158] Lethæi gramine [158] succi:
[159] Verbaqs ter dixit placidos [159] facientia somnos,
Quæ mare turbatum, quæ concita flumina [160] sistant;
Somnus in [161] ignotos oculos subrepit: & auro
[162] Heros Æsonius potitur, spolioque superbus,
[163] Muneris auctorem secum spolia altera portans,
[164] Victor [165] Iölciacos tetigit cum conjuge portus.

146 Ex terra geniti. 147 Pugna. 148 Lætantur, gratulanturque Jäsoni victori. 149 Amplectuntur, quia victorem. [V. 145. tollit *Heinsius*.] 150 Amore occulto, 151 Diis inferis, Hecatæque imprimis. 152 Reliquum est ex iis, quæ jusserat Æetes. 153 Herbarum viribus. 154 In somnum adducere. 155 Semper vigilantem. Sic alibi: *Pervigil ecce draco squammis crepitantibus horrens Sibilat, & toto corpore verrit humum.* 156 Insignis. 157 Vellus aureum habentis. [In verbo *arietis* pedem proceleusmaticum habemus. Apud Virgilium frequenter legamus. Qui τὰ *abiete*, *ariete*, *abietibus*, *arietat* &c. similia frequenter contrahit.] 158 Succi inducentis somnum, & ob ivionem Est enim Letho inferorum fluvius, qui ἀπὸ τῆς λήθης, i. e. ab oblivione nomen accepit. Ejus aquam si quis gustaverit, is omnium præteritorum oblivisci fingitur. 159 Carmina inducentia. 160 Stare faciunt. 161 Antea enim nunquam dormire consueverat Draco. 162 Jäson Æsonis filius. 163 Medeam, quæ autor & causa fuit ut Jäson vellere aureo potiretur. 164 Voti compos 165 Jölcos est portus Thessaliæ, a quo solvebant Argonautæ Colchida petentes. [Hoc verbum *Jölciacus* pro *Thessalico* sæpe apud Poëtas ponitur licet librariorum inscitiâ identidem corruptum legitur. Propertius *Colchis Colchiacis urens aëna focis*; pro quo Scaliger reposuit *Jölciacis*.]

De novata Æsonis juventute. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Jäson postquam Medeam abductam in Græciam duxit, & promisso conjugio sibi copulavit; multis rebus expertus ingenium ejus, petiit parentem Æsonem senectute elisum in adolescentiam reduceret. At illa amore nondum deposito quem ex juventute ceperat, nihil negando ei, ahenum constituit, herbarumque genera, quarum scientiam habebat, variis regionibus quæsita incoquens, postquam animadvertit stipitem, quo versabat herbas, in arborem oleam ornatam baccis esse conversum; quæ quoque ex despumato aëno in terram

terram deciderant, in herbam lætissimam esse conversa, maturum tempus existimans, Æsonem interemtum madentibus herbis immiscuit: & ut promiserat conjugi, ex senectute in pristinum vigorem perduxit.

[1] HÆmoniæ matres pro gnatis [2] dona receptis,
Grandævique [2] ferunt patres: congestaque flammâ
Thura liquefiunt; [3] inductaque cornibus aurum
Cadit victima [4] vota: sed abest [5] gratantibus Æson,
[6] Jam propior leto, [7] fessusque senilibus annis.
Cum sic [8] Æsonides: O cui debere salutem
Confiteor, conjux, quanquam mihi cuncta dedisti,
Excessitq; fidem meritorum summa tuorum;
Si tamen hoc possunt; quid enim non carmina possunt?
Deme meis annis; & demtos adde parenti.
Nec tenuit lacrymas. Mota est pietate rogantis:
[9] Dissimilemque animum subiit Æeta relictus.
[10] Non tamen affectus tales confessa, Quod, inquit,
Excidit ore pio, conjux, scelus? Ergò ego [11] cuiquam
Posse tuæ videar spatium [12] transcribere vitæ? [Isto,
Nec sinat hoc Hecate; nec tu petis [13] æqua: sed i-
Quod petis, experiar majus dare munus, Jäson.
Arte mea [14] soceri longum tentabimus ævum,
Non annis revocare tuis. Modò [15] Diva triformis
Adjuvet; & [16] præsens ingentibus [17] annuat ausis.
Tres aberant noctes, ut [18] cornua tota [19] coïrent,
Efficerentq; orbem. Postquam plenissima fulsit,
Ac [20] solida terris spectavit imagine Luna:
Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos [21] humeris infusa capillos:
Fertque vagos mediæ per muta silentia noctis
Incomitata gradus. Homines, volucresque, ferasque
[22] Solverat alta quies: nullo cum murmure sepes,
Immotæque silent frondes; silet humidus aër.
Sidera sola micant. Ad quæ sua brachia tendens
Ter se convertit; ter sumtis flumine crinem
[23] Irroravit aquis; [24] ternis ululatibus ora

1 Thessaliæ. 2 Sc. *templis*: Diis enim sacrificabant propter filiorum reditum. 3 [Ita noster lib. x. ---*inductæ cornibus aurum Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ.*] 4 Devota. 5 Gratias Diis agentibus, seu ab iis, qui Jäsonem sospitem atque incolumem reversum gratulabantur. 6 Jam morti propinquus. 7 Senio confectus. Venus 2. Æn. de Anchise dixit: *Fessus ætate.* 8 Jäson Æsonis filius, sc. dixit. 9 Impium, qui nulla parentis pietate moveri potuerat. Medea enim patrem suum senem prodiderat, ac deseruerat. 10 Non tamen se ulla teneri patris Æetæ pietate confessa est Medea. 11 Alicui, qui mihi te sit charior. 12 Transponere. Elegans Metaphora ab iis, qui nomina sive pecuniam aliis creditoribus transcribunt. Sic *Ter.* Jube illud autem *transcribi* denuò. 13 Honesta. 14 Æsonis. 15 Hecate beneficiorum carminumque auctor. 16 Propitia. 17 Consentiat, faveat. 18 Lunæ. 19 Complerentur, atque conjungerentur, ut plenilunium fieret. 20 Plenilunii periphrasis. 21 Per nudos humeros sparsos capillos habens. 22 Intempestam mediamque fuisse noctem ostendit, quo tempore omnia in somnum animalia resolvuntur. 23 Inspersit. 24 Tribus ejulatibus os aperuit.

Solvit:

Solvit: & in dura [25] submisso poplite terrâ,
[26] Nox, ait, arcanis fidissima, quæque [27] diurnis
Aurea cum Luna succeditis [27] ignibus astra,
Tuque [28] triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris
Adjutrixque venis, [29] cantusque, artesque magarum,
Quæque magas, tellus, pollentibus instruis herbis;
Auræque, & venti, montesque, amnesque, lacusque,
Dîque omnes nemorum, Dîque omnes noctis [30] adeste:
Quorum ope, cùm volui, ripis mirantibus, amnes
In fontes rediêre suos: [31] concussaque sisto;
[32] Stantia concutio cantu freta; nubila pello;
Nubilaque induco; ventos abigoque vocoque:
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces:
Vivaque saxa, suâ convulsaque robora terrâ,
Et silvas moveo; jubeoque tremiscere montes:
Et mugire solum, manesque exire sepulcris.
Te quoque, Luna, [33] traho, quamvis [34] Temesæa labores
[35] Æra tuos minuant. Currus quoque carmine nostro
Pallet [36] avi; pallet nostris Aurora venenis.
Vos [37] mihi taurorum flammas [38] hebetâstis; & unco
Haud patiens oneris collum pressistis aratro.
Vos [39] serpentigenis [40] in se fera bella dedistis:
Custodemque [41] rudem somni sopistis: & [42] aurum
[43] Vindice decepto Grajas misistis in urbes.
Nunc opus est succis; per quos renovata senectus
In florem redeat, primosque recolligat annos.
Et dabitis: neque enim micuerunt sidera frustra;
Nec frustra [44] volucrum tractus cervice [44] draconum
Currus adest; aderat demissus ab æthere currus.
Quo simul ascendit; frænataq; colla draconum
[45] Permulsit, manibusque leves agitavit habenas;
[46] Sublimis rapitur: subjectaq; Thessala [47] Tempe

25 Flexis genibus. 26 Invocationes precesque Medeæ describit Poëta, veneficæ maximè convenientes. 27 Soli. 28 Τρικέφαλος, cui caput dextrum equinum, sinistrum caninum, medium humanum, vel suillum: vel Luna quæ eadem esse cum Dianâ ac Proserpinâ dicitur. Veneficarum autem Dea est Hecate. Vid. Horatii Satyr. VIII. Lib. I. de Canidia & Saganâ Veneficis. 29 Incantamenta. 30 Auxilio esse. 31 Agitata stare facio. 32 Maria quieta: nunquam enim stat mare. 33 De cœlo detraho, deduco, evoco, elicio. Nam veneficæ finguntur carminibus Lunam è cœlo detrahere. *Virg. Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.* 34 Est Temesa Brutiorum oppidum ære clarum. 35 Vasa. Creditur autem vulgò Luna veneficarum carminibus deficere: quæ ne ad ipsam possint pervenire, tinnitu æreorum vasorum occurritur. 36 [Æeta Solis Filius; unde liquet quare avum Medea hic vocet solem. Valerius Flaccus lib. VI.

Illius ad fremitus Sparsosque per avia succos
Sidera fixa pavent, & avi gemit Orbita Solis.]

37 In gratiam meam. 38 Hebetes reddidistis sic, ut comburere non possent. 39 E dentibus serpentum genitis hominibus. 40 Contra seipsos. 41 [Ignarum somni; Sic *rudes operum juvenci*, alibi apud nostrum, pro ignaris operum.] 42 Aureum vellus. 43 Custode dracone. 44 Alatorum, à quibus Medea vehebatur. 45 Blandè tractavit. 46 In altum aërem tollitur. Ex hujusmodi fabulis varii deinde variè commenti sunt de Veneficis, quarum corpora à Dæmonibus, si Diis placet, in loca peregrina deferuntur. 47 Loca sunt Thessaliæ inter Olympum & Ossam montes altissimos, arborum opacitate, fontium scaturigine, aviumque concentu amœnissima. Eleganter etiam *Tempe* descripsit Lib. I. vers. 569.

48 Despicit,

[48] Despicit, & [49] creteis regionibus applicat angues:
Et quas [50] Ossa tulit, quasq; altus [51] Pelion herbas,
Othrysq; Pindusq; & Pindo major Olympus,
[52] Perspicit: & placitâ partim [53] radice revellit;
Partim succidit [54] curvamine falcis aënæ.
Multa quoq; [55] Apidani placuerunt gramina ripis,
Multa quoque [56] Amphrysi: neque eras [57] immunis, [58] Enipeu:
Nec non [59] Peneæ, nec non Spercheïdes undæ
Contribuere aliquid, [60] juncosaq; littora [61] Bœbes.
Carpit & Euboica [62] vivax [63] Anthedone [62] gramen,
Nondum mutato [64] vulgatum [65] corpore Glauci.
Et jam nona dies curru, pennisque draconum,
Nonaque nox omnes lustrantem viderat agros;
Cùm rediit: neque erant [66] pasti, nisi odore, dracones;
Et tamen annosæ pellem posuêre senectæ.
Constitit adveniens citra limenque, foresque;
Et tantùm cœlo tegitur: refugitque viriles
Contactus; [67] statuitque aras e cespite binas.
Dexteriore Hecates, at lœva parte [68] Juventæ.
Quas ubi [69] verbenis, silvaque incinxit agresti;
Haud procul [70] egesta [71] scrobibus tellure duabus
Sacra facit: cultrosque in guttura [72] velleris atri
Conjicit; & patulas perfundit sanguine fossas.
Tum super invergens liquidi [73] carchesia Bacchi,
Æneaque invergens tepidi carchesia lactis;
Verba simul fundit, terrenaque numina [74] poscit:
[75] Umbrarumque rogat rapta [76] cum conjuge [77] regem,
Nè properent artus anima [77] fraudare seniles.
Quos ubi placavit precibusque & murmure longo;
Æsonis [78] effœtum proferri corpus ad aras
Jussit: & in [79] plenos resolutum [80] carmine somnos
Exanimi similem stratis [81] porrexit in herbis.

48 Deorsum aspicit. **49** [*Cretosis*. Thessalia cretæ feracissima: in Catalectis Petronianis, *Dum sumit creteam faciem Sertoria, cretam Perdidit illa simul, perdidit & faciem*. In *creteis* autem eliditur *e* secunda; ita lib. 11. *Aureüs ut Danaen, Asopida luserit igneus*, & lib. x. *---non ausus, eburnea virgo Dicere Pygmalion, similis mea, dixit, eburnea*. Heinsius.] **50** De hoc & cæteris montibus dictum est affatim Lib. 2. Fab. 1. **51** Thessaliæ mons. **52** Diligenter inspicit. **53** Sc. *cum*, ut cum radicibus evulsas herbas intelligamus. **54** Falce æreâ curvâ. Pleonasmus est. **55** Thessaliæ fluvius in Enipeum excurrens. **56** Multa quoque ex Amphryso Thessaliæ palude. **57** Quia Medea in illius quoque ripis multas collegit herbas. **58** Fluvius Thessaliæ velocissimus. **59** Thessaliæ fluvius. **60** Juncis abundantia. **61** Thessaliæ oppidi. **62** Ab effectu, quòd vitam & reddat & conservet. **63** *Anthedon* urbs est Bœotiæ. **64** Vulgo notum. **65** Glaucus enim, cùm esset piscator animadvertit pisces tactu cujusdam herbæ in mare resilientes: quam quidem cùm & ipse gustasset, in mare exsilivit, ac in Deum marinum mutatus, Scyllam vehementer amavit. **66** [Huc appositè Juvenalis Sat.

Virro sibi & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore.]

67 Erexit. **68** Juventutis Deæ. **69** Herba sacra qua aræ sternuntur, & coronantur. **70** Extracta terra. **71** Fossis. **72** Ovium nigrarum, quæ Hecatæ, aliisque Diis inferis sunt gratæ. **73** Vasa sunt ad potandum accommodata. Καρχήσιον, orig. vox Græca. **74** Invocat. **75** Plutonem. **76** Cum Proserpina, in Sicilia à Plutone rapta. **77** Privare, i. e. ne velint animam senis Æsonis intercipere. **78** Elumbem, enervem **79** Perfectos. **80** Incantatione. **81** Extendit.

Hinc

Hinc procul Æsoniden, procul hinc jubet ire ministros:
Et monet arcanis oculos removere [82] profanos.
Diffugiunt jussi: passis Medea capillis
[83] Bacchantum ritu flagrantes circuit aras:
[84] Multifidasque faces in fossa sanguinis atrâ
[85] Tingit: & [86] intinctas geminis accendit in aris:
[87] Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat.
Interea validum posito medicamen aëno
Fervet, & exsultat; spumisque tumentibus albet.
Illîc [88] Hæmonia radices valle resectas,
Seminaque, floresque, & succos incoquit acres.
Adjicit [89] extremo lapides Oriente petitos,
Et, quas Oceani refluum mare lavit, arenas.
Addit & exceptas Luna [90] pernocte pruinas,
Et [91] strigis infames, ipsis cum carnibus, alas;
[92] Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui [93] prosecta lupi. Nec defuit illic
Squamea [94] Cinyphii tenuis membrana chelydri,
[95] Vivacisque jecur cervi: quibus insuper addit
[96] Ora caputque novem cornicis sæcula passæ.
His & [97] mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit [98] mortari barbara munus;
Arenti ramo jampridem [99] mitis olivæ
Omnia confudit; summisque immiscuit ima.
[100] Ecce [101] vetus calido versatus stipes aëno
Fit viridis primò: nec longo tempore frondem
Induit; & subito [102] gravidis oneratur olivis.
At [103] quacunque cavo spumas ejecit aëno
Ignis, & in terram guttæ cecidere calentes;
Vernat humus: floresq; & mollia pabula [104] surgunt.

82 Sacris non initiatos. Erat hæc vox sacrificorum solennis, *Procul hinc, procul ite profani.*
83 More Baccharum.
84 In multas partes fissas.
85 Madefacit.
86 Madefactas. [Tales repetitiones Nasoni in deliciis; antea legebatur *infectas.*]
87 Et ter senem purgat, igne, aquâ, sulphure.
88 In vallibus Thessaliæ.
89 Ex ultima Orientis parte.
90 [*Pernox* Luna dicitur, quando totâ nocte splendet.] 91 *Strix* avis est nocturna, magno capite, rostro & unguibus aduncis. Poëta hoc loco *Strigis alas infames* ait, quia vulgus veneficas *strigas* appellat. *Striges* autem à *stridendo* dictæ sunt, ut testatur *Ovid.* 6. Fast. *Est illis strigibus nomen, sed nominis hujus causa, quòd horrendâ stridere nocte solent.* 92 Lupi etiam se soliti in hominem mutare particulæ huic medicamento additæ fuerunt: de hujusmodi nugis diximus Lib. 1. vers. 236. 93 Intestina, à *prosecando*, i. recidendo dicta. 94 Serpentis Libyci: nam *Cinyps* Libyæ fluvius est, qui inter duas Syrtes in mare Libycum exit. 95 Diu viventis. De longævitate cervorum multa dicuntur. 96 [Quid inter *ora caputque cornicis* intersit, non liquet. Repone itaque cum Heinsio *ova*; ova enim magicis sacris adhiberi solent. Ita *strigis ova* usurpantur Horatio Epod. v.] 97 Numerus certus pro incerto. 98 [i. e. Mortario; a *mortare* in sexto casu. Quod verbum vix usquam legitur. *Mortaria* apud Juvenalem legas,

Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,
Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos, Heinsius.]

99 Ab effectu, quòd oleum omnia mitia, sive quòd paci dicata est oliva, quæ mites ac mansuetos homines reddit. 100 Repentè aridum olivæ ramum viridem esse factum ostendit. 101 Aridus olivæ ramus. 102 Succo plenis. 103 Aliam item Metamorphosin describit Poëta: nam guttæ spumeæ, vi ignis ex aëno ferventi in terram ejectæ in varios flores fuerunt mutatæ. 104 Oriuntur.

Quod

105 Aperit. 106 Crines nigri antiquis pulcherrimi videbantur. 107 Celeriter accepêre. 108 Squalor: est enim situs fœda quædam lanugo ex humo, procreata in locis præsertim Sole carentibus. Indè fit, ut corpora illota *situm contrahere* dicamus & squalorem.

Quod simul ac vidit; stricto Medea [105] recludit
Ense senis jugulum: veteremque exire cruorem
Passa, replet succis. Quos postquam combibit Æson
Aut ore acceptos, aut vulnere; barba comæque
Canitie posita [106] nigrum [107] rapuêre colorem.
Pulsa fugit macies: abeunt pallorque [108] situsque;
Abjectoque cavæ [109] supplentur [110] sanguine venæ;
Membraque [111] luxuriant. Æson miratur, & olim
[112] Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.

109 Implentur. 110 Venæ implentur injecto Sanguine. Sic infra,

Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas.

111 Lasciviunt, & valdè pinguia ac nitida videntur. 112 Se ante quadraginta annos natum fuisse recordatur: quo significat Æsonem ex decrepito sene in virum quadraginta annos natum fuisse mutatum. [Ultimum versum qui in vulgatis circumfertur,

Dissimilemque animum subiit, ætate relicta,

Nec in textum recepit *Heinsius*, nec ejus in notis mentionem ullam facere voluit.]

Liberi nutrices in juventutem reductæ. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Liber Pater, ut animadvertit Æsonis senectutem remediis Medeam expulisse, rogabat Tethyem ut suis quoque nutricibus ferret auxilium, easque in adolescentiæ vigorem reduceret: cujus auctoritate compulsa, talibus illis juventutem reddidit, remediis, quibus Æsonem, in primitias reduxit, Medea antea; Liberoque æternum beneficium dedit.

1 Juventutem. 2 Nymphis, quæ infantem Bacchum educarunt.

Viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber: & admonitus [1] juvenes [2] nutricibus annos
Posse suis reddi; capit hoc à [3] Tethye munus.

3 [Depravati hujus loci lectio, dum Medeæ adscripserunt, quod Tethyi erat tribuendum, summos viros hactenus decepit. *Tethye* autem pro *Colchide* esse reponendum ex libris patet. Tethys autem Bacchum occultabat, quando Lycurgum fugiebat. Bacchus itaque hoc facto Medeæ attonitus, a Tethye idem munus petebat. *Heinsius*]

Pelias arte Medeæ à filiabus suis interemtus. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Peliades, Peliæ filiæ, ut viderunt arietem ætate gravatum herbis à Medea in agnum transfiguratum, ambitiosiùs ab ea petere cœperunt, ut Peliæ parenti restitueret quam temporis processione amisisset juventutem. Quod ut illa accepit, cupiens inimicum Jäsonis data occasione punire, impulit eas parentem interficere, laceratumque in aënum fervens dimittere. Quod ut factum est, currum draconibus junctum conscendit, & per aëra elata conspectum inimicorum profugit.

NEve [1] doli cessent; odium cum conjuge falsum
[2] Phasias [3] assimulat: Peliæque ad limina supplex
Confugit. Atque [4] illam (quoniam gravis [5] ipse [6] senectâ)
Excipiunt [7] natæ. Quas tempore callida parvo
Colchis amicitiæ fallacis imagine [8] cepit.
Dumq; [9] refert, inter meritorum maxima, demtos
Æsonis esse [10] situs; atque hac in parte moratur;
Spes est virginibus Pelia [11] subjecta [12] creatis,
Arte suum [13] parili revirescere posse [14] parentem;
[Idq; petunt: pretiumq; jubent [15] sine fine pacisci.]
Illa brevi spatio silet; & dubitare videtur:
Suspenditq; animos ficta [16] gravitate [17] rogantes.
Mox ubi pollicita est, Quò sit fiducia major
Muneris hujus, ait: Qui vestras maximus ævo est
[18] Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.
Protinus [19] innumeris [20] effœtus laniger annis
Attrahitur, [21] flexo circum cava tempora cornu:
Cujus ut Hæmonio marcentia guttura cultro
Fodit, & exiguo maculavit sanguine ferrum;
Membra simul [22] pecudis, [23] validosq; venefica succos

1 Medeæ fraudes. 2 Medea, à *Phasi* Colchorum fluvio, sic dicta. 3 Simulat se ab Jäsone marito odio haberi. 4 Medeam. 5 Pelias. 6 Ratio est, cur eam Pelias non exceperit. 7 Filiæ Peliæ. 8 Sibi conciliavit, & decepit. 9 Commemorat. 10 Squalores, & senium. 11 Injecta: propriè enim spes *injici* dicitur. 12 Peliæ filiabus. 13 Pari artificio. 14 Patrem Peliam. 15 Maximum & immensum pretium, i. e. quantum vellet. [Tollit hunc versum Heinsius.] 16 Simulata rei difficultate. 17 Peliæ filiarum. 18 Aries qui ovium dux esse videtur. [Ita Virgilius, *Vir gregis ipse caper.*] 19 Quamplurimis. 20 Viribus evacuatus. 21 Cornibus utrimque circum caput inflexis. 22 Arietis. *Pecus* propriè dicitur omne animal, quod sub hominis imperio è pabulo terræ pascitur ut boves, asini, equi, oves, capræ, & hujusmodi. Interdum sumitur pro quibusvis animalibus, quæ humana carent effigie & linguâ. Sic fuci à Virgilio appellantur *pecus*: *Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.* 23 Magnæ potentiæ succos, utpote quibus aries interfectus non solum vitæ fuerit restitutus, verum etiam agnus effectus.

Mergit in ære cavo. Minuuntur corporis artus:
Cornuaque exuitur, nec non cum cornibus annos;
Et [24] tener auditur medio balatus aëno.
Nec mora; balatum mirantibus exsilit agnus:
Lascivitque fuga; [25] lactantiaque ubera quærit.
Obstupuêre [26] satæ Pelia: promissaque postquam
[27] Exhibuere fidem; tum verò impensius instant.
[28] Ter juga Phœbus equis in [29] Ibero gurgite mersis
Demserat; & quarta radiantia nocte micabant
Sidera; cùm rapido fallax [30] Æetias igni
Imponit purum laticem, & sine viribus herbas.
Jamque neci similis, resoluto corpore, regem
Et cum rege suo custodes somnus habebat,
Quem [31] dederant cantus, magicæque potentia linguæ.
Intrârant jussæ cum [32] Colchide limina natæ:
Ambierantq; torum: Quid nunc dubitatis inertes?
Stringite, ait, gladios: veteremq; haurite cruorem;
Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas,
[In manibus vestris vita est ætasque parentis.]
Si pietas ulla est, nec spes agitatis inanes;
Officium præstate patri: [33] telisque senectam
[34] Exigite; & [35] saniem conjecto emittite ferro.
His, ut quæque pia est, hortatibus impia prima est:
[36] Et nè sit scelerata, facit scelus. Haud tamen ictus
Ulla suos spectare potest: oculosque reflectunt;
[37] Cœcaque dant sævis aversæ vulnera dextris.
[38] Ille, cruore fluens, cubitò tamen allevat artus:
Semilacerque toro tentat consurgere: & inter
Tot medius gladios pallentia brachia tendens;
Quid facitis, gnatæ? quid vos in [39] fata parentis
Armat, ait? Cecidere illis animique manusque.
Plura locuturo cum verbis guttura [40] Colchis
[41] Abstulit, & calidis laniatum mersit aënis.

24 Teneri agni balatus. 25 Lacte plena. 26 Filiæ Peliæ. 27 Fecêre. 28 Tres transierant dies. Nam Phœbus demere juga fingitur equis, Solis currum trahentibus. Sic 4. Fast. *Demserat emeritis jam juga Phœbus equis.* 29 Est Hispaniæ fluvius in mari Hesperio se exonerans. Itaque ex opinione vulgi inquit Poëta, solem, emensum iter diurnum, se in occiduo mari mersisse. 30 Medea fallendi perita. 31 Effecerat incantatio, seu carmina magica. 32 Medea. [Versum 336 tollit Heinsius.] 33 Ferro, gladio. 34 Expellite. 35 Saniosum sanguinem, cruorem. 36 Ne qua sit scelerata & impia non emittendo patris cruorem, scelus perpetrat ipsum interficiendo.

37 Quæ ipsæ filiæ non videbant. 38 Pelias. 39 Necem, perniciem. 40 Medea. 41 Ademit præscidit.

Cerambus

Cerambus in avem. *Fab.* V, VI, VII, VIII, & IX.

ARGUMENTUM.

Medea fugiens, ut docet Hesiodus, Othryn montem Thessaliæ petiit, in quem diluvio Deucalionis Cerambus Nympharum auxilio pennis delatus fuit, & in montem Parnasum, qui est altissimus. Hinc Pitanen Æoliæ urbem relinquens, vidit draconem in saxum esse transfiguratum. Deinde Idæum nemus adiit, in quo Liber Pater Thyoneum filium, qui à pastoribus Phrygiis juvencum abegerat, in venatorem vertit, ne à pastoribus persequentibus agnosceretur: juvencum verò in cervi effigiem transfiguravit. Transit & qua Corythi pater parvo conditus est sepulcro: & qua Mæra in canis figuram est conversa.

QUod nisi [1] pennatis serpentibus [2] isset in auras;
Non exemta foret pœnæ, fugit alta, superque
[3] Pelion umbrosum [4] Philyreïa tecta, superque
Othryn, & eventu [5] veteris loca nota Cerambi.
[6] Hic ope Nympharum sublatus in aëra pennis,
Cùm gravis infuso tellus foret [7] obruta ponto,
[8] Deucalioneas effugit inobrutus undas.
[9] Æoliam Pitanen a læva parte relinquit,
[10] Factaque de saxo longi simulacra draconis;
[11] Idæumque nemus: quo raptum furta juvencum
Occuluit Liber falsi sub imagine cervi:
Quaque [12] pater Corythi parva tumulatur arenâ:
Et quos [13] Mæra novo latratu terruit agros.

1 Alatis draconibus, ut supra.
2 Medea.
3 Vide supra vers. 224.
4 Chironis domum, quem Philyra Nympha ex Saturno peperit.
5 Antiquissimi
6 Cerambus.
7 Cooperta.
8 Diluvium quod fuit tempore Deucalionis & Pyrrhæ. Vid. Lib. 1.
9 Pitane urbs est Æolica.

10 Metamorphosin serpentis in lapidem significat, qui, quòd Orphei caput in Hebrum abjectum, & ad Lesbum insulam delatum, violare morsu voluisset, ab Apolline in saxum mutatus fuit. Sed vide infra Lib. 11. vers. 60. 11 Hæc est tertia Metamorphosis, nempe bovis, quem Thyoneus Bacchi filius suratus fuerat, in cervum. Dicunt & ipsum Thyoneum, bubulcos insequentes fugientem, à Baccho in venatorem mutatum fuisse. 12 Paris, qui in Gebrina Troadis oppidulo sepultus est. 13 Quarta mutatio, quam Poëta narrat, est *Mæræ* in canem versæ. Aliquot sequentes fabulæ admodum sunt obscuræ.

Coæ matronæ in boves, & Jalysii in scopulos. *Fab.* X, XI, XII.

ARGUMENTUM.

Ab his regionibus digressa Eurypyli urbem contigit, in quá à Junone Coæ matronæ in cornutas boves transfiguratæ sunt, cui conviciabantur, ægrè ferentes illius impulsu armenta Geryonia, rapta ab Hercule, per suos agros acta fuisse. Dehinc Telchinas Jalysios transgressa est: quos, quod fascinatores essent, & malefici, suo aspectu omnia in pejus commutantes, Jupiter in scopulos versos subjecit mari. Horum regione relicta pervenit in Ceam insulam, in qua Alcidamas vidit ex filia procreatam columbam.

[1] EVrypylique urbem, qua [2] Coæ cornua matres
Gesserunt, tum cùm discederat Herculis agmen:
[3] Phœbeamq; Rhodon: & [4] Jälysios [5] Telchinas,
Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
Jupiter exosus, [6] fraternis subdidit undis.

Transit & antiquæ [7] Carthæïa mœnia Ceæ,
Qua pater Alcidamas placidam de corpore natæ
Miraturus erat nasci potuisse columbam.

1 *Eurypylus* Herculis fuit filius, qui in Cô insulâ regnavit, augur peritissimus. 2 *Cos* insula est Ægei, maris, e regione Joniæ sita, undè fit Cous. In hâc insulâ natus fuit Hippocrates Medicorum princeps. Mulieres autem Coæ cùm ægrè ferrent ab Hercule armenta Geryoni erepta per agros suos fuisse acta, Junoni dicuntur convitiatæ. Quare Juno indignata eas omnes in vaccas mutavit. 3 Phœbo consecratam: nullus enim dies adeò nubilus est, ut ibi sol non appareat. 4 *Jalysius* una est ex Rhodi urbibus. 5 *Telchines* Rhodi populi fuerunt, qui cùm omnia suo aspectu in pejus commutarent, à Jove submersi fuerunt. 6 Neptuni. 7 Carthea est oppidum in insula Cea.

Cycnus in avem, & Hyrie in stagnum. *Fab.* XIII, & XIV.

ARGUMENTUM.

Post hæc lacum Hyries, & Cycni Tempe vidit: in quibus locis cùm Phylius quidam gravi amore Cycni Hyries filii teneretur, ejusque imperio volucres indomitas ac leonem cepisset, ac ubi manum pati coëgisset, ei tradidisset, neque

ideo

ideo potitus eo fuisset, indignatus, cùm novissimè taurum vicisset, petenti puero negavit. Quod ægrè ferens puer, cùm se ex præcipiti loco jaceret, in volucrem olorem conversus est. Hyrie autem mater ejus flendo assiduè casum filii sui, in stagnum Deorum misericordiâ delicuit, quod sui nominis est.

INdè lacus [1] Hyries videt, & Cycneïa Tempe,
Quæ [2] subitus celebravit olor. Nam [3] Phylius illîc
Imperio pueri volucresque ferumque leonem
Tradiderat domitos: taurum quoque vincere jussus
Vicerat; & spreto toties iratus amore,
Præmia poscenti taurum suprema negabat.
[4] Ille indignatus, Cupies dare, dixit: & alto
Desiluit saxo. Cuncti cecidisse putabant:
Factus olor niveis pendebat in aëra pennis.
At genitrix Hyrie, [5] servari nescia, flendo
[6] Delicuit: stagnumque suo de nòmine fecit.

1 Inde progressa Medea, vidit Tempe, non illa Thessalica, sed Bœotica: atque ibidem Cycnus filius Hyries subito in olorem conversus fuit; ipsa verò Hyrie flendo deliquescens in lacum cognominem. 2 Subito factus. Epitheton ab eventu. 3 Qui Hyries filium perditè amabat. [Male in vulgatis legitur *Phyllius*. Antonino enim Liberali apud quem solum hanc fabulam invenit *Heinsius*, (Metam. XII.) φύλιος sæpe.] 4 Puer, Hyries filius. 5 Putabat enim filium gravi lapsu periisse. 6 A *deliquesco*.

Combe in avem & Menephron feram, &c. *Fab.* XV, XVI, XVII, XVIII, & XIX.

ARGUMENTUM.

Ab his locis digressa Medea, Pleurona pervenit: in qua urbe, Combe ne à filiis (centum enim peperisse fertur) occideretur, Deorum misericordia effectum est, ut in avem transformaretur. Dein Calauream, ubi Latona maximè colebatur, cujus rex cum conjuge in volucres versi sunt.. Adiit & Cyllenen, ubi Menephron, ne cum matre concumberet, à Jove in feræ speciem transfiguratus est. Inde profecta vidit Cephisum nepotis sui exitium deflentem, qui ab Apolline in phocam transfiguratus fuerat. Vidit & domum Eumeli Admeti regis filii, lugentis filiam in volucrem cessisse.

ADjacet his [1] Pleuron: in qua trepidantibus alis
[2] Ophias effugit natorum vulnera Combe.
Indè [3] Calaurêæ Latoïdos aspicit arva,
In volucrem versi cum conjuge conscia regis.
Dextera [4] Cyllene est: in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, sævarum more ferarum.
[5] Cephison procul hinc deflentem fata nepotis
Respicit in tumidam phocen ab Apolline versi:
[6] Eumelique [7] domum lugentis in aëra natam.

1 *Pleuron* Ætoliæ urbs. 2 Ophii filia. 3 Insulæ inter Cretam & Peloponnesum sitæ, cui olim Latona, antequam eam pro Delo permutavit, præfuit. 4 Mons est Arcadiæ, ubi Mercurius natus dicitur. 5 Fluvium Bœotiæ præterlabentem Delphos: cujus filius ab Apolline in phocam, i. vitulum marinum fuit mutatus. Poëta noster de nepote narrat. 6 Ordo est: *Et*, supple, *respicis domum Eumeli lugentis natam in aëre*, nempe, *volantem*. 7 Patras, Achajæ urbem, in qua regnavit Eumelus cùm hospitio exciperet Triptolemum, cujus currum, illo dormiente, Eumeli filia conscendit, & periit.

Creüsæ mors: Phineus, Periphas, & Polypemon in aves. *Fab.* XX, XXI.

ARGUMENTUM.

Corinthum quoque, ubi Pirene fons est, curru alatis draconibus vecto accessit, ubi olim è fungis ortos homines ferunt. Reversa tandem, ut vidit ab Jäsone Creüsam Creontis Corinthiorum regis filiam sibi prælatam; regiam incendit, arsitque Creüsa cum patre: natos quoque suos ex Jäsone susceptos interemit. Inspectis itaque miserorum casibus, Athenas fugit: quæ quidem Athenæ Phineum, Peripham, neptemque Polypemonis volantes videre; ibi enim olim in aves conversi fuerant.

TAndem vipereis [1] Ephyren Pirenida pennis
Contigit. Hîc ævo veteres mortalia primo
Corpora vulgârunt [2] pluvialibus edita [2] fungis.
Sed postquàm [3] Colchis arsit nova nupta venenis,
Flagrantemque domum regis [4] mare vidit utrumque;
[5] Sanguine natorum perfunditur impius ensis;

1 Corinthum, sic nominatam ab Ephyre Oceani filia, quæ ibi prima habitasse dicitur: addit *Pirenida* à fonte Pirene, qui est ad radices Acrocorinthi. 2 Ex pluvia ortis. Apud Corinthum (ut Sabinus annotat) antiquitus homines ex fungis nati feruntur, ob primævos incolas ejus loci stultos, & fatuos: nam stolidi etiam proverbio dicuntur *fungi*. 3 Id est, Colchicis, adj. Medusa venena sua è Colchide secum portaverat. 4 [Duo maria quæ Isthmum Corinthiacum alludunt viderunt domum regis flagrantem.] 5 Duos filios ex Jäsone suscepit Medea, quos posteà ab illo contemta, & Creüsâ, Corinthiorum regis, filia, ducta uxore, trucidavit. Undè in *Epist. Hypsipyles* de Medeâ inquit; *Utque ego destituor conjux, materque duorum, A totidem natis orba sit, atque viro.*

[Ultaque

[Ultaque se male mater, Jäsonis [6] effugit arma.]
Hinc [7] Titaniacis ablata Draconibus, intrat
[8] Palladias arces; quæ te, justissime Phineu,
Teque, senex Peripha, pariter vidêre volantes,
Innixamque novis neptem Polypemonis, alis.

6 [Tollit hunc versum Heinsius.] 7 Alii dicunt, *E Titanum sanguine natis*: alii *à Titane*, i. e. Sole, *Medea dono datis*. 8 Athenas Palladi sacras.

Spuma Cerberi in Aconitum. *Fab.* XXII.

ARGUMENTUM.

Medeam Athenas ingressam, hospitioque susceptam, Ægeus rex matrimonio sibi junxit. Inter hæc Theseus Ægei filius, quem nunquam antea viderat pater, errore, & laboribus plenus advenit. Quem verita Medea, protinus ei venenum parat, quod Aconitum appellant. Hercules enim cùm ad inferos descendisset, missus ab Eurystheo ut canem tricipitem ad superos perduceret, cùm eum in regionem Ponticam perduxisset, territum ex novitate aëris vomitum animadvertit profudisse. Notato itaque loco, spumam ejus conversam invenerunt in præsentissimi veneni herbam, quam Aconitum niminant, quod in cautibus nascitur.

Excipit [1] hanc Ægeus, facto [2] damnandus in [3] uno:
Nec satis hospitium est, thalami quoque fœdere jungit.
Jamque aderat Theseus proles ignara Parenti;
Qui virtute sua [4] bimarem pacaverat Isthmon.
Hujus in exitium miscet Medea, quod olim
Attulerat secum Scythicis [5] aconiton ab oris.
Illud [6] Echidnêæ memorant è dentibus ortum
Esse canis. Specus est tenebroso cæcus hiatu:
Est via declivis, per quam [7] Tirynthius heros
[8] Restantem, contraque diem radiosque micantes
Obliquantem oculos, [9] nexis adamante catenis,
Cerberon abstraxit: rabida qui concitus irâ
Implevit pariter [10] ternis latratibus auras:
Et sparsit virides spumis albentibus agros.
Has concrêsse putant; nactasque alimenta feracis

1 Medeam. 2 Non laudandus, vituperandus. 3 In hoc uno facto, quo Medeam hospitio excepit. 4 Isthmon Peloponnesi: à quo dicta certamina Isthmia, quæ, ut Plutarchus vult, Theseus in honorem Neptuni instituit. Varii sunt Isthmi apud Geographos. 5 Herba est præsentissimi veneni *Aconitum*, ἀπὸ τῆς ἀκόνης, i. à *caute* dictum quòd in cautibus nascatur. 6 Cerberi venenosi, ἐχίδνα Latinis vipera. 7 Hercules à *Tyrinthe* patriâ cognominatus. 8 Resistentem. 9 Ex adamante confectis, ac per hoc firmissimis. 10 Quia tria habet capita.

Fœcun-

Fœcundique soli, vires cepisse nocendi.
Quæ quia nascuntur dura vivacia caute,
Agrestes *aconita* vocant. Ea [11] conjugis astu
Ipse parens Ægeus [12] nato porrexit, ut hosti.
Sumserat [13] ignarâ Theseus data pocula dextra;
Cùm pater in capulo gladii cognovit eburno
[14] Signa sui generis: [15] facinusque excussit ab ore.
Effugit [16] illa necem, [17] nebulis per carmina motis.

11 Astutia uxoris. 12 Filio Theseo. 13 Ipse ignarus & inscius. 14 E signo quod capulo eburneo erat insculptum Ægeus cognovit filium Thesea. 15 Venenum ab ore filii repulit, quo facinus dest natum erat. 16 Medea. 17 Subito per incantationes ortis nebulis, quibus vel abscondebatur, ne posset conspici, vel quibus, ut solebat, per aëra deferebatur.

Thesei gesta, & Scironis ossa in scopulos. *Fab.* XXIII.

ARGUMENTUM.

Ægeus agnito filio Theseo, ingenti lætitia perfusus dies festos indixit: quos agentes Thesei laudes referunt; quemadmodum taurum Marathonium interemisset; ut suem sævissimam, apri Calydonii, ac Erimanthii matrem, juxta Cromyona; ut Procrusten; ut Periphetam latronem Vulcani filium juxta Epidaurum; ut Sinem quoque latronem. Referunt præterea Cercyonis necem: qui trabes opponebat postibus, ita ut victi exanimarentur ab eis. Scironem quoque Neptuni filium, solitum iter facientibus insidias tendere: qui postquam à Theseo est interfectus, ejus fluctibus agitatus propter crudelitatem scopulo inhæsit: unde Scironides petræ sunt nominatæ ab ejus nomine.

AT [1] genitor, quanquam lætatur sospite [2] nato;
Attonitus tantum leti [3] discrimine parvo
Committi potuisse nefas, fovet ignibus aras,
Muneribusque Deos implet: feriuntque secures
Colla [4] torosa boum [5] vinctorum cornua vittis.
Nullus [6] Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxisse dies. [7] Agitant convivia patres,
Et medium vulgus: nec non & carmina, vino
Ingenium [8] faciente, canunt. [9] Te, maxime Theseu,

1 Ægeus. 2 Theseo incolumi. 3 Parva differentia. Parùm enim abfuit, quin venenum Theseus hausisset. 4 Crassa ac pinguia. *Torus.* 5 Habentium cornua vittis colligata. Ritè. 6 Athenienses dicuntur Erechthidæ à rege Erechtheo. 7 Celebrant. 8 Sic *Horat. Fœcundi calices, quem non fecêre disertum?* 9 Carmina refert, quæ in Thesei laudem canebantur.

Mirata eſt [10] Marathon [11] Cretæi ſanguine tauri:
Quodque ſuis ſecurus arat [12] Cromyona colonus,
Munuſque opuſque tuum eſt. [13] Tellus Epidauria per te
[14] Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem:
Vidit & [15] immitem [16] Cepheſias ora [17] Procruſten:
Cercyonis letum vidit [18] Cerealis Eleuſin.
Occidit ille [19] Sinis, magnis malè viribus uſus;
Qui poterat curvare trabes; & agebat ab alto
Ad terram latè ſparſuras corpora pinus.
Tutus ad [20] Alcathoën [21] Lelegeïa mœnia limes
[22] Compoſito Scirone patet: ſparſique latronis
Terra negat ſedem, ſedem negat oſſibus unda:
Quæ jactata diu fertur duraſſe vetuſtas
In ſcopulos. Scopulis nomen Scironis inhæret.
Si titulos annoſque tuos numerare velimus;
[23] Facta premant annos. Pro te, fortiſſime, [24] vota
Publica ſuſcipimus: Bacchi [25] tibi ſumimus hauſtus.
Conſonat aſſenſu populi, precibuſque faventum
Regia: nec tota triſtis locus ullus in urbe eſt.

10 Metonymia ſubjecti. Locus pro incolis. Marathon eſt Attici agri civitas, ferè decem millia paſſuum ab Athenis diſtans. In campis Marathoniis Miltiades Dux Athenienſis copias Darii regis Perſarum fudit fugavitque. 11 Cretenſis. Ex cretâ enim ab Hercule ad Euryſtheum ductus eſt. Res ita ſe habet. Minos Neptuno ſacrificaturus victimam optavit majeſtate illius dignam, cui Neptunus taurum obtulit pulcherrimum. Eum cùm ſervare vellet Minos, iratus Neptunus tauro furorem immiſit, à quo tota ferè inſula fuit devaſtata. Hunc autem Theſeus interfecit. 12 Eſt hoc oppidum in agro Corinthiaco, quem ſus incredibilis magnitudinis longè lateque devaſtabat. Hanc Theſeus necavit. [*Suis ſecurus* eleganter, i. e. ſecurus ab omni damno a ſue inferendo. Ita Virgilius, *Securus amorum Germanæ.*] 13 *Epidaurus* urbs eſt Peloponneſi, Æſculapii templo nobilis. 14 Latronem clavum gerentem, Vulcani filium, quem Periphetam vocant. 15 Crudelem. 16 Regio quam fl. Cephiſus præterfluit. 17 *Procruſtes*, *Cercyon*, *Sciron*, & *Sinis*, ſunt quoque latrones, quos Theſeus domuit. 18 *Eleuſis* vicus eſt & urbs Athenarum, ubi Cereris eſt templum, à quâ *Cerealis* fuit appellata. Inde Myſteria Cereris quæ in hoc oppido celebrabantur *Eleuſinia* dicta. 19 Latrò fuit, Iſthmum obſidens, qui duas pinus flectebat, ac utrique hominis brachio alligabat deinde ſurſum emittens, corpus vi diſcerptum maximo cruciatu afficiebat: hunc quoque Theſeus interfecit. 20 Tutum eſt iter ad urbem Megaras ab Alcathoö reſtauratas. 21 A Lelege condita, qui ab Ægypto advena Megaras munivit, & incolas à ſe Lelegas nominari voluit. Vide infra Lib. 8 verſ. 6 & 8. 22 Interfecto. Nam *componere* interdum finire eſt: qui autem necantur, finiuntur. 23 Geſta tua numero annos ſuperabunt. 24 Theſeïa ſignificat, quæ feſta in Theſei honorem Athenienſes inſtituerunt. 25 In ſalutem tuam.

Arne

Arne in monedulam. *Fab.* XXIV.

ARGUMENTUM.

Arne cùm insulam Scithona, in qua genita esset, hosti Minoï capta pulchritudine auri vendidisset, ne pro meritis supplicia penderet, in volucrem monedulam est transfigurata, quæ adhuc amore splendoris ejus tenetur.

NEc tamen (*usque adeò nulli sincera voluptas*
Sollicitique aliquid lætis intervenit) Ægeus
Gaudia percepit nato secura recepto.
Bella parat [1] Minos: qui quanquam milite, quanquam
Classe valet; patria tamen est [2] firmissimus [3] irâ:
[4] Androgeique necem [5] justis ulciscitur armis.
[6] Ante tamen bellum vires acquirit amicas:
[7] Quaque potens habitus, [8] volucri freta classe pererrat.
Hinc [9] Anaphen sibi jungit, & [10] Astypaleïa regna;
Promissis Anaphen, regna Astypaleia bello.
Hinc humilem [11] Myconon, [12] cretosaque rura [13] Cimoli,
Florentemque [14] Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,
[15] Marmoreamque Paron, quaque impia prodidit arcem
[16] Sithonis accepto, quod avara poposcerat, auro,
Mutata est in avem, quæ nunc quoque diligit aurum;
Nigra pedem, nigris [17] velata [18] monedula pennis.

1 Jovis filius ex Europâ fuit, rex Cretæ
2 Ferocissimus.
3 Irâ patri conveniente ob filii cædem.
4 Hunc Minois filium Athenienses invidiâ occiderant.
5 Justo bello, quippe quod pro filii cæde ulciscendâ fuit.
6 Tamen antequam bellum adversus Athenienses suscipiat, requirit sociorum agmina auxiliaria.
7 [Classe quâ erat potens habitus Minos, maria vicina omnia pererrabat]
8 Veloci.
9 Maris Cretici insula sponte emersa.
10 Insula maris Ægæi una ex Cycladibus. 11 Myconos quoque una est ex Cycladibus. 12 In illa enim effoditur creta, purgandis vestibus apta 13 Insulæ in mari Cretico. 14 *Cythnos*, *Scyros*, & *Seriphos* sunt insulæ ex Cycladibus. 15 Paros insula est una ex Cycladibus, candidissimum marmor producens: Parium vocant. 16 [Insula in quâ Arne Sithonia, ob aurum quod poposcit, in monedulam mutata fuit. Cythnos autem fuit. Ideoque *Siphon* pro *Cython* paullo ante, legendum.] 17 Tecta. 18 Avis est è graculorum genere, sic dicta quasi *monetula*, quòd monetæ & pecuniæ amore capiatur, ut ajunt.

Formicæ

Formicæ in homines ſive Myrmidonas mutatæ, *Fab.* XXV.

ARGUMENTUM.

Æacus, Jovis & Æginæ filius, cùm Oenopiam quam poſtea de matris nomine Æginam appellavit, incoleret, & gravi peſtilentiâ Junonis irâ populum amiſiſſet, precibus à Jove impetravit, ut quot formicæ in quercu apparuiſſent, tot verſæ in hominum facies deſideratam multitudinem explerent. Qui quoniam ex hujuſmodi animalibus creverant, Myrmidones ſunt appellati: formicæ enim Græcè myrmeces appellantur. Porrò ſenſus hos Cephalo ſciſcitanti narrat Æacus.

AT non [1] Oliaros, [1] Didymeque, & [1] Tenos, & [1] Andros,
Et [1] Gyaros, nitidæque ferax [1] Peparethos [2] olivæ,
[3] Gnoſſiacas juvêre rates: latere indè ſiniſtro
[4] Oenopiam Minos petit Æacideïa regna.
Oenopiam veteres appellavêre: ſed ipſe
[5] Æacus Æginan genitricis nomine dixit.
Turba ruit, tantæque [6] virum cognoſcere famæ
Expetit. Occurrunt illi Telamonque minorque
Quam Telamòn, Peleus, & proles tertia Phocus.
Ipſe quoque egreditur tardus gravitate ſenili
Æacus: & quæ ſit veniendi cauſa requirit.
Admonitus [7] patrii luctus ſuſpirat, & illi
Dicta refert rector [8] populorum talia centum:
Arma juves oro pro [9] gnato ſumta; [10] piæque
Pars ſis militiæ. [11] Tumulo ſolatia poſco.
Huic [12] Aſopiades, Petis [13] irrita, dixit, & urbi
Haud facienda meæ: neque enim conjunctior ulla
[14] Cecropidis hâc eſt tellus. Ea [15] fœdera nobis.

1 Sunt inſulæ Maris Ægæi, quæ Minoï adverſus Athenienſes opem non tulerunt.
2 Oleo abundans.
3 Naves Cretenſes. Gnoſſos olim urbs Cretæ primaria, Minoïs regia.
4 Nunc *Ægnia* vel *Engia* vulgò dicitur, inſula ſinus Saronici, hodiè *the Gulf of Engia*.
5 Jovis filius fuit: hic tres filios habuit, Telamonem, Peleum, & Phocum.
6 Minöa ſc.
7 Paternæ triſtitiæ, quam de filio conceperat Minos ab Athenienſibus interfecto. 8 Nam Creta centum olim urbes habuiſſe dicitur. Eſt ergo periphraſis Cretæ. De quâ alibi: *Non ego te centum Cretæ digeſta per urbes, Aſpiciam puero cognita terra Jovi.* Et; *Non hoc quæ centum ſuſtinet urbes, Quamvis ſit mendax Creta negare ſolet.* Hodie *Candia* dicta, ante aliquot annos à Turcis capta. 9 Pro ulciſcenda filii Androgei cæde. 10 Quæ pro filii nece vindicanda ſuſcepta eſt. Suprà dixit, *Arma juſta, Androgeique necem juſtis ulciſcitur armis.* 11 Filii ſepulchro. 12 Æacus Aſopi nepos Ægina enim, Æaci mater, filia fuit Aſopi, fluvii Bœotiæ. 13 Vana & mihi non facienda. 14 Athenienſibus, ita dictis à rege Cecrope. Sæpius ſupra. 15 Sc. *ſunt*, ut amici ſimus, & nos invicem juvemus.

16 Triſtis

[16] Triſtis abit, [17] ſtabuntque tibi tua fœdera magno,
Dixit: & utilius bellum putat eſſe minari,
Quàm gerere, atque ſuas ibi præconſumere vires.
[18] Claſſis ab Oenopiis etiam num Lyctia muris
Spectari poterat; cùm pleno concita velo
Attica puppis adeſt, in portuſque intrat amicos:
Quæ [19] Cephalum, patriæque ſimul mandata ferebat.
Æacidæ longo [20] juvenes poſt tempore viſum
Agnovere tamen Cephalum; dextraſque dedere:
Inque patris duxere domum. Spectabilis heros,
Et [21] veteris retinens etiamnum pignora formæ,
Ingreditur; ramumque tenens [22] popularis olivæ
A dextra lævaque duos ætate minores
Major habet, [23] Clyton & [23] Buten, Pallante creatos.
Poſtquam congreſſus primi ſua verba tulerunt;
Cecropidum Cephalus [24] peragit mandata, rogatque
Auxilium; [25] fœduſque refert, & jura parentum:
[26] Imperiumq; [27] peti totius [28] Achaïdos addit.
Sic ubi mandatam juvit facundia cauſam;
Æacus in ſceptri capulo [29] nitente ſiniſtrâ,
Ne petite auxilium, ſed ſumite, dixit, [30] Athenæ.
Nec dubiæ vires, quas hæc habet inſula, veſtras
Ducite, & omnis [31] eat rerum ſtatus iſte meorum.
[32] Robora non deſunt: [33] ſuperat mihi miles, & hoſti.
[34] *Gratia* Dîs, felix & inexcuſabile [35] tempus.
Imò ita ſit, Cephalus, creſcat tua civibus opto
Res, ait. Adveniens equidem modò gaudia cepi,
Cùm tam pulcra mihi, tam par ætate juventus
[36] Obvia proceſſit. Multos tamen [37] inde requiro,
Quos quondam vidi veſtra priùs urbe receptus.
Æacus ingemuit; triſtiquè ità voce locutus:
[38] *Flebile principium melior fortuna ſequetur.*
Hanc utinam poſſem vobis [39] memorare! ſine ullo

16 Mœſtus diſceſſit Minos, quia, quæ volebat, non impetravit.
17 Conſtabunt.
18 Claſſis Cretenſis. *Lyctus* eſt urbs Cretæ. Sic ſupra *Gnoſſiacus* à *Gnoſſo*.
19 Athenienſium legatum primarium.
20 Æaci filii, quos vide ſupra. 21 Priſtinæ pulchritudinis.
22 Athenis natæ, populove gratæ: erat autem id pacis ſignum, & auxilii petendi. Ritè.
23 Clytus & Butes filii Pallantis (cujus pater Pandion) claudebant utrumque latus Cephali.
24 Exponit mandata, quæ ab Athenienſibus acceperat.
25 Commemorat fœdus à ſuis majoribus cum Æginetis percuſſum.
26 Regnum.
27 Appeti à Minoë. Hoc autem ait, quò faciliùs Æaco perſuadeat, ut Athenienſibus contrà Minoëm auxilium ferat.
28 Achajæ & Græciæ.
29 Innitente capulo ſceptri. 30 Athenienſes. Continens pro contento. 31 Veniat, ſc. vobiſcum. 32 Vires. 33 Abundè mihi militum eſt, quibus metuar, & amicos juvem auxiliis, & hoſtes repellam. 34 Sc. *ſit.* Diis enim gratias agit Æacus. 35 Sc. *eſt mihi:* quo auxilium negare non neceſſe ſit. 36 Obviam venit. 37 Ex iis. 38 Poſtquam enim peſtis omnia conſumſerat, novi homines ex formicis orti ſunt. 39 Prolixius narrare.

[40] Ordine nunc repetam: neu [41] longa ambage morer vos.
[42] Ossa cinisq; jacent, memori quos mente requiris,
Et [43] quota pars illi rerum periêre mearum!
[44] Dira lues ira populis Junonis iniquæ
Incidit [45] exosæ [46] dictas à [47] pellice terras.
Dum visum [48] mortale malum, tantæque latebat
[49] Causa nocens cladis; [50] pugnatum est arte medendi:
[51] Exitium superabat [52] opem; quæ victa jacebat.
Principio cœlum spissa caligine terras
[53] Pressit, & [54] ignavos inclusit nubibus æstus:
[55] Dumque quater junctis explevit cornibus orbem
Luna, quater plenum [56] tenuata [57] retexuit orbem,
[58] Letiferis calidi spirârunt flatibus Austri.
Constat & in fontes [59] vitium venisse, lacusque;
Milliaque incultos serpentum multa per agros
Errâsse, atque suis fluvios [60] temerâsse venenis.
[61] Strage canum prima, volucrumque, oviumque, boumque,
Inque feris subiti deprensa potentia morbi.
Concidere infelix validos [62] miratur arator
[63] Inter opus tauros; medioque [64] recumbere sulco.
[65] Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros
Sponte sua lanæque cadunt, & corpora [66] tabent.
Acer equus quondam, magnæque in [67] pulvere famæ,
[68] Degenerat [69] palmas; [70] veterumque oblitus honorum,
Ad præsepe gemit, morbo moriturus inerti.
Non aper irasci meminit; non fidere cursu
Cerva; nec armentis [71] incurrere fortibus ursi.
[72] *Omnia languor habet*: silvisque, agrisque, viisque

40 Prooemio. 41 Superfluâ oratione. Describit Poëta formicarum mutationem in homines. Cùm enim Junonis irâ Æginæ incolæ pestilentia fuissent absumti, Æacus Jovem patrem rogavit, ut aut sibi populum suum restitueret, aut se quoque vita privaret. Cùm autem magnam formicarum multitudinem in vetusta quercu vidisset, Jovem rogavit, ut sibi tot cives, quot illæ formicæ erant, concederet. Jupiter Æaci precibus motus, quotquot formicæ in illa quercu erant, in homines commutavit, quibus Æacus ipse agros divisit. 42 Jam mortui sunt, quos requiris, & olim vidisse recordaris. 43 Q. d. minima. 44 Insanabilis pestis, cui nihil remedii poterat adferri.

45 Odio persequentis. 46 Denominatam insulam. Nam Oenopia insula Ægina ab Æaco, ex matris nomine appellata fuit. 47 Æginâ: quam Juno odio persequebatur, quia Jupiter cum eâ coïerat. 48 Humanum, non autem à Junonis irâ immissum. 49 Ira Junonis, quæ tantæ calamitatis causa erat. 50 Repugnatum est pesti. 51 Clades. 52 Auxilium. 53 Oppressit, occupavit. 54 Ab effectu, quòd homines ignavos & pigros reddant. 55 Per quatuor menses Austri, venti morbosi, spirarunt. Luna enim singulis quibusque mensibus crescit ac decrescit. 56 Diminuta. 57 Dissolvit. 58 Pestiferis fervoribus. 59 Aëris corruptionem. Τῶν ἀέρων φθορὰ Herodiano. 60 Corrupisse. 61 Ita fere Homerus de Peste, quam Apollo in Græcorum exercitum immiserat. *Iliad.* α. Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς. 62 Quia mali causam ignorat. 63 Inter arandum. 64 Procumbere, cadere. 65 Ovibus, quæ propriè balare dicuntur. 66 Putrescunt, ac macilenta fiunt. 67 In certaminibus, in quibus maximus pulvis excitatur 68 [*Degenerare* quando casum accusandi requirit, *dehonestare significat*. Aliquando quoq; *debilitare*, & *emollire* valet. Ita Columella, lib VII. c. XII. *Venus si teneris conceditur carpitur corpus & vires, animosque degenerat.*] 69 Victorias. 70 Antiquæ gloriæ. 71 Impetum facere. 72 Omnia animalia languida & infirma sunt effecta.

73 Corpora fœda jacent. Vitiantur odoribus auræ.
Mira loquor. Non 74 illa canes, avidæque volucres,
Non cani tetigere lupi: 75 dilapsa liquescunt;
Afflatuque nocent; & 76 agunt contagia latè.
Pervenit ad miseros damno graviore colonos
Pestis, & in magnæ dominatur mœnibus urbis.
Viscera torrentur primò: flammæque latentis
77 Indicium rubor est, & ductus anhelitus ægre.
Aspera lingua 78 tumet; trepidisque 79 arentia venis
Ora 80 patent, auræque 81 graves captantur hiatu.
Non 82 stratum, non ulla pati velamina possunt:
83 Dura sed in terra ponunt præcordia: nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.
Nec 84 moderator adest: inque ipsos sæva medentes
85 Erumpit clades; 86 obsuntque auctoribus artes.
Quò propior quisque est, servitque fidelius ægro;
In partem 86 leti citiùs venit: utque salutis
Spes abiit; 88 finemque vident in funere morbi;
89 Indulgent animis: & nulla, 90 quid utile, cura est.
Utile enim nihil est. Passim, positoque pudore,
Fontibus, & flaviis, puteisque capacibus hærent:
Nec prius est exstincta sitis, quàm vita, bibendo.
[Indè graves multi nequeunt consurgere; & ipsis
Immoriuntur aquis; aliquis tamen 91 haurit & 92 illas.]
93 Tantaque sunt miseris invisi tædia lecti;
Prosiliunt: aut, si 94 prohibent consistere vires,
Corpora devolvunt in humum, fugiuntque penates
Quisque suos; sua cuique domus 95 funesta videtur:
[Et, quia caussa latet, locus est in 96 crimine notus.]
97 Semanimes errare viis, dum stare valebant,
Aspiceres; flentes alios, terræque jacentes;
98 Lassaque versantes supremo lumina motu.
[Membraque 99 pendentis tendunt ad sidera cœli,
100 Hîc, illîc ubi mors deprenderat, 101 exhalantes.]

73 Cadavera fœtentia. 74 Cadavera. 75 Ita tabe absumebantur. Mirare meeum, lector, admirabilem pestis descriptionem. 76 Corruptionem longè mittunt. 77 Rubor faciei indicat viscera esse inflammata. 78 Inflatur. 79 Arida & sicca. 80 Aperta sunt & tenentur. 81 Perniciosæ. 82 Lectum. 83 Corpora inflata & aspera. 84 Medicus. 85 Invadit. 86 Et medicæ artes suis professoribus nocent. 87 Mortis. 88 Et finem morbi in funere & morte vident. 89 Faciunt quicquid ipsis libet. 90 Sc. sit. 91 Bibit. 92 Etiam illas cadaveribus infectas, in quibus multi moriebantur. [Distichum autem hoc, ut & versum 576, ex opere Ovidiano amandat Heinsius.] 93 Adeò invisos habent lectos, ut ex illis prosiliant. 94 Si cui sunt tam exiguæ vires, ut stare non possit, atque è lecto desilire, devolvit se quoquo modo potest in humum. 95 Pestifera, mortifera. 96 Culpâ. 97 Semimortuos. 98 *Oculos jam morte gravatos*, ut alibi noster ait. 99 Impendentis, imminentis. 100 Passim & ubique. 101 Expirantes. [Duos hos versus tollit Heinsius. Postremum autem admittere non gravatur, si emendationem sequentem receperimus:

Hîc, ubi mors, animam, deprenderat, exhalantes.]

Quid

Quid mihi tunc [102] animi fuit? an, quod debuit eſſe,
Ut [103] vitam odiſſem, & cuperem pars eſſe meorum?
Quo ſe cunque acies oculorum [104] flexerat; illîc
Vulgus erat ſtratum. Veluti cùm [105] putria motis
Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes.
Templa [106] vides [107] contrà gradibus ſublimia longis:
Jupiter illa tenet. Quis non altaribus illis
[108] Irrita thura tulit? quoties pro conjuge conjux,
Pro gnato genitor, dum verba precantia dicit,
Non [109] exoratis animam finivit in aris?
Inque manu thuris pars inconſumta reperta eſt!
[110] Admoti quoties templis, dum [111] vota ſacerdos
Concipit, & fundit [112] purum inter cornua vinum,
Haud [113] exſpectato ceciderunt vulnere tauri!
Ipſe ego ſacra Jovi pro me, patriaque, tribuſque
Cùm facerem natis, mugitus victima diros
Edidit: & ſubitò collapſa ſine ictibus ullis
Exiguo tinxit ſubjectos ſanguine cultros.
[114] Fibra quoque [114] ægra [115] notas veri, monituſque Deorum
Perdiderat. [117] Triſtes penetrant ad [118] viſcera morbi.
Ante [119] ſacros vidi projecta cadavera poſtes:
Ante ipſas, quò mors foret invidioſior, aras.
Pars [120] animam laqueo claudunt; mortiſque timorem
Morte fugant: ultroque vocant [121] venientia fata.
Corpora miſſa neci nullis de more [122] feruntur
[123] Funeribus: neque enim capiebant funera portæ.
[124] Aut inhumata premunt terras: aut [125] dantur in altos
Indotata rogos. Et jam reverentia nulla eſt:
Deque rogis pugnant: alieniſque ignibus ardent.
Qui lacryment, deſunt: indefletæque vogantur
Natorumque virumque animæ, juvenumq; ſenumque
Nec locus in [126] tumulos, nec ſufficit arbor in [127] ignes.

102 Qualis animus mihi fuit (inquit Æacus) i. qualem animum habui?
103 Talem animum debui habere, ut vitam odiſſem, ac mortuus eſſe cuperem.
104 Converterat.
105 Nimis matura & corrupta.
106 Hoc dicit Æacus digito templum demonſtrans.
107 E regione.
108 Vana, nihilque conferentia.
109 Sc. *Diis*.
110 Adducti in templa.
111 Dum ſacerdos precatur Deum.
112 Merum, ſine aquâ: mero enim in ſacrificiis priſci utebantur.
113 Non exſpectato ictu.
114 Vitiata. Fibras autem victimarum haruſpices inſpiciebant, ut prædicere futura poſſent.
115 Signa quibus verum cognoſcitur.
116 Et admonitiones.
117 Meton effic.
118 Ad inteſtina corrumpenda.
119 Ante ſacras templorum januas.
120 Pars ſe ſuſpendunt & ſtrangulant. 121 Venientem mortem. 122 Efferuntur: nam extrà urbem cadavera ſepeliebantur. 123 Exſequiarum honoribus. *Funus* eſt pompa exſequiarum, à *funalibus* dictum, quæ cadaveri præferebantur noctu enim mortui efferebantur ad ſepulturam. 124 Aut inſepulta jacent in terra. 125 Aut ſine ullo ſepulturæ honore in ignes mittuntur. Nam cadavera apud veteres cum ſuis ornamentis comburebantur, amicis ex proximis munera quædam in rogum conſerentibus. 126 Ad ſepulcra facienda. 127 Ad rogos exſtruendos.

Attonitus tanto miserarum [128] turbine rerum,
Jupiter ô, dixi, si te non [129] falsa [130] loquuntur
Dicta sub amplexus Æginæ Asopidos [131] isse :
Nec te, magne pater, nostri pudet esse parentem ;
Aut mihi redde meos : aut me quoque conde sepulcro.
Ille [132] notam fulgore dedit, tonitruque [133] secundo.
Accipio, sintque ista precor felicia mentis
Signa tuæ, dixi : [134] quod das mihi, pigneror, o- [men.
Fortè fuit juxta patulis rarissima ramis
Sacro Jovi quercus de semine [135] Dodonæo.
Hîc nos [136] frugilegas aspeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
[137] Rugosoque suum servantes cortice callem.
Dum numerum miror, Totidem, pater optime, dixi,
Tu mihi da [138] cives : & [139] inania mœnia reple.
Intremuit, ramisque sonum sine [140] flamine motis
Alta dedit quercus. Pavido mihi membra timore
Horruerant, [141] stabantque comæ. Tamen oscula terræ,
Roboribusque dedi : nec me sperare fatebar ;
Sperabam tamen : atque animo mea vota fovebam.
Nox [142] subit : & curis [143] exercita corpora somnus
Occupat. Ante oculos eadem mihi quercus adesse,
Et ramos totidem, totidemque [144] animalia ramis
Ferre suis visa est ; parilique tremiscere motu :
[145] Graniferumque agmen subjectis spargere in [146] arvis.
Crescere quod subitò, & majus majusq; videri,
Ac se tollere humo : [147] rectoque adsistere trunco ;
Et maciem numerumq; pedum, nigrumq; colorem
Ponere ; & humanam membris inducere formam.
Somnus abit. Damno vigilans mea [148] visa ; querorque
In superis opis esse nihil. At in ædibus ingens
Murmur erat : vocesque hominum exaudire videbar, [ni ;
Jam mihi desuetas. Dum suspicor has quoq; som-
Ecce venit [149] Telamon properus : foribusq; reclusis,
Speque fideque, pater, dixit, [150] majora videbis.
Egredere. Egredior : qualesque in imagine somni
Visus eram vidisse viros, ex ordine tales

128 Tantâ perturbatione rerum.
129 Falso : nomen enim pro adverbio positum est.
130 Sc. *homines*.
131 Concubuisse cum Asopi filia Ægina, & me genuisse.
132 Signum.
133 Prospero.
134 Accipio pro pignore felici, omen quod tu nunc das.
135 Laus à loco. *Dodona* enim urbs Molossidis in Epiro, juxta quam fuit sylva Jovi dicata, in quâ columbæ responsa dabant. [Quercus quoque Dodonæas esse fatidicas veteres asseverabant ; inde *Argo* Navem responsa dedisse Poëtæ fabulantur.]
136 Fruges ac grana colligentes.
137 Aspero.
138 Tot, nempe, quot ego hîc formicas cerno.
139 Evacuata, hominibus vacua.
140 Vento.
141 Erectæ erant.
142 Subsequitur.
143 Defatigatæ.
144 Formicas.
145 Formicarum multitudinem grana ferentium.
146 In arva subjecta.
147 Stare erecto corpore.
148 Insomnia.
149 Filius meus.
150 Majora, quam ut speranda credendaque sint.

Aspicio agnoscoque. [151] Adeunt; regemque salutant.
[152] Vota Jovi solvo, populisque recentibus urbem
[153] Partior, & vacuos priscis cultoribus agros;
[154] Myrmidonasque voco: nec origine nomina [155] fraudo.
Corpora vidisti: *Mores, quos ante gerebant,*
Nunc quoque habent. Parcumque genus, patiensque laborum,
Quæsitique tenax, & qui quæsita reservent.
Hi te ad bella [156] pares annis animisque sequentur:
Cùm primùm, qui te feliciter attulit, Eurus
(Eurus enim attulerat) fuerit mutatus in [157] Austros.

151 Accedunt ad me.
152 Gratias Jovi ago, & sacrifico.
153 Divido, distribuo.
154 Ἀπὸ τῶν μυρμήκων, i. e. à *formicis*.
155 Privo.
156 Eâdem eâdem nocte omnes nati esse videbantur.
157 Quia Ægina Athenas proficiscentibus Austro opus est.

Cephalus & Procris. *Fab.* XXVI.

ARGUMENTUM.

Cephalus refert invicem Æaco de donis à Procride conjuge acceptis, & cur, aut unde telum gereret. Cùm enim Cephalus in monte Hymetto Atticæ regionis venaretur, ab Aurora ob speciem raptus est: quem ut comperit Dea Procridis prioris conjugis amore implicitum à se velle divertere, fecit ut mutatâ specie remissus Athenas contenderet, eamque pollicitis muneribusque tentaret, an pudicitiam puram posset servare. Pluribus itaque rebus ad usum fœminarum comparatis, quibus capi posset, fallacia mentem Procridis elicuit. Quod ut illa comperit à marito se esse deceptam, pudore exterrita, ut conspectum ejus vitaret, altis se recondidit saltibus. Cephalus autem amoris impatientiâ, cùm ejus absentiam ferre non posset, precibus impetravit, ut ad se rediret: reversaque canem ei dedit velocissimum, & jaculum inevitabile, quòd nunquam frustra jaceretur.

TAlibus atque aliis longum sermonibus illi
Implevêre diem. Lucis [1] pars ultima [2] mensæ
Est data, nox somnis. [3] Jubar [4] aureus extulerat [4] Sol:
Flabat adhuc Eurus; redituraque vela tenebat.
Ad Cephalum Pallante [5] sati, cui [6] grandior ætas,

1 Vespera.
2 Cœnæ, convivio.
3 Splendorem diei. 4 Pulcher ac splendidus.
5 Filii Pallantis, Clytus & Butes, legationis comites. 6 Qui major natu erat.

Ad regem Cephalus, simul & Pallante creati
Conveniunt. Sed [7] adhuc regem sopor altus habebat.
Excipit Æacides illos in limine Phocus:
Nam Telamon [8] fraterque viros ad bella legebant.
Phocus in interius spatium, pulcrosque recessus
Cecropidas ducit, [9] cum quis simul ipse resedit;
Aspicit [10] Æoliden ignota ex arbore factum
Ferre manu jaculum; cujus fuit aurea cuspis.
Pauca priùs mediis sermonibus ille locutus,
Sum [11] nemorum studiosus, ait, cædisque ferinæ:
Qua tamen è [12] silva teneas hastile recisum,
Jamdudum dubito: certè, si fraxinus esset,
Fulva colore foret: si [13] cornus; nodus inesset.
[14] Unde sit ignoro: sed non formosius isto
Viderunt oculi [15] telum jaculabile nostri.
Excipit [16] Actæis è fratribus alter: &, [17] usum
Majorem [18] specie mirabere, dixit, in isto.
Consequitur, quodcunq; petit: [19] fortunaque missum
Non regit; & revolat nullo referente cruentum.
Tum vero juvenis [20] Nereïus omnia quærit:
Cur sit, & unde datum; quis tanti muneris [21] auctor.
[22] Quæ petit, ille refert, sed, quæ narrare pudori est,
Quâ [23] tulerit mercede, silet: [24] tactusque dolore
[25] Conjugis amissæ, lacrymis ità fatur obortis:
Hoc me, [26] nate Dea, (quis [27] posset credere ?) telum
Flere facit, facietque diu; si vivere nobis
Fata diu dederint: hoc me cum conjuge cara
Perdidit. Hoc utinam caruissem munere semper!
[28] Procris erat (si [29] fortè magis pervenit ad aures

7 Ad Æacum. 8 Peleus. 9 Quibuscum. 10 Cephalum, Æoli nepotem. 11 Venationibus delector, ferarum cæde. 12 Arbore: continens pro contento. 13 Cornus enim nodosa est arbor. 14 Ex quâ arbore. 15 Periphrasis est jaculi. 16 Atheniensibus. 17 Utilitatem. 18 Pulchritudine. 19 Nulli subjicitur fortunæ. Frustrà enim nunquam mittitur. 20 Phocus Nerei nepos. Psamathe, uxor Æaci, Nerei filia erat. 21 Quis fuerit dator tanti muneris. 22 Cephalus respondet ad ea quæ petit & cætera nota; sed quâ mercede ab uxore illud jaculum acceperit, præ pudore tacet. Neque enim refert Cephalus se ob pulcritudinem suam ab uxore accepisse. 23 Acceperit. 24 Et commotus. 25 Uxoris Procridis. 26 Phocus, quem alloquitur Cephalus, filius fuit Æaci ex Psamathe Nymphâ. 27 Me ob illud jaculum flere, quod tantæ sit utilitatis. 28 Erechthei, Atheniensium regis, filia fuit: quæ cum Cephalo nupsisset, Auroræ odio, quæ Cephalum in suos amplexus convertere nequivit, sub forma alieni viri muneribus à Cephalo ipso tentata, fidem marito datam fractura videbatur. Cùm autem se Cephalus indicasset, aufugiens, silvas petit, ac Dianæ comes effecta, tandem à Cephalo placatur, domumque reversa, maritum & cane, nomine Lælape, & jaculo admirandæ pulchritudinis, virtutisque (cujus missio nunquam fuit irrita, sed vim ferendi efficacissimam habuit) donavit. Cùm autem Procris cujusdam indicio comperesset, Cephalum cum quadam Nymphâ, nomine Aura, congredi solitum, clam eum in silvas secuta, ab inscio marito, eo telo, quod ab ipsa dono acceperat, fuit interfecta. 29 Ita infrà Lib. 9. *Nomine si qua tuo tandem pervenit ad aures, Dejanira, tuas.*

Orithyia

Orithyia tuas,) [30] raptæ ſoror Orithyiæ :
Si faciem moreſque velis [31] conferre duarum ;
Dignior [32] ipſa rapi. Pater hanc mihi [33] junxit Erechtheus :
Hanc mihi junxit amor. Felix dicebar, eramque :
([34] Non ità Dîs viſum eſt) ac nunc quoque forſitan eſſem.
Alter [35] agebatur poſt pacta [36] jugalia menſis ;
Cùm me cornigeris tendentem retia cervis
Vertice de ſummo ſemper [37] florentis [38] Hymetti
[39] Lutea mane videt pulſis Aurora tenebris :
Invitumque rapit. Liceat mihi vera referre
Pace Deæ ; quod ſit [40] roſeo [41] ſpectabilis ore,
Quod [42] teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quod alatur aquis ; Ego Procrin amabam :
Pectore Procris erat, [43] Procris mihi ſemper in ore.
Sacra [44] tori, coituſque novos, thalamoſque recentes,
Primaque deſerti referebam [45] fœdera [46] lecti.
Mota [47] Dea eſt ; &, [48] Siſte tuas, [49] ingrate, querelas ;
[50] Procrin habe, dixit : [51] quod ſi mea provida mens eſt ;
Non habuiſſe voles ; meque illi irata remiſit.
Dum redeo, mecumque Deæ [52] memorata [53] retracto,
Eſſe metus cœpit, nè jura jugalia [54] conjux
Non bene ſervâſſet. [55] Facieſque ætaſq; jubebant
Credere adulterium ; [56] prohibebant credere mores.
Sed tamen abfueram ; [57] ſed & hæc erat, unde redibam
Criminis exemplum : *Sed* [58] *cuncta timemus amantes.*
Quærere quo doleam, ſtudeo ; doniſque pudicam
[59] Sollicitare fidem. Favet huic Aurora timori :
Immutatque meam (videor ſenſiſſe) figuram.
Palladias [60] ineo non cognoſcendus Athenas :
Ingrediorque domum. Culpa domus ipſa carebat ;

30 [A Boreâ hanc autem lectionem veteri omnino elegantiorem Heinſio debemus ; antea legebatur *magnæ.*]
31 Comparare.
32 Procris : ſentit enim Cephalus Procrin Orithyiâ fuiſſe pulcriorem.
33 Hanc mihi in uxorem dedit.
34 Non ita Diis placuit, ut eſſem felix.
35 Incipiebat, ingrediebatur. Hæc eſt propria ejus verbi vis. Sic in *Epiſt.* 17. *Septima nox agitur, ſpatium mihi longius anno.* Ter. *Tum poſtquam ad te venit, menſis hic agitur ſeptimus.*
36 Poſt nuptias celebratas.
37 Thymo : ubi & mel optimum conficitur, & pulcherrimum marmor effoditur.
38 Montis prope Athenas.
39 Rubicunda. Cephalus autem tanta pulcritudine fuiſſe fertur, ut ab Aurora fuerit raptus.
40 Pulcro.
41 Digna quæ ſpectetur. 42 Nam Aurora media eſt inter diem & noctem. 43 Repetitio elegans. 44 Lecti & nuptiarum. 45 Nam Procridi dederat fidem ſe cum alia muliere non coiturum. 46 Derelictæ uxoris, vel violati conjugii. 47 Aurora commota & irata eſt. 48 Contine. 49 Mihi in amore morem non gerens, ut qui me, à quâ amaris, non redamas. 50 Ironia cum quadam indignatione. 51 Si prævideo futura, cupies nunquam habuiſſe Procrin. 52 Verba Auroræ. 53 Revolvo, cogito. 54 Uxor mea Procris. 55 Formoſa facies & juvenilis ætas Procridis me inducebant, ut crederem ipſam adulterium commiſiſſe. 56 Mores autem caſti me illud ſuſpicari non permittebant. 57 Sed & Aurora, à qua veniebam, ipſa erat exemplum adulterii. *Aurora* enim exemplo monſtravit, quàm facilè mulieres in adulterium incidant. 58 Sic *Epiſt.* 1. *Res eſt ſolliciti plena timoris amor.* 59 Tentare, infeſtare. 60 Intro.

Castaq; signa dabat: dominoq; erat anxia rapto.
Vix aditu per mille dolos ad [61] Erechthida facto;
Ut vidi, obstupui, meditataque pæne reliqui
Tentamenta [62] fide: male me, quin vera faterer,
[63] Continui; male quin, ut [64] oportuit, oscula ferrem.
Tristis erat: sed nulla tamen formosior illâ
Esse potest tristi; desiderioque [65] calebat
[66] Conjugis abrepti. Tu [67] collige, qualis in illa
Phoce, decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.
Quid referam, quoties tentamina nostra pudici
Reppulerint mores? quoties, Ego, dixerit, [68] uni
Servor, ubicunque est: uni mea gaudia servo.
[69] Cui non ista [70] fide satis experientia [69] sano
Magna foret? Non sum contentus; & in mea pugno
[71] Vulnera; dum [72] census dare me pro nocte paciscor.
Muneraque augendo, tandem dubitare coëgi.
Exclamo: [73] Male tectus ego en, male [74] pactus [75] adulter
Verus eram conjux: me, [76] perfida, teste teneris.
[77] Illa [78] nihil: tacito tantummodo victa pudore
[79] Insidiosa malo cum [80] conjuge limina fugit,
Offensâque mei genus omne [81] perosa virorum,
Montibus errabat, studiis [82] operata Dianæ.
Tum mihi deserto [83] violentior ignis ad ossa
Pervenit: orabam veniam; & peccâsse fatebar.
Et potuisse datis simili succumbere culpæ
Me quoque muneribus; si munera tanta darentur.
Hoc mihi confesso, læsum prius ulta pudorem,
[84] Redditur, & dulces concorditer exigit annos.
Dat mihi præterea, tanquam [85] se parva dedisset
Dona, canem munus: quem cum sua traderet illi
Cynthia, Currendo superabit, dixerat, omnes.
Dat simul & jaculum; manibus quod [86] (cernis) habemus.

61 Procrin, Erethrhei filiam. 62 Pro *fidei*, genitiv. cas. Archaismus.
63 Vix me continui, ut non faterer me Cephalum esse. 64 Ut honestum & conveniens fuit.
65 Urebat amore & desiderio absentis.
66 Mariti Cephali, quem putabat ab Aurora fuisse raptum.
67 Concude, ratiocinare; quod Græci συλλογίζειν dicunt.
68 Soli Cephalo.
69 Cui sapienti.
70 Pro *fidei*.
71 In meos dolores.
72 Amplas divitias.
73 [O me miserum! abscondi me ipsum.
74 Et pepigi misere.
75 Ut adulter deprehenderer? Hunc versum antea hoc modo legebant,
Exclamo Mala! pectora detego, tectus adulter.]
76 Quæ fidem violasti.
77 Procris.
78 Sc. *dixit*, *respondi*.
79 In quibus sibi structæ insidiæ fuerant. 80 Et me maritum suum. 81 Odio habens. 82 Occupata, dedita. 83 Amor vehementior. 84 Ad me redit. 85 Seipsam. 86 Ut vides.

Fera & canis in ſaxum. *Fab.* XXVII.

ARGUMENTUM.

Thebani, Naiabus Nymphiſque futura prædicentibus, Themidis Deæ, obſcura dantis reſponſa, templum everterunt. Indignata Dea, feram vulpem immiſit, quæ pecora & agreſtes vexabat. Ad quam opprimendam cùm reliqua Græciæ juventute convenit Cephalus, cum jaculo & Lælape cane, à Procride accepto. Qui cùm miſſus vulpem perſequeretur, eſſetque Cephalus telum conjecturus, utrumque aſpexit in ſaxum commutatum.

[1] MUneris alterius quæ ſit fortuna [2] requiris?
Accipe. [3] Mirandi novitate movebere facti.
[4] Carmina [5] Laïades non intellecta priorum
[6] Solverat ingeniis; & [7] præcipitata jacebat
Immemor [8] ambagum vates obſcura ſuarum.
Scilicet [9] alma Themis non talia linquit [10] inulta.
Protinus [11] Aoniis immittitur altera Thebis
[12] Peſtis; & exitio multi pecorumque ſuoque
[13] Rurigenæ pavêre feram. Vicina juventus
Venimus; & latos [14] indagine cinximus agros.
[15] Illa levi velox ſuperabat retia ſaltu:
[16] Summaque tranſibat poſitarum lina [17] plagarum.
[18] Copula detrahitur canibus, quos illa ſequentes
Effugit, & [19] volucri non [20] ſecius alite [21] ludit.
Poſcor & ipſe meum conſenſu [22] Lælapa magno.
Muneris hoc nomen. Jamdudum vincula [23] pugnat

1 Canis. 2 Lælapis Procri uxore donati. 2 Sc. *ſi.* 3 Audi rem admiratione dignam. 4 Ænigmata. 5 Oedipus Laii ex Jocaſta Filius. 6 Ænigma Sphinis Solverat. 7 Sphinx, quæ mœrore confecta, poſtquam Oedipus ænigma ſuum ſoluerat, ſeipſam de rupe præcipitem in terram dejecit. 8 Sui ænigmatis. 9 Themis, quæ & Rhamnuſia virgo vocatur, Dea eſt Juſtitiæ. *Alma* veneranda. 10 Cædem Laii & nuptiis Oedipi cum matre ſuâ Jocaſta, quæ ob ſolutum ænigma ei in uxorem a Thebanis data fuit, eique regnum pro dote ob ingentia illa merita collatum. 11 Bœotiis. Aoniam eſſe Bœotiæ partem ſæpius ſupra diximus. 12 Perniciosa multis fuit. 13 Agricolæ illam feram & ſuâ, & pecorum morte paverunt. 14 Ita vocantur plagæ, quibus venatores ſaltus & ſtabula ferarum cingunt. Sic *Virg. Saltuſque indagine cingunt. Indagare* eſt diligenter inquirere. Item, quod venatoribus proprium eſt, feras inveſtigare. 15 Fera. 16 Summos funes Metonymia materiæ: ex lino enim funes conficiuntur. 17 Retium. 18 Vinculum, quo canes colligantur. Sic *Triſt.* 5. *Utque canem pavidæ nactum veſtigia cervæ, Latrantem fruſtrà copula dura tenet.* Quam autem hic *copulam* dixit, ſequenti Libro vocavit *vincula: Vincula pars admunt canibus.* 19 Volanti. 20 Aliter quam i. e. Canis agrum circumcurſans eodem modo ludit, ac ales per aëra circumvolitans, dum vagabundus huc illuc errat. 21 Deludit, decipit. 22 A *velocitate* & *impetu* nomen hoc inditum fuit cani: λαίλαψ enim *turbo* dicitur, qui ventus eſt maximè impetuoſus. 23 Conatur detrahere.

Exuere

Exuere ipse sibi, colloque [24] morantia [25] tendit.
Vix bene [26] missus erat; nec jam poteramus, ubi esset,
Scire. Pedum calidus vestigia pulvis [27] habebat.
Ipse oculis ereptus erat. Non ocyor illo
Hasta, nec excussæ contorto [28] verbere [29] glandes,
Nec [30] Gortyniaco [31] calamus levis exit ab arcu.
Collis [32] apex medii subjectis imminet arvis:
[33] Tollor eo, capioque novi spectacula cursus.
[34] Qua [35] modo [36] deprendi, [37] modò se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est. Nec [38] limite [39] callida recto,
In spatiumque [40] fugit; sed decipit ora sequentis:
Et redit in [41] gyrum, nè sit suus impetus [42] hosti.
[43] Imminet hic, sequiturq; parem: similisq; tenenti
Non tenet, & [44] vacuos exercet in aëra morsus.
Ad [45] jaculi vertebar opem: quod dextera librat
Dum mea, dum digitos [46] amentis [47] indere tento;
Lumina [48] deflexi, revocataq; rursus [49] eôdem
Rettuleram: medio ([50] mirum) duo [51] marmora campo
Aspicio; fugere hoc, illud latrare putares.
Scilicet invictos ambo certamine cursus
Esse Deus voluit; si quis Deus [52] adfuit illis.

24 Remorantia, retinentia.
25 Contendit, nititur.
26 Dimissus erat ille canis.
27 Tenebat.
28 Contorta funda.
29 Emissæ funda glandes plumbeæ.
30 Cretensi. Nam *Gortyna* urbs est Cretæ. Cretenses autem præcipue celebrantur arte sagittaria.
31 Sagitta ex calamo confecta. Metonymicè.
32 Vertex.
33 In illum verticem ascendo.
34 Cursu, i. in quo cursu.
35 Interdum.
36 Comprehendi.
37 Interdum se subtrahere.
38 Itinere.
39 Astuta.
40 Sc. *rectum*. 41 In orbem. 42 Cani Lælapi. 43 Instat. 44 Inanes, quia feram comprehendere non poterat. 45 Volebam jaculum mittere. 46 *Amenta* sunt lora, quibus jacula faciliùs longiusque emittuntur. 47 Imponere. 48 Removi oculos a cane & fera. 49 Ad eundem locum. 50 Res miranda. 51 Duo marmorea signa. 52 Auxilio fuit.

Procris à Cephalo imprudentur interemta. *Fab.* XXVIII.

ARGUMENTUM.

Cephalus cùm Dianæ studio feras assiduè persequeretur, sæpeque ex nimio æstu refrigerari cupiens, auram invocaret, Nympham aliquis arbitratus vocari, Procridi ejus uxori indicavit. At illa in virgultis se recondidit, ut specularetur an esset aliqua Aura nomine, cujus ille cupiditate impulsus à se alienaretur. Cephalus procul speculatus moveri virgulta, dum latere feram existimat eo loco, reconditam jaculo emisso conjugem imprudens interfecit. Itaque teli, quod marito dederat Procris, ob iram Auroræ, vim maximo cum ipsius viri luctu experta est.

1 Hacte-

[1] HActenus: & tacuit. Jaculo [2] quod crimen in ipso?
Phocus ait. Jaculi sic crimina [3] reddidit ille.
Gaudia principium nostri sint, Phoce, *doloris*.
[4] Illa prius [5] referam. Juvat ô meminisse beati
Temporis, Æacida, quo primos [6] ritè per annos
Conjuge eram felix. [7] Felix erat illa marito.
Mutua cura duos, & amor [8] socialis habebat.
Nec Jovis illa meo [9] thalamos præferret amori:
Nec me quæ caperet, non si Venus [10] ipsa veniret,
Ulla erat. [11] Æquales urebant pectora flammæ.
[12] Sole fere radiis feriente [13] cacumina primis,
Venatum in silvas [14] juveniliter ire solebam:
Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus [15] acres
Ire canes, nec [16] lina sequi nodosa sinebam.
Tutus eram jaculo. Sed cùm satiata ferinæ
Dextera cædis erat; repetebam [17] frigus, & umbras
Et, quæ de gelidis halabat vallibus, *auram*.
[18] *Aura* petebatur medio mihi [19] lenis in æstu:
Auram exspectabam: requies erat illa labori.
Aura (recordor enim) *venias*, cantare solebam:
Meq; juves, intresque sinus gratissima nostros:
Utque facis, [20] relevare velis, quibus urimur, [20] æstus
Forsitan addiderim (sic me mea fata trahebant)
Blanditias plures, &, Tu [21] mihi magna voluptas,
Dicere sim solitus; Tu me reficisque, fovesque:
Tu facis, ut silvas, ut amem loca [22] sola: meoque
Spiritus iste tuus semper captatur ab ore.
[23] Vocibus ambiguis deceptam præbuit aurem
Nescio quis, nomenque *auratam* sæpe vocatum,
Esse putans Nymphæ: Nympham mihi credit amari.
Criminis [24] extemplo [25] ficti temerarius [26] index
Procrin adit: [27] linguaque refert audita [28] susurra.
[29] *Credula res amor est*. Subito collapsa dolore,

1 Sc. *locutus est Cephalus*. 2 Quæ in jaculo est culpa? Memor enim Phocus sive Æacus eorum, quæ Cephalus dixerat, meritò ipsum rogat, cujus mali causa fuerit jaculum illud, quo se Cephalus cum conjuge perditum fuisse ajebat. 3 Respondendo exposuit. 4 Gaudia. 5 Narrabo. 6 Perfectè. 7 Anadiplosis. 8 Ab effectu, quòd socios reddat. 9 Nuptias Jovis. 10 Quæ est pulcritudinis & venustatis Dea. 11 Par amor. 12 Matutino tempore in silvas venatum ire solebam. Est hæc matutini temporis periphrasis. 13 Scil. montium. 14 Juvenum more. 15 Odori. 16 Retia. 17 Opacum frigus, vel umbram frigidam. Sic *Virg. Ecl.* 2. *Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.* 18 Anaphora. 19 Suavis, jucunda. 20 Leves facere Solis fervores. 21 Hæ sunt blanditiæ, quibus utebatur Cephalus ad auram. 22 Deserta. 23 Verbis dubiis, quæ tùm ad auram, tùm ad amicam poterant referri. 24 Subito. 25 Falsi. 26 Delatos inconsideratus. 27 Et narrat, exponit. Est autem Pleonasmus, *lingua* enim redundat. 28 Murmura & voces, quibus auram vocabam. 29 Amantes omnia facilè credunt. Sic in *Epist. Hypsip. Credula res amor est: utinam temeraria dicar, Criminibus falsis insimulasse virum.*

Ut

Ut sibi narratur, cecidit: longoque [30] refecta
Tempore; se miseram, se fati dixit [31] iniqui:
[32] Deque fide questa est, & crimine [33] concita vano,
Quod nihil est, metuit; [34] metuit sine [35] corpore nomen:
Et dolet infelix veluti de pellice vera.
Sæpe tamen dubitat; [36] speratq; miserrima falli:
[37] Indicioque fidem negat: &, nisi viderit ipsa,
Damnatura sui non est delicta mariti.
[38] Postera depulerant Auroræ lumina noctem;
Egredior, [39] silvasque peto: victorque per herbas,
Aura veni, dixi, nostroque [40] medere labori.
Et subitò [41] gemitus [42] inter mea verba videbar
Nescio quos audisse. Veni, tamen, optima, dixi,
[43] Fronde levem rursus strepitum faciente [43] caducâ
Sum ratus esse feram, [44] telumque volatile misi.
Procris erat; medioque [45] tenens in pectore vulnus,
Hei mihi! conclamat. Vox est ubi cognita fidæ
Conjugis: ad vocem præceps, amensque cucurri:
Semanimem, & sparsas fœdantem sanguine vestes,
Et sua (me [46] miserum!) de vulnere [47] dona [48] trahentem
Invenio. Corpusque meo mihi carius ulnis
[49] Sontibus attollo, scissaque à pectore veste
Vulnera sæva ligo, conorque inhibere cruorem:
Neu me morte sua sceleratum deserat, oro.
Viribus illa carens, & jam [50] moribunda, [51] coëgit
Hæc se pauca loqui: Per nostri fœdera lecti,
Perque Deos supplex oro, superosque, meosque,
[52] Per si quid merui de te bene; perque [53] manentem
Nunc quoque cùm pereo, causam mihi mortis, amorem;
Nè thalamis *Auram* patiare [54] innubere nostris.
Dixit: & errorem tum denique nominis esse
Et [55] sensi, & docui. Sed quid docuisse juvabat?
[56] Labitur; & parvæ fugiunt cum sanguine vires:
Dumque aliquid spectare potest: me spectat, & in me
Infelicem animam nostroque [57] exhalat in [58] ore.

30 Recreata.
31 Infelicis sortis.
32 Lamentata est, quòd illi fidem datam fregissem.
33 Commota.
34 Anadiplosis.
35 Aura enim corpore caret.
36 Timet ne decipiatur ab indice.
37 Fidem delatori & indici non adhibet.
38 Postridie.
39 Et in silvas vado.
40 Succurre.
41 Quædam suspiria.
42 Inter loquendum.
43 Quæ ab arbore ceciderat.
44 Jaculum velox.
45 Habens.
46 Flens hæc narrabat Cephalus.
47 Jaculum, quod mihi dono dederat.
48 Extrahere conantem.
49 Brachiis sceleratis.
50 Moriens.
51 Vim sibi fecit, ut hæc pauca loqueretur jam jam exspiratura.
52 Oro te per id, si quid gratum tibi feci.
53 Perseverantem.
54 Invadere, occupare nostros thalamos. Auram autem Nympham putabat esse Procris.
55 Cognovi. 56 Moritur. 57 Exspirat. 58 In nostrum os. More veterum.

Sed vultu [59] meliore mori ſecura [60] videtur.
[61] Flentibus hæc lacrymans [62] heros memorabat; & ecce
Æacus ingreditur duplici [63] cum prole, novoque
[64] Milite; quem Cephalus cum fortibus accipit armis.

59 Lætiore. 60 Pellicis cura liberata Jam enim ex Cephalo cognoverat auram non eſſe Nympham, ut ipſi putabat, ſed lenem ventorum flatum. 61 Phoco & filiis Pallantis. 62 Cephalus. 63 Cum duobus filiis, Telamone & Peleo, qui militum delectum habuerant. 64 Et cum novis militibus.

X PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER VIII.

Nisus rex in halyæetum, & Scylla in cirim. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Minos Jovis & Europæ filius, cùm propter Androgeum filium interemtum ab Atheniensibus pœnas repeteret; Megaram, qua in urbe regnabat Nisus, accessit: animo enim conceperat, eâ expugnatâ, occisisque hostium præsidiis, facilè victoriam consecuturum. Inter quæ Scylla Nisi filia sæpe murum ascendit delectandi gratiâ, propter lapides ejus vocales: si quis enim eos calculo percussisset, haud aliter ac pulsata cithara insonabant. Apollo enim ædificando muro navaturus operam, lyram super lapides deposuit: cujus sonus in eos transiit. E muro igitur Minoëm urbi assidentem, cultu regali bellicis rebus interesse ut animadvertit, pulcritudine ejus exarsit, & cùm potiundi nullam viam inveniret aliam, victorem hostem fecit, purpureum patri dormienti crinem abscindens, quo patriæ fata continebantur: quem cùm reseratis portis accepto hoste ad Minoëm pertulisset, ille impium facinus aversatus est. Novissimè eam navigio recipere noluit: patre jam in avem transfigurato, qui Græcis Halyæëtus dicitur, & persequente filiam, illa quoque in volucrem cirim versa est.

1 Jam

[1] Jam nitidum [2] retegente diem, noctisq; fugante
Tempora [3] Lucifero, [4] cadit Eurus; & humida surgunt
Nubila. Dant [5] placidi [6] cursum redeuntibus Austri
[7] Æacidis, Cephaloque; quibus feliciter acti
[8] Ante exspectatum [9] portus tenuêre petitos.
[10] Interea Minos [11] Lelegeïa littora vastat:
Prætentatque sui vires [12] Mavortis in urbe
Alcathoë, quam Nisus [13] habet: cui splendidus [14] ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhærebat magni [15] fiducia regni.
[16] Sexta resurgebant orientis cornua Phœbes:
Et [17] pendebat adhuc belli Fortuna; diuque
[18] Inter utrumque volat [19] dubiis Victoria pennis.
[20] Regia turris erat [21] vocalibus addita muris:
In quibus auratam proles [22] Latoïa fertur
Deposuisse lyram: saxo sonus ejus inhæsit.
Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi;
Et [23] petere exiguo resonantia saxa lapillo;
Tum cùm pax esset. Bellum quoque sæpe solebat
Spectare, eque illâ rigidi certamina Martis.
Jamque [24] morâ belli [25] procerum quoque nomina nôrat.
Armaque, equosque, habitusque, [26] Cydoneasque pharetras.
Noverat ante alios faciem [27] ducis Europæi;
[28] Plùs etiam, quàm nôsse sat est. Hac judice Minos
Seu caput [29] abdiderat [30] cristatâ casside pennis,
In galea formosus erat: seu sumserat auro
Fulgentem clypeum, clypeum sumsisse decebat;
[31] Torserat [32] adductis hastilia lenta lacertis;
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.
Imposito [33] patulos calamo [34] sinuaverat arcus,
Sic Phœbum sumtis jurabat stare sagittis.
Cùm verò faciem [35] demto nudaverat ære,
[36] Purpureusque albi stratis insignia pictis

1 Reditum Cephali Athenas cum auxiliis, ab Æaco acceptis, describit Poëta. 2 Aperiente, ostendente. 3 Stella Veneris, diem ferente. 4 Flare desinit. 5 Lenes, non vehementes. 6 Celerem navigationem. 7 Militibus ab Æaci filiis in insula Ægina conscriptis. 8 Antequam exspectarentur. 9 Athenienses portus, quò pervenire cupiebant. 10 Cùm Megaras Minos oppugnaret, Scylla, Nisi regis filia, Minois ipsius amore capta, ei patriam prodere decrevit. Patri igitur dormienti purpureum capillum, in quo patris salus continebatur, recidit, quem cùm ad Minoëm pertulisset, conviciis repulsa, atque contemta, in avem Cirin fuit mutata, cùm jam pater Nisus in Halyæëtum avem fuisset commutatus. 11 Megarensia. Megaræ conditæ à Lelege, & restauratæ ab Alcathoö. Hinc Alcathoë vocatur. Vide supra Lib. 7. vers. 444. 12 Sui belli. 13 Possidet. 14 Purpurâ. 15 Quamdiu enim crinem illum haberet, privari non poterat regno. 16 Sexto mense post cœptam obsidionem Megaras proditas fuisse ait. 17 Suspensa, ambigua & incerta erat. 18 Minoëm & Nisum. 19 Dubio eventu. Incertus enim est semper belli eventus: alatam ergo victoriam effingit Poëta, quòd modò huc, modò illuc volare videatur. 20 Turrim describit. cujus muri vocales sunt effecti. 21 Resonantibus, vocem reddentibus. Cùm enim Alcathoüs Megaras muniret, Apollo illi opem tulit, & Lyram juxta mœnia deposuit, cujus sonus mox in lapides transiit. 22 Latonæ filius Apollo. 23 Percutere. 24 Diuturnitate. 25 Ducum. 26 Cretenses. Est Cydon urbs Cretæ. 27 Minois. Jovis & Europæ filii. 28 Nam eum etiam amabat. 29 Occultaverat, texerat. 30 Galea cristis ornata. 31 Jaculatus fuerat. *Torquêre* ut hic sumitur, est cum impetu jacere. 32 Retroductis. 33 Curvaverat, contraxerat. 34 Sagittâ. 35 Deposita galea ex ære. Materia pro materiato. 36 Et purpuratus.

Terga [37] premebat equi, spumantiaque ora [38] regebat :
Vix [39] sua, vix sanæ virgo [40] Niseïa compos
Mentis erat : felix jaculum, quod tangeret ille,
Quæque manu premeret, felicia fræna vocabat.
Impetus est illi (liceat [41] modò) [42] ferre per agmen
Virgineos hostile gradus : est impetus illi
Turribus è summis [43] in Gnossia mittere corpus
Castra ; vel [44] æratas hosti [45] recludere portas ;
Vel si quid Minos aliud velit. Utque sedebat
Candida [46] Dictæi spectans tentoria regis ;
Læter, ait, doleamne geri lacrymabile bellum,
In [47] dubio est. Doleo quod Minos hostis amanti est.
[48] Sed nisi bella forent, nunquid mihi cognitus esset ?
Me tamen acceptâ poterat [49] deponere bellum
[50] Obside : me comitem, me pacis pignus habere.
Si, quæ te peperit, talis, pulcherrime rerum,
Qualis es ipse, fuit ; merìtò [51] Deus arsit in illâ.
O ego ter [52] felix, Si pennis lapsa per auras
[53] Gnossiaci possem castris insistere regis :
[54] Fassaque me, flammasque meas, Qua dote, rogarem,
Vellet [55] emi ! [56] Tantùm patrias ne posceret arces.
Nam pereant potiùs [57] sperata cubilia ; quàm sim
[58] Proditione potens. Quamvis sæpè utile vinci
Victoris placidi fecit clementia multis.
[59] Justa gerit certè pro nato bella peremto :
In [60] caussaque valet, caussamque tuentibus armis.
Ut puto vincemur. Qui si manet exitus urbem ;
Cur suus hæc [61] illi [62] reserabit mœnia [63] Mavors,
Et non noster amor ? Melius sine cæde, moraque,
[64] Impensâque sui poterit superare cruoris.
Quam metuo certè, nè quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens. Quis enim tam durus, ut in te
Dirigere [65] immitem nisi nescius audeat hastam ?

37 Equitabat. 38 Cohibebat; coërcebat. 39 Vix in suâ erat potestate. 40 Scylla Nisi filia. 41 Modò possit. 42 Ire. 43 Cretensia. *Gnossus* vel Cnossus urbs Cretæ. Sæpius supra. 44 Ære & ferro munitas & tectas. 45 Aperire. 46 Cretensis. *Dicte* est mons Cretæ. 47 Sic *mihi*. Dubitat enim Scylla, utrùm potius lætari bello adversus patrem sumto, an dolere debeat. 48 Lætandum mihi potiùs est bello, quàm dolendum : nisi enim bellum fuisset, nunquam Minoëm cognovissem. Sic alibi : *Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset ?* 49 Dimittere, finem imponere bello 50 *Obsides* dicuntur, qui in fœderibus imperio alterius ita traduntur, ut, si dator obsidis à fide recedat, recipientis sit jus in corpus & vitam illius, qui obses traditus est. Itaque olim ferè regum liberi obsides datos legimus. 51 Jupiter illam amavit. 52 Beata 53 Minois regis Cretæ. 54 Et ego confessa me filiam esse Nisi regis, & amores meos, rogarem ipsum, quâ dote vellet emi, & esse meus. 55 Alludit forè Poëta ad consuetudinem veterum, apud quos tribus modis nuptiæ fiebant, *usu*, *farre* vel *confarreatione*, ut vocant, & *coemtione*. 56 Tantùm rogarem, ne patris regnum dotem postularet. De proditione autem jam incipit cogitare Scylla. 57 Sperati concubitus, qui in lectis & cubilibus fiunt. 58 Prodendo patrem. 59 Sic Lib. 7. *Androgeique necem justis ulciscitur armis.* 60 Et justiorem caussam fovet 61 Minoi. 62 Aperiet. 63 Sua potentia. & vis bellica. Mars pro bello. Metonym. effic. 64 Effusione sui sanguinis. 65 Ille immitis.

66 Cœpta

[66] Cœpta placent, & ſtat [67] ſententia tradere mecum
[68] Dotalem patriam; finemque imponere bello.
Verùm *Velle parum eſt.* [69] Aditus [70] cuſtodia ſervat:
[71] Clauſtraque portarum genitor tenet. Hunc ego ſolum
Infelix timeo: ſolus mea [72] vota [73] moratur.
Dî facerent, ſine patre forem! *Sibi* [74] *quiſque profecto*
Fit Deus [75] *ignavis precibus Fortuna repugnat.*
[76] Altera jamdudum [77] ſuccenſa [78] Cupidine tanto
[79] Perdere gauderet, quodcunq; obſtaret amori.
Et cur ulla [80] foret me fortior? Ire per ignes,
Per gladios auſim. Neq; in hoc tamen ignibus ullis,
Aut gladiis opus eſt! opus eſt mihi [81] crine paterno.
Illa mihi eſt auro pretioſior; illa beatam
Purpura me, votique mei factura potentem.

Talia dicenti, curarum maxima nutrix
Nox intervenit: tenebriſque audacia crevit.
Prima quies aderat; qua curis feſſa diurnis
Pectora ſomnus habet. Thalamos taciturna paternos
Intrat: & (heu facinus!) [82] fatali nata parentem
Crine ſuum ſpoliat: prædâque potita nefandâ
[Fert ſecum [83] ſpolium ſceleris; [84] progreſſaque portâ]
Per medios hoſtes ([85] meritis fiducia tanta eſt)
Pervenit [86] ad regem; quem ſic affata [87] paventem:
Suaſit amor facinus. Proles ego regia [88] Niſi
Scylla, tibi trado patrios meoſque Penates.
Præmia nulla peto, niſi te. Cape pignus amoris
Purpureum crinem. Nec me nunc tradere crinem,
Sed [89] patrium tibi crede caput. Scelerataque dextrâ
Munera porrexit. [90] Minos porrecta refugit.
Turbatuſque novi reſpondit [91] imagine [92] facti:
Dî te [93] ſubmoveant, ô noſtri infamia ſæcli!

66 Sc. conſilia.
67 Decrevi, firmaque ac conſtans eſt ſententia.
68 In dotem patriam prodere, ut me accipiat, ſecumque habeat.
69 Portarum ingreſſus.
70 Cuſtodum turba.
71 Claves portarum urbis.
72 Meam cupiditatem.
73 Remoratur.
74 Adeò impia eſt Scylla, & amore cæca, ut Deos eſſe neget. Unumquemque autem ſibi Deum eſſe, ac idcircò nullo Deorum opus eſſe auxilio, cùm unuſquiſque id à ſe ipſo petere poſſit.
75 Ignavorum, qui ſunt puſillanimes.
76 Quævis alia puella.
77 Inflammata.
78 Tam magno amore.
79 E medio tollere.
80 Eſſe debeat.
81 Vide quæ ſupra diximus ad verſ. 6.
82 In quo urbis fata continebantur. Hac de re ſic Propert. *Tuque ô Minoâ*, uſque ad *æquus in hoſte fuit.*
83 Crinem purpureum, quo patrem ſpoliarat. 84 Et egreſſa. [Hunc autem verſum ſpurium eſſe cenſet Heinſius.] 85 Beneficii, quo Minoem proſequebatur. 86 Minoem. 87 Novitate rei obſtupefactum. 88 Sc. *filia.* 89 Paternam vitam: ab illo enim crine ſalus Niſi pendebat. 90 Minos tanta fuiſſe juſtitia apud ſuperos fertur, ut apud inferos judex fuerit conſtitutus. 91 Cogitatione. 92 Inuſitati ſceleris. 93 Repellant, perdant, eradicent.

[94] Orbe ſuo: telluſque tibi pontuſque negentur!
Certè ego non patiar Jovis [95] incunabula Creten,
Quæ meus eſt [96] orbis, tantum contingere monſtrum.
Dixit: &, ut leges captis [97] juſtiſſimus auctor
Hoſtibus impoſuit, claſſis retinacula ſolvi
Juſſit; & æratas impelli remige puppes.
Scylla, freto poſtquam [98] deductas nare carinas,
Nec præſtare [99] ducem ſceleris ſibi præmia vidit;
Conſumtis precibus violentam tranſit in iram:
Intendenſque manus, [100] paſſis furibunda capillis,
Quò fugis, exclamat meritorum auctore relictâ,
O patriæ prælate meæ, prælate parenti?
Quò fugis, immitis? cujus victoria noſtrum
Et [101] ſcelus & [102] meritum eſt. Nec te data munera, nec te
Noſter movit amor, nec quod ſpes omnis in unum
Te mea [103] congeſta eſt? Nam quò [104] deſerta revertar?
In patriam? Superata jacet. Sed [105] finge manere:
Proditione mea clauſa eſt mihi. [106] Patris ad ora?
Quæ tibi donavi. [107] Cives odêre merentem:
[108] Finitimi exemplum metuunt: [109] exponimur orbæ;
Terrarum nobis ut [110] Crete ſola pateret.
Hac quoque ſic prohibes? ſic nos, ingrate, relinquis?
Non genitrix Europa tibi, ſed [111] inhoſpita Syrtis,
Armeniæve tigres, [112] Auſtrove [113] agitata Charybdis.
Nec Jove tu natus: nec mater imagine tauri
Ducta tua eſt: generis falſa eſt ea fabula veſtri.
Et ferus, & captus nullius amore juvencæ

94 Ad parricidarum ſupplicium alluſum volunt. De eo Cicero in oratione pro Roſcio Amerino. In corio enim inſuebantur cum ſimia, gallo, & ſerpente ac in mare fluviumve projiciebantur, ne aut cœlum aſpicere, aut in terra aquave quieſcere poſſent.
95 Ubi nutritus educatuſque fuit Jupiter. De Jove in Cretâ nutrito ſic alibi: *Cretes erunt teſtes, nec fingunt omnia Cretes, Cretes nutrito terra ſuperba Jove.*
96 Imperium.
97 Sic & alibi: *Sit modus exilio dixit, juſtiſſime Minos.* Alibi Legiferum vocat. ſc. quod primum Cretenſibus leges dederit.
98 E terra in mare miſſas, aut tractas. Sic Lib. 6. *Jubet ille carinas In mare deduci.*
99 Minoëm.
100 Sparſis, diſſolutis.
101 Quia prodidi patrem.
102 Quia te victorem effeci. 103 Collata. 104 Abs te relicta. 105 Pone. 106 Revertarne in conſpectum patris, cujus vitam & fortunam tibi dono dedi? 107 Sic Dido. *Te propter Libycæ gentes, Nomadumque tyranni Odêre.* 108 Vicini timent, ne mei exemplo filiæ ſuæ parentes prodant. 109 [Pro veteri lectione *obſtruximus orbem* ex optimis codicibus veram lectionem reſtituit Heinſius. *Exponi* autem non ſolum infantes dicuntur, ſed etiam exſules. Ita noſter in Triſt.
Expoſuit memet Populis fortuna videndum]
110 Ut in Creten ſolam venire poſſem. 111 Inhoſpitalis. Continens pro contento. Accolæ enim Syrtium feri ſunt, & peregrinis infeſtiſſimi. Imò & ipſæ Syrtes, ita vocari poſſint, quòd qui in eas delati fuerint, minimè hoſpitalem locum ſortiantur 112 Vento. Speciem enim pro genere poſuit. 113 Commota, vexata. [*Ducta* v. 123. eleganter pro *Luſa* ponitur. *Duci* pro *trahi*, etiam pro *induci*, & *ſeduci*. Unde *ductari dolis* apud Comicum. Noſter Lib XIV.
Invidiâ Socios, prædæque cupidine ductos. Heinſius.]

Qui

Qui te progenuit, taurus fuit. [114] Exige pœnas,
Niſe pater. Gaudete malis modò prodita noſtris
Mœnia: nam fateor merui; & ſum digna perire.
Me tamen ex illis aliquis, quos impia læſi,
Me perimat: cur, qui viciſti crimine noſtro,
[115] Inſequeris crimen? ſcelus hoc patriæque patrique;
[116] Officium tibi ſit. Te [117] vere conjuge digna eſt,
Quæ [118] torvum [119] ligno decepit adultera taurum;
[120] Diſſortemque utero fœtum tulit. [121] Ecquid ad aures
Perveniunt mea dicta tuas? an inania venti
Verba ferunt; îdemq; tuas, ingrate, carinas?
Jam jam Paſiphaën non eſt mirabile taurum
Præpoſuiſſe tibi: tu plus feritatis habebas [remis
Me miſeram! properare [122] juvat: [123] divulſaque
Unda ſonat. Mecum ſimul ah mea terra [124] recedit.
Nil agis, ô fruſtra meritorum oblite meorum.
Inſequar invitum: puppimque amplexa recurvam,
Per freta longa trahar. Vix dixerat; [125] inſilit undas:
[Conſequiturque rates faciente Cupidine vires.]
[126] Gnoſſiacæque hæret [127] comes invidioſa carinæ.
Quam pater ut vidit, (nam jam pendebat in auras,
Et modò factus avis fulvis [128] Halyæëtos alis)
Ibat; ut hærentem roſtro laniaret adunco.
Illa metu puppim dimittit, at aura cadentem
Suſtinuiſſe levis, nè tangeret æquora, viſa eſt.
[129] Pluma fuit. Plumis in avem mutata vocatur
[130] Ciris: & â tonſo eſt hoc nomen adepta capillo.

114 Sume.
115 Perſequeris.
116 Beneficium.
117 Paſiphaë, Minoïs uxor, tauri amore capta, opera Dædali in lignea vacca incluſa, cum eo coïre ſuſtinuit, ex quo concubitu Minotaurus eſt natus, qui partim Minoëm partim taurum, repræſentabat.
118 Terribilem.
119 Lignea vaccæ forma.
120 [Partum diverſæ *Sortis* ſive Naturæ. *Diſſors* & *Conſors* opponuntur. Minotaurum autem intelligit Poëta.]
121 An ne mea verba audis? Dubitat enim Scylla, an verba ſua ad aures Minoïs perveniant.
122 Delectat me feſtinare. In volucrem enim convertebatur.
123 Diſcuſſa, percuſſa.
124 Recedere videtur, navibus obeuntibus. 125 In undas & aquas ſalit. [Nec mireris quod *inſilit* hic cum *undas* jungitur quartô caſu: Horat. Arte Poëticâ: *—ardentem frigidus Ætnam Inſiluit.* Valerius Flaccus Lib. VIII. *—mox attonitâ cum Virgine Puppim Inſilit.* Sed ſequentem, verſum utpote adulterinum & inſu ſum ablegat Heinſius.] 126 Cretenſi. 127 In Minoëm maximam concitans invidiam. 128 Species eſt aquilæ, clariſſimæ oculorum acie. 129 De Scylla in avem converſa ita alibi: *Filia purpureos Niſo furata capillos, Puppe cadens celsâ, facta refertur avis.* 130 Κείρειν Græcè *tondere*. ſignificat.

De

De Ariadnes corona in sidus cœleste. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Minos victor, cùm Atheniensibus stipendium imposuisset, & nobilium liberi quotannis ad Labyrinthum à Dædalo factum mitterentur, qui Minotauro objicerentur, quem Pasiphaë, Solis filia, Minoïs uxor, ejusdem Dædali fabri ope juncta tauro enixa fuerat; tertio stipendio Theseus, Ægei & Æthræ filius, in insulam Cretam devectus, Ariadnes, Minoïs & Pasiphaës filiæ, quæ ejus pulcritudine exarserat, amore periculum capitis effugit. Digrediens itaque Athenas cum virgine abducta, in Diam insulam appulit: ibique Ariadnen dormientem inde solvens reliquit. Desertam autem à Theseo Liber pater sibi copulavit: utque sui in eam amoris memoria exsisteret, ejus coronam in cælum transtulit.

VOta Jovi Minos [1] taurorum Corpora centum
Solvit, ut egressus ratibus [2] Curetida terram
Contigit; & spoliis decorata est regia fixis.
Creverat [3] opprobrium generis: fœdumque patebat
[4] Matris adulterium [5] monstri novitate biformis.
Destinat hunc Minos thalamis removere pudorem;
[6] Multiplicique domo, [7] cæcisque includere tectis.
[8] Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
[9] Ponit opus: turbatque [10] notas, & lumina flexum
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non secus ac liquidus Phrygiis [11] Mæandros in arvis
Ludit; & ambiguo lapsu refluitque fluitque:
Occurrensque sibi venturas aspicit undas:

1 Hecatomben: ab ἑκατὸν *Centum*, & βοῦς *Bos*. 2 [Creta antiquitus dicta *Curetis terra*, teste Plinio. *Antiquas Curetum oras* dixit Virgilius.] 3 Dedecus, Minotaurus. Nam Pasiphaë, Minos uxor, Veneris impulsu in tauri amorem incidit, cui cùm Dædali opera se supposuisset, Minotaurum peperit, qui partim Minoi, partim tauro similis erat. Quâ ex re facilè Pasiphaës matris adulterium fuit deprehensum. 4 Pasiphaës. 5 Minotauri, qui media parte virum, altera taurum præ se ferebat. 6 Labyrintho. 7 Occultis. 8 Dedalus, genere Atheniensis, tam præclarus fuit architectus, ut & opera quædam miranda effecerit, & statuas, quæ aspicere, ambulareque & spirare videbantur, effinxerit. 9 Ædificat 10 Signa, quibus loca facilè discernuntur. 11 Fluvius est Phrygiæ, qui sæpè in se redire videtur. Illi similem ait Labyrinthum fuisse. Hinc & *Mæandros* vocamus, quæcunque involuta atque perplexa sunt.

Et [12] nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum,
Incertas exercet aquas: ità Dædalus implet
Innumeras errore vias: vixque ipse reverti
Ad limen potuit; Tanta est fallacia tecti.
Quo postquam [13] tauri geminam juvenisq; figuram
Clausit; & [14] Actæo bis pastum sanguine monstrum
[15] Tertia sors [16] annis domuit repetita novenis;
Utque [17] ope virginea [18] nullis iterata priorum
Janua difficilis filo est inventa [19] relecto:
Protinus Ægides, rapta [20] Minoïde, [21] Dian
Vela dedit: comitemque suam crudelis in illo
Littore [22] deseruit. [23] Desertæ, & multa querenti,
Amplexus & opem Liber tulit; utque perenni
Sidere clara foret, sumtam de fronte [24] coronam
Immisit cœlo. Tenues volat illa per auras:
Dumque volat; gemmæ subitos vertuntur in [25] ignes;
Consistuntque loco, [26] specie remanente coronæ:
Qui [27] medius nixiq; genu est, anguemq; tenentis.

12 Interdùm ad fontem versus redire: interdum ad mare spatiosum versus fluere videtur Mæander. 13 Minotaurum. 14 Atheniensi. 15 Sorte enim ducebantur. qui mittendi erant. Tunc autem Theseus Ægei filius fuit eductus. 16 Post novem annos. 17 Postquam Theseus auxilio virginis Ariadnes (à qua gladium, & filum exitus sui ducem acceperat) è Labyrintho est egressus, navem conscendit.

18 Ad quam nemo eorum, qui priùs missi fuerant ab Atheniensibus in Cretam, unquam redire potuerunt. 19 Item collecto: nempe, dum ejus ope vestigia quæ pridem calcaverat, iterat. 20 Ariadnâ Minoïs filiâ abductâ. 21 Sc. *versus*, sive *ad*. Est hæc Insula maris Cretici. 22 Dereliquit. 23 Ariadnæ, quam à Theseo relictam Bacchus duxit uxorem. 24 Illa corona dicitur à Vulcano facta ex auro & Indicis gemmis, per quas Theseus existimatur de tenebris Labyrinthi ad lucem venisse, quod aurum & gemmæ in obscuro fulgorem luminis efficiebant. 25 In stellas splendentes. 26 Figurâ. 27 Coronæ sidus medium esse ait & ejus qui est in genibus, & ejus qui manibus anguem tenet medium corpus ejus implicantem.

De Icaro in mare decidente, & Perdice in avem mutato. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Dædalus Eupalami filius supradictus, cùm propter commissa Minoëm, à quo clausus tenebatur, fugere vellet pennas sibi, & filio Icaro aptavit, quibus ut volucres profugerent regis imperium. Quorum Icarus, quia præceptis parentis obtemperare nequivit, in mare decidit, quod ejus nomine Icarium dictum est. Dædalus autem in Siciliam ad Cocalum regem profugit, sepulto filio in insula illi mari in quod ceciderat, vicina: quæ de ejus quoque nomine Icaros dicta est. Patrem autem filium sepelientem videt Perdix, sororis ipsius Dædali filius, ejusque casum

ſum cum gaudio tulit. Nam cùm à matre fratri datus eſſet in diſciplinam, quia primus ſerram invenerat, ob invidiam ingenii ex muro à Dædalo præcipitatus eſt: cui Minerva opem tulit. Ante enim quàm terram contingeret, ab ea in volucrem eſt verſus, quæ à nomine ejus Perdix *vocatur.*

[1] DÆdalus interea Creten longumq; peroſus
Exſilium, [2] tactuſque ſoli [3] natalis amore;
Clauſus erat Pelago. Terras licet, inquit, & undas
[4] Obſtruat; at [5] cœlum certè patet. Ibimus illâc.
Omnia [6] poſſideat; non poſſidet aëra Minos.
Dixit: & ignotas animum dimittit in artes;
[7] Naturamque novat. Nam [8] ponit in ordine pennas,
A minima cœptas, longam breviore ſequenti:
Ut [9] clivo creviſſe putes. Sic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.
Tum, [10] lino medias, & ceris alligat imas.
Atque ita compoſitas parvo [11] curvamine flectit;
Ut veras imitentur aves. Puer Icarus unà
Stabat: &, ignarus ſua ſe tractare pericla,
Ore [12] renidenti, modò quas vaga moverat aura,
Captabat plumas: flavam modò pollice ceram
[13] Mollibat; luſuque ſuo mirabile patris
Impediebat opus. [14] Poſtquam manus ultima cœptis
Impoſita eſt; geminas [15] opifex [16] libravit in alas
Ipſe ſuum corpus: motaque pependit in [17] aurâ.
[18] Inſtruit & natum: medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo. Ne, ſi [19] demiſſior ibis,
Unda [20] gravet pennas: ſi celſior, ignis adurat.
[21] Inter utrumq; vola. [22] Nec te ſpectare [23] Boöten,

1 De Dædali exilio & volatu copiosè etiam ſcribit in ſecundo libro *Artis Amatoriæ.* 2 Captus. 3 Patriæ, in quâ natus erat. 4 Claudat. 5 Tamen aër apertus eſt. 6 Sc. *licet, quamvis.* Unde 2. Artis. *Poſſidet & terras, & poſſidet æquora Minos, Nec tellus noſtræ, nec patet unda fugæ; Reſtat iter cœli, cœlo tentabimus ire.* 7 Novitatem in natura excogitat: negatum ſc. per aëra iter, pennis non homini datis. Sic ibid. *Sunt mihi naturæ jura novanda meæ.* 8 *Remigium volucrum diſponit in ordine pennas,* Ibid. 9 Ut poſſis eas putare è clivo aliquo creviſſe, propter ipſarum inæqualitatem. 10 Deinde mediam pennarum partem filis, infimam verò ceris alligavit Dædalus. *Et leve per lini vincula nectit opus. Jamque pars ceris aſtringitur igne ſolutis,* Ibid. 11 Parùm flectit, ut veræ avium alæ eſſe viderentur. 12 Hilari, læto, & ridenti. *Tractabat ceramque puer, pennaſque renidens, Neſcius hæc humeris arma parata ſuis,* Ibid. 13 Mollem faciebat. 14 Poſtquam alæ completæ fuerunt. Nam *imponere manum ultimam operi*, eſt opus ipſum finire. *Finituſque novæ jam labor artis erat,* Ibid. 15 Artifex Dædalus. 16 Suſpendit. 17 In aëre alis agitato. 18 Sc. *alis*, i. apponit etiam filio alas. 19 Inferior. 20 Graves reddat madefaciendo. *Me pennis ſectare ducis, ego prævius ibo: Sit tibi cura ſequi, me duce tutus eris. Nam ſive æthereas vicino ſole per auras Ibimus, impatiens cera caloris erit. Sive humiles propiore freto jactabimus alas, Mobilis æquoreis penna madeſcit aquis,* Ibid. 21 Et ſummum & infimum locum, i. per medium. *Inter utrumque vola, ventos quoque nate caveto; Quaque ferent aura, vela ſecunda dato.* 22 Icarum admonet Dædalus, ut ſe ſequatur. Neque enim opus eſſe, ut volatum ſuum dirigat ad ſiderum rationem, quæ nautæ maximè obſervant. 23 *Bootes* ſidus eſt, qui & *Arctophylax* dicitur, qui agitare plauſtrum videtur, undè & à *bobus* nomen accepit.

Aut

Aut [24] Helicen jubeo, ſtrictumq; [25] Orionis enſem;
Me duce carpe viam. Pariter [26] præcepta volandi
Tradit; & ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus monituſq; genæ maduêre ſeniles:
Et patriæ tremuêre manus. Dedit [27] oſcula nato
Non iterum repetenda ſuo: penniſque levatus
Antè volat; comitique timet. Velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aëra nido.
[28] Hortaturque ſequi; [29] damnoſaſque erudit ar-
tes:
Et movet ipſe ſuas, & nati reſpicit alas. [ces
[30] Hos aliquis, [31] tremula dum captat arundine piſ-
Aut paſtor baculo, [32] ſtivave innixus arator, [ſent,
Vidit; & obſtupuit: quique [33] æthera carpere poſ-
Credidit eſſe Deos. Et jam [34] Junonia lævâ
Parte Samos fuerant, Deloſque, Paroſque relictæ:
Dextra Lebynthos erant, fœcundaq; melle Calym-
Cùm [35] puer audaci cœpit gaudere volatu; [ne.
Deſeruitque ducem: cælique cupidine tactus
Altius egit iter. Rapidi vicinia ſolis
[36] Mollit [37] odoratas pennarum vincula ceras.
Tabuerant ceræ: nudos quatit [38] ille lacertos.
Remigioque carens non ullas percipit auras.
Oraque [39] cæruleâ patrium clamantia nomen
Excipiuntur aquâ; quæ nomen [40] traxit ab illo.
At [41] pater infelix, nec jam pater, Icare, dixit,
[42] Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?
Icare, dicebat: pennas aſpexit in undis,
Devovitque ſuas artes; corpuſque ſepulcro
Condidit; & [43] tellus à nomine dicta ſepulti.
[44] Hunc miſeri tumulo [45] ponentem corpora [46] nati
Garrula ramoſa proſpexit ab ilice perdix:

24 *Helice* major eſt urſa, ſic dicta ab *Helice*, Arcadiæ urbe, in quâ Caliſto nata eſſe dicitur. 25 Sidus enim Orionis ita figuratur, ut enſem nudum in manu tenêre videatur. *Sed tibi non virgo Tegeæa comeſque Bootes. Enſifer Orion aſpiciendus erit*, Ibid. *Orion* ἀπὸ τοῦ οὔρου, i. ab *urinâ* dictus eſt, quòd ex Jovis & Mercurii urinâ fingatur natus, ut 5. Faſt. narrat Ovidius. Is venator tantis viribus fuit, ut nulli feræ ſe ceſſurum jactaret. Quare Terra permota Scorpionem maximum emiſit, qui illum interficere conaretur. Jupiter autem utriuſque animum admiratus, & Scorpium ſpontè, & precibus Dianæ Orionem in ſidera ſuſtuliſſe fertur. 26 *Dum monet, aptat opus puero, monſtratque moveri Erudit infirmas ut ſua mater aves. Inde ſuis factas humeris accommodat alas, Perque novum timidus corpora librat iter*, Ibid. 27 *Jamque volaturus parvo dedit oſcula nato, Nec patriæ lacrymas continuêre genæ*, Ibid. 28 Sc. *ita*. 29 Pernicioſas: quod exitu probatum eſt. 30 Dædalum & Icarum. 31 Hamo ab arundine tremulâ dependente. 32 Manubrio aratri quo regitur. 33 *Ingenium mala ſæpe movent: quis crederet unquam Aërias hominem carpere poſſe vias?* Ibid. 34 Junoni dicata: nam ibi Juno & nata & educata, & Jovi uxor tradita dicitur. *Jam Samos à lævâ fuerat, Naxoſque relictæ, Et Paros, & Clario Delos amata Deo. Dextra Lebynthos erat, ſylviſque umbroſa Calymne, Cinctaque piſcoſis Aſtypalæïa vadis*, Ibid. 35 Icarus. *Cùm puer incautis nimiùm temerarius annis, Altiùs egit iter, deſeruitque patrem*, Ibid. 36 Molles reddit & liquefacit. 37 Odorem emittentes. *Vincla labant, & cera Deo propiore liqueſcit, Nec tenues venti brachia mota tenent*, Ibid. 28 Icarus. 39 Mari, in quo Icarus cecidit. *Decidit, atque cadens, pater, ô pater, auferor, inquit: Clauſerunt virides ora loquentis aquæ*, Ibid. 40 Nam mare Icarium ab Icaro fuit appellatum. 41 Pater, quia genuerat; non pater, quia filius jam erat mortuus. 42 Anaphora. 43 *Icaros* enim inſula ab *Icaro*, Dædali filio, illic ſepulto, dicta fuiſſe videtur. *At pater infelix, nec jam pater, Icare, clamat, Icare, clamat, ubi es? quove ſub axe volas? Icare clamabat, pennas aſpexit in undis, Oſſa tegit tellus, æquora nomen habens.* 44 Dædalum. 45 Tumulantem & ſepelientem. 46 Filii Icari.

Et

Et [47] plausit pennis; testataque gaudia cantu est;
[48] Unica tunc volucris; nec visa prioribus annis,
Factaque nuper avis, [49] longum tibi, Dædale, crimen
Namque huic tradiderat fatorum [50] ignara docendam
Progeniem [51] germana suam, natalibus [52] actis
Bis puerum senis, animi ad præcepta [53] rapacis.
Ille [54] etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum: ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes; & serræ repperit usum:
Primus & [55] ex uno duo ferrea brachia nodo:
Vinxit; ut æquali spatio distantibus illis
Altera pars staret; pars altera duceret orbem.
Dædalus invidit; sacraque ex arce Minervæ
Præcipitem mittit, lapsum mentitus. At illum,
Quæ favet ingeniis, [56] excepit Pallas; avemque
Reddidit: & medio [57] volavit in aëre pennis.
Sed [58] vigor ingenii quondam velocis in alas,
Inque pedes abiit. [59] Nomen, quod & antè remansit.
Non tamen hæc altè volucris sua corpora tollit,
Nec facit in ramis altoque cacumine nidos;
[60] Propter humum volitat: ponitq; in sepibus ova:
Antiquique memor metuit sublimia casus.

47 Et alas concussit.
48 Sola. *Vnicus* enim secundo caret: *unus* habet secundum.
49 Magnum. Nam Dædalus eum de Palladis arce dejecisse criminatus est.
50 Inscie eorum, quæ fato filio suo evenire debebant.
51 Soror Dædali.
52 Exactis duodecim annis. Natus enim erat duodecim annos Talus, cum Dædalo fuit commendatus.
53 [Rapidi: Sic *celeriter arripere quæ traduntur*, auctor vitæ Pomponii Attici: Sic, non ita multó postea, *ingenium velox* dicit.]
54 Talum serræ ait fuisse inventorem ad exemplum illius spinæ, quæ est in medio piscium. 55 Circinum describit, quem a Perdice inventum esse asserit Poëta. 56 Suscepit. Propriè autem *excipi* cadentia dicuntur. 57 Cooperuit. 58 Sed vis & acrimonia ingenii Tali pueri in alas & pedes avis transivit. Perdices enim acerrimi sunt & volatus & cursus. 59 Nam talus *Perdix* quoque fuit cognominatus. 60 Juxtà, propè terram. Ter. *Hic, propter hunc assisse.*

Aper Calydonius, Atalanta, Meleagros, sorores Meleagri in aves.

Fab. IV.

ARGUMENTUM.

Oeneus Parthaönis filius quia in sacrificio cogendorum fructuum consultò præterierat Dianam, aper ab ea missus est, qui Calydoniæ agros vastaret. Perseverante Oeneo in despectu Deæ, Meleagros ejus filius convocatis Græciæ principibus, aprum patris jussu venari ingressus est: cum quibus Atalanta Jasii Arcadiæ regis filia, ex Arcadia digressa est, quæ prima aprum vulneravit. Cujus virtutem & speciem miratus Mele-

Meleager, interemto apto exuvias ei conceſſit, quas Plexippus, Toxeus, Agenor, Meleagri avunculi, virgini ereptas cum interitu rependerunt. At Althea, mater Meleagri, ut fratrum cædem accepit, ſtipitem fatalem conditum à Parcis, in quo vita Meleagri continebatur, flamma peruſſit. Quo conſumto, Meleager extinctus eſt. Cujus interitu ſorores inter flendum in volucres converſæ, è fratris nomine Meleagrides cognominantur.

[1] JAmque fatigatum tellus Ætnæa tenebat
Dædalon: & ſumtis pro ſupplice Cocalus ar-[mis
Mitis habebatur. Jam lamentabile Athenæ
[2] Pendere deſierant [3] Theſeâ laude tributum.
Templa coronantur: [4] bellatricemque Minervam
Cum Jove, Dîſque [5] vocant aliis: quos [6] ſanguine voto,
Muneribuſque datis, & acerris thuris adorant.
Sparſerat Argolicas nomen vaga Fama per urbes
Theſeos: & populi, quos dives [7] Achaïa cepit,
[8] Hujus opem magnis imploravêre periclis.
Hujus opem [9] Calydon, quamvis Meleagron haberet,
Sollicitâ ſupplex petiit prece: cauſſa petendi
[10] Sus erat, infeſtæ famulus [11] vindexque Dianæ.
[12] Oenea namque ferunt, pleni [13] ſucceſſibus anni,
[14] Primitias frugem Cereri, ſua vina Lyæo,
[15] Palladios flavæ [15] latices libâſſe Minervæ.

Cœptus ab [16] agricolis Superos pervênit ad omnes
[17] Invidioſus [18] honos: ſolas ſine [19] thure relictas
Præteritæ ceſsâſſe ferunt [20] Latoïdos aras.
Tangit & ita Deos. At non impune feremus;
Quæque inhonoratæ, non & dicemur inultæ,
Inquit: & Oeneos ultorem ſpreta per agros
Mitit aprum: quanto majores herbida tauros
Non habet [21] Epiros: ſed habent Sicula arva mino-[res.

1 Dædalus Minoïs iram fugiens ad Cocalum, Siciliæ regem pervenit, à quo & tutatus & hoſpitio ſuſceptus eſt, ac tandem Minos ipſe interfectus.
2 Perſolvere tributum, ob cædem Androgei Athenienſibus à Minoë impoſitum.
3 Theſei virtute. Conſequens pro antecedente: virtutem enim *laus* conſequi ſolet.
4 Hæc etiam *Bellona* vocatur.
5 Invocant.
6 Victimarum quas voverant ſanguine, ſi Theſeus victor ex Cretâ reverteretur.
7 Potens Græcia.
8 Theſei.
9 Urbs eſt Ætoliæ, quam Poëta ponit pro incolis
10 Aper & quidem ferociſſimus.
11 Ultor.
12 Calydoniæ regem, Meleagri patrem.
23 Ob plenam & perfectam illius anni fertilitatem.
14 Primas fruges: prima enim frumenta matura Cereri dicabantur, ut vina Baccho, oleum Minervæ.
15 Oleum à Pallade inventum.
16 Cerere, Baccho, & Minervâ, quòd ea invenerint, quibus agriculturæ opera datur.
17 [Nempe, ut qui Dianæ ſpretæ invidiam in alios Deos, qui ſibi præferebantur, pareret: ſic Pomum Veneri a Paride datum. *donum* appellari meruit *invidioſum.* Ita lib. Faſt. VI. Hic Honor in nobis invidioſus erit]
18 Deorum ſacrificia.
19 Sacrificio.
20 Dianæ Latonæ filiæ.
21 [Sic libri meliores, non *Epirus.* Virgilius *Eliadum palmas Epiros equarum:* quod & Servius agnoſcebat. Cæterum, v. 285. eſſe Ovidianum non cenſet Heinſius.]

Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix :
[Et setæ densis similes hastilibus horrent ;]
Santque velut vallum, velut alta hastilia setæ.
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit : dentes æquantur [22] dentibus Indis.
Fulmen ab ore venit ; frondes afflatibus [23] ardent,
Is modò crescenti segetes proculcat in herba,
Nec [24] matura metit fleturi [24] vota coloni :
Et Cererem in spicis intercipit. Area frustra,
Et frustra exspectant promissas horrea messes.
Sternuntur [25] gravidi longo cum [26] palmite fœtus,
[27] Baccaq; cum ramis semper frondentis olivæ.
Sævit & in pecudes : non has pastorve, canesve,
Non armenta truces possunt defendere tauri.
Diffugiunt populi : nec se, nisi mœnibus urbis,
Esse putant tutos : donec Meleagros, & [28] unà
[29] Lecta manus juvenum [30] coïere cupidine laudis.
[31] Tyndaridæ gemini, spectatus [32] cæstibus [33] alter,
[34] Alter [35] equo ; [36] primæque ratis molitor Jäson,
E cum [37] Pirithoo felix concordia Theseus,
Et duo [38] Thestiadæ prolesq; [39] Aphareïa Lynceus,
Et velox [40] Idas ; & jam non [41] fœmina Cœneus
[42] Leucippusque ferox, jaculoque insignis [43] Acastus,
Hippothoosque, Dryasque, & cretus [44] Amyntore Phœnix,
[45] Actoridæque pares, & missus ab Elide Phyleus.
Nec [46] Telamon aberat, magnique [47] creator Achillis :
Cumque [48] Pheretiade, & [49] Hyantêo Iölao

22 Elephantum Indicorum dentibus. Τπερβολή.
23 Ardêre videntur.
24 Segetes.
25 Racemi uvâ graves.
26 Frondibus vitium.
27 Olea fructus olivæ.
28 Simul.
29 Electa juvenum multitudo.
30 Convenêre.
31 Castor & Pollux gemelli Tyndari filii ac Ledæ putari, cùm essent Jovis.
32 Armis quibus pugiles utuntur. Fuerunt autem *cæstus* lora quædam cruda insutis plumbeis glandibus rigentia, quæ manibus inducentes pugiles, inter se dimicabant.
33 Pollux.
34 Castor.
35 Sc. *præstans*, i. equorum domitor. De Castore & Polluce sic etiam *Horat. Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem Pugnis.* Et *Propert. Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis, Hic victor pugnis, ille futurus equis.*
36 Argo navem, cujus ædificandæ autor fuit Jäson, primam longarum navium fuisse *Ovidius* sentit : alii verò Danaum earum inventorem putant. 37 Theseus & Pirithous insignium amicorum par. 38 Duo filii Thestii, avunculi Meleagri. Vide infra vers. 435. 39 Apharei filius. 40 Frater Lyncei. 41 Hic Elati Filius, & initio Fœmina fuit. Postea autem a Neptuno oblato ei vitio, pro Virginitate donum hoc recepit, ut e fœminâ in marem converteretur, & a telis, vulneribusque inviolabilis foret. 41 Frater Apharei, pater Elaïræ & Phœbes, quas Castor & Pollux abducere conati, a fratribus, Ida & Lynceo, prohibiti fuêre altero illorum etiam occiso. Cujus rei meminit. *Propert. Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe, Pollucem cultu non Elaïra soror.* 43 Peliæ filius. 44 Amyntoris filius. 45 [Eurytus & Cteatus, ab Hercule postea interfectus, filii Actoris Eliensis. Actor enim Phthius filios habuit Menœtium & Eurytionem, de quo postea erit sermo. *Heinsius.*] 46 Pater Ajacis, filius Æaci. 47 Peleus, Achillis pater, frater Telamonis. 48 Admeto, Pheretis filio, cujus uxor Alcestis fuit. 49 Bœotio Jolao, *Hyantes* enim populi sunt Bœotiæ. Fuit hic *Jolaüs* Iphicli filius, Amphitryonis nepos, qui Herculi in interficienda hydra operam navavit.

Impiger

Impiger [50] Eurytion & cursu invictus Echion,
[51] Naryciusque Lelex, [52] Panopeusque Hyleusque, feroxque
Hippasus, & primis etiamnum [53] Nestor in armis,
Et quos Hippocoon antiquis misit [54] Amyclis;
[55] Penelopesq; socer cum [56] Parrhasio Ancæo,
Ampycidesque [57] sagax, & adhuc à conjuge tutus
[58] Oeclides, nemorisque decus [59] Tegeæa Lycæi.
[60] Rasilis huic summam mordebat fibula vestem;
Crinis erat simplex nodum collectus in unum:
Ex humero pendens resonabat eburnea lævo
[61] Telorum custos: arcum quoque læva tenebat.
Talis erat cultus: facies, quam dicere verè
Virgineam in puero, puerilem in virgine posses.
Hanc pariter vidit, pariter [62] Calydonius heros,
Optavit [63] renuente Deo: [64] flammasque latentes
Hausit, &, O felix, si [65] quem dignabitur, inquit,
Ista verum! nec plura sinunt tempusque pudorque
Dicere; majus opus magni certaminis [66] urget.
Silva frequens [67] trabibus, quam nulla ceciderat ætas,
Incipit à plano: devexaque prospicit arva.
Quo postquam venere viri; pars retia tendunt:
Vincula pars adimunt canibus: pars pressa sequuntur
Signa pedum: cupiuntque suum reperire periclum.
Concava vallis erat: qua se demittere rivi
Assuêrant pluvialis aquæ, tenet ima [68] lacune
[69] Lenta salix, [70] ulveque leves, juntique palustres,
Viminiaque, & longa parræ sub [71] arundine cannæ,
Hinc aper [72] excitus medios violentus in hostes
[73] Fertur, [74] ut excussis elisi nubibus ignes.
[75] Sternitur incursu nemus: & [76] propulsa [77] fragorem
Silva dat exclamant juvenes: [78] prætentaque forti
Tela tenent dextrâ, lato vibrantia ferro.
[79] Ille [80] ruit; spargitque canes, ut quisque ruenti
Obstat: & obliquo latrantes [81] dissipa tictu.
[82] Cuspis Echionio primùm contorta lacerto

50 Filius Iri, filii Actoris. 51 Natus Naryce, quæ est urbs Locridis, & Locri aliquando *Leleges* appellati. 52 Phoci filius. 53 Ut qui stipendia jam tum primus fecissit. 54 *Amyclæ* urbs est Laconiæ, ab *Amycla*, Lacedæmonis filio, ædificata, atque cognominata. 55 Laërtes, Ulyssis pater, Arcesii filius. 56 Arcade, sive Arcadio: *Parrhasia*, Arcadiæ urbs. 57 Quia vates sive augur fuit. Mopsus Ampyci filius. 58 Amphiaraus, nondum ab uxore proditus Adrasto, Argivorum Regi. 59 Atalanta ex Tegea urbe Arcadiæ. 60 Rasum cingulum quo vestis connectitur. 61 Pharetra. 62 Meleager. 63 Nolente ut eâ potiretur. 64 Et occultum amorem concepit. 65 Si quem illa se uxore dignum existimabit. 66 Instat, impellit. 67 Densa arboribus. Est hæc silva descriptio, quam partim planam, partim montosam esse ait. 68 Infimas vallis partes. 69 Flexibilis. 70 Herbæ in paludibus nascentes. 71 Parvo cannatum cortice. 72 Excitatus. 73 Ruit. 74 Fulguris in morem, quod ex nubium concursu eliditur. 75 Arbores apri illius incursu in terram dejiciuntur. 76 Impulsa. 77 Facit strepitum. *Fragor* enim strepitus dicitur rerum fractarum. 78 Venabula. 79 Aper. 80 Irruit. 81 Disjicit. 82 Jaculum pars pro toto.

Vana fuit: truncoque dedit leve vulnus acerno.
Proxima, si nimiis mittentis viribus usa
Non foret, in [83] tergo visa est hæsura petito:
Longiùs [84] ît; auctor teli [85] Pagasæus Jäson.
Phœbe, ait Ampycides, si te coluique, coloque;
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.
Quà potuit, [86] precibus Deus annuit. Ictus ab illo,
Sed sine [87] vulnere aper: ferrúmq; Diana volanti
Abstulerat jaculo: lignum sine [88] acumine venit.
Ira feri mota est: nec [89] fulmine lenius arsit:
Lux micat ex oculis, spiratque è pectore flamma.
Utque volat [90] moles adducto [91] concita [92] nervo,
Cùm petit aut muros, aut plenas [93] milite turres;
In juvenes certo sic [94] impete vulnificus sus
Fertur: & Eupalamon Pelagonaque [95] dextra tuentes
Cornua prosternit. Socii rapuêre jacentes.
At non letiferos effugit Enæsimus ictus
[96] Hippocoonte satus. Trepidantem, & [97] terga parantem
Vertere succiso liquerunt [98] poplite nervi.
Forsitan & [99] Pylius citra [100] Trojana perîsset
Tempora: sed, [101] sumto posita conamine ab hastâ,
Arboris insiluit, quæ stabat [102] proxima, [103] ramis
[104] Despexitque loco tutus, quem fugerat, hostem.
Dentibus ille ferox in querno stipite tritis
Imminet exitio, fidensque [105] recentibus armis
Othriadæ magni rostro femur [106] hausit [107] adunco.
At gemini nondum [108] cœlestia sidera fratres,
Ambo conspicui nive candidioribus albâ
Vectabantur equis: ambo vibrata per auras
Hastarum tremulo quatiebant spicula motu.
[109] Vulnera fecissent; nisi [110] setiger inter [111] opacas,
Nec jaculis isset nec equo loca pervia silvas.

83 In tergo apri.
84 Pro iit seu ivit, ut produci possit hæc syllaba.
85 *i. e.* Thessalus. De Pagasa vid. Lib. 7. vers. 1.
86 Preces exaudivit.
87 Sc. *mansit*, *abiit*.
88 Cuspide.
89 Nec minus quam fulmen inflammatus est aper.
90 Maximum saxum, quantum è machinis bellicis emittitur.
91 Impulsa.
92 Fune balistæ.
93 Militibus.
94 Impetu.
95 Dextrum cornu agminis sui defendentes.
96 Hippocoöntis filius.
97 Et fugere volentem.
98 Rescisso crure. *Poples* pars genu posterior.
99 Nestor, à *Pylo*, urbe Messeniæ, cui imperavit, sic appellatus.
100 Ante Trojanum bellum.
101 Capto impens.
102 Fixâ.
103 In ramos.
104 Deorsum aspexit aptum altitudine arboris tutus & securus.
105 Dentibus in trunco sive stipite exacuatis, & quasi renovatis. [Ex Membranis *Othriadæ* pro *Orithiæ* reposuit Heinsius: sed quis iste sit *Othriades* dubitat: Thersiten ab Apro Calydonio esse vulneratum affirmat Tzetzes: sed tum *Agriadæ* reponendum sit, modò de Thersite Poëtam hic loqui statuamus. *Agrios* enim Thersitæ Pater.] 106 Aperuit, percussit 107 Recurvo dente. 108 Gemini, qui unum ex Zodiaci signis constituunt, Castor ac Pollux esse dicuntur. 109 Vulnerassent. 110 Aper setas gerens. 111 Umbrosas, arboribus densas.

Per-

Persequitur Telamon: [112] studioque incautus eundi
Pronus ab arboreâ cecidit radice retentus.
Dum [113] levat hunc Peleus; celerem [114] Tegeæa sagittam
Imposuit nervo, [115] sinuatoque expulit arcu.
Fixa sub aure feri summum [116] destringit [117] arundo
Corpus: & exiguo rubefecit sanguine setas.
Nec tamen illa sui successu lætior ictûs,
Quàm Meleagros erat. Primus vidisse putatur;
Et primus sociis visum ostendisse cruorem:
Et, Meritum, dixisse, [118] feres virtutis honorem.
[119] Erubuêre viri: seque exhortantur; & addunt
Cum clamore animos: jaciuntque sine ordine tela.
Turba nocet jactis: &, quos petit, impedit ictus.
Ecce furens contra sua fata [120] bipennifer [121] Arcas,
Discite fœmineis quàm tela virilia præstent,
O juvenes, [122] operique meo [123] concedite, dixit!
Ipsa suis licet hunc Latonia [124] protegat armis;
Hunc tamen invitâ [125] perimet mea dextra Dianâ.
Talia magniloquo [126] tumidus memoraverat ore:
[127] Ancipitemque manu tollens utráq; securim
Institerat [128] digitis primos suspensus in [129] artus.
[130] Occupat audacem: [131] quaque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.
Concidit Ancæus: glomeratáq; [132] sanguine multo
Viscera lapsa fluunt: madefactáq; terra cruore est.
Ibat in adversum proles Ixionis hostem
Pirithous, validâ quatiens venabula dextrâ.
Cui procul [133] Ægides, O me mihi carior inquit,
Pars animæ consiste meæ; *licet* [134] *eminus esse*
Fortibus: Ancæo nocuit [135] *temeraria virtus.*
Dixit: & [136] æratâ [137] torsit grave cuspide [138] cornum:

112 Cupiditate currendi.
113 Allevat, tollit.
114 Atalanta. Supra vers. 317.
115 Contracto.
116 Vulnerant leviter.
117 Arundinea sagitta.
118 Auferes habebis.
119 Puduit viros fortes aprum à virgine primùm fuisse percussum.
120 Bipennem ferens.
121 Arcadicus. Ancæus enim ex Parrhasia Arcadiæ oppido.
122 Virtuti meæ.
123 Locum date.
124 Defendat.
125 Interficiet.
126 Elatus, superbus.
127 Ex utrâque parte secantem, acutam.
128 Exprimitur gestus tollentis securim, ut aliquem percutiat.
129 In primas partes digitorum pedis.
130 Antè aggreditur.
131 Inguina enim percussa homini mortem subito adferunt.
132 Sc. *cum.*
133 Theseus, Ægei filius.
134 Longè abesse.
135 Inconsiderata fortitudo.
136 Ære & ferro munita. 137 Jecit. 138 [Certa hæc emendatio, & librorum veterum auctoritate munita: *Cornu* in vulgaris legitur. *Cornus* autem hastis conficiendis aptus. Noster Lib. vii. in fabulâ Cephali,

Quæ tamen è silvâ teneas hastile recisum,
Jamdudum dubito: Certè, si Fraxinus esset,
Fulva colore foret: si Cornus; nodus inesset:]

Quo bene [139] librato, [140] votique potente futuro,
Obstitit [141] Esculea frondosus ab arbore ramus.
Misit & [142] Æsonides jaculum : quod casus ab illo
[143] Vertit in immeriti fatum [144] latrantis, &, inter
Ilia conjectum, [145] tellure per ilia fixum est.
At manus [146] Oenidæ variat : misisq; duabus,
Hasta prior terrâ, medio stetit altera tergo.
Nec mora : dum [147] sævit, dum [148] corpora versat in orbem ;
Stridentemque novo spumam cum sanguine fundit ;
Vulneris [149] auctor adest : hostemque [150] irritat ad iram :
Splendidaque adversos [151] venabula condit in armos.
Gaudia testantur socii clamore secundo ;
Victricémq; [152] petunt dextræ conjungère dextram :
Immanemque ferum multa tellure jacentem
Mirantes spectant : neque adhuc contingere tutum
Esse putant : sed tela tamen sua quisque [153] cruentant.
Ipse pede imposito caput [154] exitiabile pressit :
Atque ità, Sume mei [155] spolium, [156] Nonacria, [157] juris,
Dixit : & in partem veniet mea gloria tecum.
Protinùs [158] exuvias rigidis horrentia setis
Terga dat, & magnis insignia dentibus ora.
Illi lætitiæ est cum munere muneris auctor.
Invidêre alii ; totoque erat agmine murmur.
E quibus ingenti tendentes brachia voce,
[159] Pone age, nec [160] titulos intercipe fœmina nostros,
[161] Thestiadæ clamant neu te fiducia formæ
Decipiat ; longéque tuo sit captus amore
Auctor. Et [163] huic [164] adimunt munus, jus [165] muneris [166] illi.
Non [167] tulit ; & tumida [168] frendens [169] Mavortius irâ,
Discite raptores alieni, dixit, honoris,
Facta minis quantum distent ; [170] hausitque [171] nefando
Pectora Plexippi, nil tale [172] timentia, ferro.

139 Fortiter jacto. 140 Et aprum percussuro. 141 *Esculus* arbor est glandifera Jovidicata. 142 Jäson Æsoni filius. 143 Avertit. 144 [Latrans pro Cane rectè : quod & etiam Phædrus dixit : Cum autem pro *lattrantis*, in libris aliquam multis dicitur *Geladanten*, forte scribendum. *Vertit in immeritam figi Geladantin*, vel *Vertit in immeriti fatum Celadontis* : ut aut Canem intelligat aut aliquem ex plebe venatorum. *Celadon Mendesius* dicitur lib. v. in Convivio Cephei, & *Celadon Lapitha* lib xii. *Heinsius*.] 145 In terrâ. 146 Meleagri, Oenei filii. 147 Furit. 148 Se rotat. 149 Meleagros. 150 Provocat. 151 Telum, quo venantes utuntur. 152 Appetunt cupiunt. 153 Cruore maculat. 154 Pestiferum, quod multis exitii causa fuerat. 155 *Spolia* propriè dicuntur, quæ hostibus detrahuntur. 156 Atalanta a Nonacri monte Arcadiæ celeberrimo. 157 Quod jure ipso mihi debetur. Nam Meleagros aprum interfecerat. 158 Tergus & caput apri. Sic *Virg*. 2. *Georg*. de serpente loquens : *Cum positis novus exuviis, nitidusque juventâ*. 159 Depone. 160 Nostrum honorem, nostram gloriam. 161 Thestii filii Plexippus & Toxeus, avunculi Meleagri. 162 Ne interficiaris, sicque longè ab amatore tuo separeris. 163 Atalantæ. 164 Eripiunt. 165 Sc. dandi. 166 Meleagro. 167 Non passus est Atalantam munere fraudari. 168 Fremens. 169 Bellicosus Marti similis Meleagros, aut cujus mater Althæa cum Marte rem habuerat. 170 Percussit. 171 Nefario, impio. 172 Timentis.

173 Toxea

[173] Toxea, quid faciat, dubium, paritérq; volentem
Ulcisci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu: calidumque priori
Cæde recalfecit consorti sanguine telum.
Dona Deûm templis [174] nato victore ferebat,
Cùm videt [175] extinctos fratres Althæa referri.
Quæ plangore dato, mœstis ululatibus urbem
Implet: & auratis mutavit vestibus atras.
At simul est auctor necis [176] editus; excidit omnis
Luctus: & a lacrymis in pœnæ versus amorem est.
[177] Stipes erat: quem, cùm partus [178] enixa jaceret
[179] Thestias, in flammam [180] triplices posuêre sorores:
Staminaque impresso fatalia pollice nentes;
Tempora, dixerunt, eadem lignoque tibique,
O modò nate, damus. Quo postquam carmine dicto
Excessêre Deæ; flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem: sparsitque liquentibus undis.
[181] Ille diu fuerat penetralibus abditus imis:
Servatusque tuos, [182] juvenis, servaverat annos.
Protulit [183] hunc genitrix, tædasque in [184] fragmina poni
Imperat: & positis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,
Cœpta quater tenuit. Pugnant [185] matérq; sororque,
Et [186] diversa trahunt unum duo nomina [187] pectus.
Sæpe metu sceleris pallebant ora futuri:
Sæpe suum fervens oculis dabat ira ruborem.
Et modò nescio quid similis crudele minanti
Vultus erat; modò quem misereri credere posses.
Cùmque [118] ferus lacrymas animi siccaverat ardor;
Inveniebantur lacrymæ tamen. Utque carina,
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æstus,
[189] Vim geminam sentit, parétq; incerta duobus;
[190] Thestias haud aliter dubiis affectibus [191] errat,
Inque vices ponit, positamque resuscitat iram.
[192] Incipit esse tamen melior germana [193] parente:
Et [194] consanguineas ut [195] sanguine [196] leniat umbras,
[197] Impietate pia est: nam postquam pestifer ignis
Convaluit: Rogus iste cremet mea [198] viscera, dixit

173 Ordo est: *Meleagros haud patitur Toxea dubitare diu, dubium quid faciat, & volentem pariter ulcisci fratrem, & timentem fraterna fata.*
174 Filio Meleagro.
175 Occisos fratres, Plexippum & Toxea.
176 Dictus nuntiatus.
177 Stipitem describit fatalem Poëta, in quo Meleagri vita continebatur.
178 Cùm esset puerpera.
179 Althæa Thestii filia.
180 Tres Parcæ, Lachesis, Atropos & Clotho.
181 Stipes.
182 O Meleagros.
183 Stipitem.
184 Fracta & scissa ligna, quibus focum struat.
185 Affectus matris sororisque in animo Althææ inter se contendunt.
186 In diversum.
187 Animum.
188 Vehemens animi indignatio.
189 Duplicem, violentiam & venti & æstus maris.
190 Althæa Thestii filia.
191 Vagatur animo & mente.
192 Sic. 1. *Trist. Eleg. 6. Utque cremasse suum fe[..]tur sub stipite natum Thestias, & melior matre fuisse soror.* 193 Althæa. 194 Fratrum animas. 195 Filii morte. 196 Mitiget. 197 *Pia* videtur fuisse Althæa fratrum cædem ulciscendo: *impia* filium necando. 198 Filium meum, qui intra viscera mea latuit.

Utque

Utque manu dira [199] lignum fatale tenebat ;
Ante sepulcrales infelix adstitit aras.
[200] Pœnarumque Deæ triplices [201] furialibus, inquit,
[202] Eumenides, sacris vultus [203] advertite vestros :
Ulciscor facioque nefas. [204] *Mors morte pianda est* :
In scelus addendum scelus est, in funera funus.
Per cöacervatos pereat domus impia luctus.
An felix Oeneus nato victore fruetur :
[205] Thestius orbus erit? Meliùs lugebitis ambo.
Vos modò fraterni manes, animæque recentes,
Officium sentite meum : [206] magnoque paratas
Accipite inferias, uteri mala pignora nostri.
Hei mihi ! [207] Quò rapior? Fratres ignoscite matri.
Deficiunt ad cœpta manus. Meruisse fatemur
Illum, cur pereat : [208] mortis mihi displicet auctor.
Ergò impune feret ; vivusque, & victor, & ipso
Successu tumidus regnum Calydonis habebit?
Vos [209] cinis exiguus, gelidæque jacebitis umbræ ?
Haud equidem patiar. Pereat sceleratus : & ille
[210] Spémq; patris, regnique trahat, patriæque ruinam.
Mens ubi materna est? ubi sunt pia jura parentum?
Et, quos sustinui, [211] bis mensum quinque labores?
O [212] utinam primis arsisses ignibus infans :
Idque ego passa forem! Vixisti munere nostro :
Nunc [213] merito moriêre tuo. Cape præmia [214] facti :
Bisque datam, primùm partu, mox [215] stipite rapto,
Redde animam : vel me fraternis adde sepulcris.
Et [216] cupio, & [217] nequeo. Quid agam? Modò vulnera fratrum
Ante oculos mihi sunt, & tantæ cædis imago :
Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt:
Me miseram! [218] Malè vincetis : sed vincite, fratres :
[219] Dummodo, quæ dedero vobis solatia, vosq;
Ipsa sequar, dixit : dextrâque [220] aversa trementi
[221] Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes : & invitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius atque absens flamma Meleagros ab illâ
Uritur : & [222] cæcis torreri viscera sentit
Ignibus : at magnos superat [223] virtute dolores.

199 In quo Meleagri fata continebantur. 200 Furiæ infernales, quæ tres numero estis, Alecto, Tisiphone & Megæra. 201 A furore & irâ provenientibus. 202 Ita hæ Furiæ vocantur per antiphrasin, quod immites atque implacabiles sint : εὐμενὴς enim *mitem* significat. 203 Convertite. 204 Cædes fratrum morte filii purganda est. 205 Pater meus. 206 Magno pretio, n. filii sanguine comparatas. 207 In quod scelus trahor? 208 Hoc tamen mihi displicet, ut ego nato meo forem funeris auctor. 209 Interfectorum fratrum meorum. 210 Oenei, qui totam spem suam in Meleagro filio collocavit. 211 Quibus in utero matres filios gestare dicuntur. 212 Utinam tunc combustus fuisses, cùm eras infans, unâ cum stipite, quem, à Parcis in ignem conjectum, ego ardêre passa non sum ! 213 Tuo delicto. 214 Peccati, ac sceleris tui. 215 Torre & titione ex igne erepto. 216 Sc. *fratres ulcisci*. 217 Et non possum in ignem conjicere torrem, pietate, qua filium prosequor, impedita. 218 In malum & calamitatem meam. 219 De consciscendâ sibi quoque morte jam cogitat Althæa. 220 Mirandum est hic, & in superiori lucta, ingeniosissimum Poëtæ artificium. 221 Funestum, funerisque ac mortis Meleagri causam. 222 Occultis : quorum causa latebat. 223 Fortitudine.

Quòd

Quòd tamen [224] ignavò cadat,& sine sanguine leto,
[225] Mœret: & [226] Ancæi felicia vulnera dicit.
Grandævumque patrem, fratresque, piasque sorores
Cum gemitu,[227] sociamque tori vocat ore supremo;
Forsitan & matrem. Crescunt ignisque dolorque;
[228] Languescúntq; iterum; simul est extinctus [229] uterque,
Inque leves abiit paulatim spiritus [230] auras:
Alta [231] jacet Calydoni. Lugent juvenesque senesq;
Vulgusque, proceresque gemunt: [232] scissæq; capillos
[233] Planguntur Matres Calydonides Eveninæ.
Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Fœdat humi fusus; spatiosumq; increpat ævum.
Nam de matre manus, diri sibi conscia facti,
Exegit pœnas, acto per viscera ferro.
[234] Non mihi si centum Deus ora sonantia linguæ
Ingeniumque capax, totumq; [235] Helicona dedisset;
Tristia persequerer miserarum dicta sororum,
Immemores decoris [236] liventia pectora tundunt:
Dumq; manet [237] corpus,corpus refoventq;foventq;
Oscula dant [238] ipsi, posito dant oscula [239] lecto.
[240] Post crinem, cineres [241] haustos ad pectora [242] versant:
[243] Affusæque jacent tumulo: signataque [244] saxo
Nomina complexæ, lacrymas in nomina fundunt.
Quas [245] Parthaöniæ tandem [246] Latoïa clade
Exsatiata domûs, præter Gorgenque [247] nurumq;
Nobilis Alcmenæ, natis in corpore pennis
[248] Allevat; & longas per brachia porrigit alas:
[249] Corneaq; ora facit; [250] versasque per aëra mittit.

224 Vili morte.
225 Dolet.
226 Qui percussus ab apro conciderat. Vide supra vers. 402.
227 Uxorem.
228 Decrescunt atque diminuuntur.
229 Et ignis stipitis, & Meleagros.
230 Eorum sequitur opinionem Poëta, qui sentiunt animam auram esse & aërem. Hinc divinæ auræ particula dicitur. [Versum insequentem, *Paulatim canâ prunam velante favillâ*, qui in vulgatis omnibus circumfertur, expunxit Heinsius; in veteribus enim codicibus non invenitur: & repetitio τȣ̃ *paulatim* est inconcinna.]
231 Mœrore ex morte Meleagri concepto, cecidisse videbatur, quæ paulò antè virtute Meleagri alta potensque erat.
232 Scindentes ac lacerantes capillos, quod in magnis luctibus mulieres facere solent. 233 [*Planguntur*, i. e. se plangunt: ita noster, lib. v. *v.* 675.

Dumq; volunt plangi, per brachia mota levatæ
Aëre pendebant nemorum convicia picæ.

Certa quoq; emendatio ex Libris optimis pro *plangunt ora*; *pectora* enim non *ora* dici debuisset. *Eueninæ* Patronymicum ab *Eueno* fluvio *Ætoliæ*.] 234 Idem fere in Homero & Virgilio. 235 Omnium musarum favorem. 236 Percutiunt pectora, ac liventia reddunt. 237 Cadaver Meleagri, nondum rogo injectum. 238 Meleagro seu corpori. 239 Lecto funebri, aut feretro, in quo Meleagri cadaver compositum fuit. 240 Postquam Meleagri cadaver in cinerem fuit resolutum. 241 Acceptus manibus. 242 Astringunt. 243 Et incumbentes prostratæ. 144 Signa. Epitaphium in saxo sculptum, in quo nomen Meleagri erat. 245 Parthaön Oenei Pater, Meleagri avus. 246 Diana, Latonia filia. 247 Dejaniram Herculis uxorem, cujus mater Alcmena. 248 In aërem tollit. 249 Et ora in rostra convertit. 250 In aves mutatas, quæ Meleagrides, à Meleagro fratre, fuerunt cognominatæ.

Naïdes in insulas Echinadas.
Fab. V.

ARGUMENTUM.

Theseus apro Calydonio interfecto cùm se receperet Athenas, & torrentibus aquis interpellaretur, ab Acheloö amne, qui imbribus intumuerat, invitatus est ut suis tectis succederet, dum fluminis unda subsideret. Cujus ille hospitio cùm resedisset, inter epulationem procul insulas visas, ab hospite accepit, Nymphas fuisse Naïdes: quæ cùm Deis sacra redderent, ab eisque præteritus ipse esset; motus offensa, in insulas Echinadas eas convertit.

INterea Theseus [1] sociati parte laboris
Functus, Erechthêas [2] Tritonidos ibat ad arces.
Clausit iter, fecitque moras [3] Achelöus eunti
Imbre tumens. Succede meis, ait, inclyte, tectis
[4] Cecropida; nec te committe rapacibus undis.
Ferre trabes solidas, obliquaque volvere magno
Murmure saxa solent. Vidi contermina ripæ
Cùm gregibus stabula alta trahi: nec fortibus illîc
Profuit armentis, nec equis velocibus esse.
Multa quoque hic torrens nivibus de monte solutis
Corpora [5] turbineo juvenilia vortice mersit.
[6] Tutior est requies; solito dum flumina currant
Limite; dum tenues capiat suus alveus undas.
Annuit [7] Ægides: Utarque Acheloë, domoque
Consilioque tuo, respondit: & usus utroque est.
Pumice multicavo, nec [8] lævibus atria tophis
Structa subit. Molli tellus erat humida [9] musco.
Summa [10] lacunabant alterno [11] murice conchæ.
Jamque duas lucis partes [12] Hyperione menso,
Discubuêre toris Theseus comitesque laborum:
Hac [13] Ixionides, illâ [14] Trœzenius heros
Parte Lelex, raris jam sparsus tempora canis:
Quosque alios parili fuerat dignatus honore
[15] Amnis Acarnanum, lætissimus hospite tanto.

1 Sibi communis cum multis aliis in conficiendo apro.
2 Athenas quæ in Palladis tutela sunt, & olim ab Erechtheo regnatæ.
3 Oceani & Tethyos filius. Is cùm pereret Dejaniram, Oenei Calydoniæ regis, filiam, Herculem in se convertit, à quo superatus, in fluvio, juxta Calydoniam labenti se occultavit, nomenque flumini imposuit.
4 Atheniensis. Sæpius supra.
5 In modum turbinis se volvente. *Vortex* enim propriè dicitur contorta in se aqua: *Turbo* autem est vis venti.
6 Securior est mora.
7 Theseus Ægei filius. 8 Politis, undiq; planis & lævigatis. 9 Herbâ tenuissimâ, juxtà fontes ac in locis humidis nascente. 10 Conchæ alternis muricibus distinctæ distinguebant superiores speluncæ partes. Nam *lacunare* est lacus ac lacunaria facere. 11 *Murex* genus est cochleæ, unde fit purpureus color. 12 Sole. Vide quæ nos diximus ad Lib. 4. vers. 191. 13 Pirithous, Ixionis filius, perpetuus Thesei comes. 14 à Trœzene, ubi Pitthei regia. 15 Achelous Acarnanes ab Ætolia dividens

Protinus

Protinus appositas [16] nudæ vestigia Nymphæ
Instruxêre epulis mensas: dapibusque remotis
In [17] gemma posuêre merum. Tum [18] maximus heros
Æquora prospiciens oculis subjecta, Quis inquit,
Ille locus? digitoque ostendit: & Insula nomen
Quod gerit illa, doce. Quanquam non una videtur.
Amnis ad hæc, Non est, inquit, quod cernimus, unum.
Quinque jacent terræ: spatii discrimine [19] fallunt.
Quoque minùs [20] spretæ factum mirere Dianæ;
Naïdes hæ fuerant: quæ cùm bis quinque juvencos
Mactâssent; rurisque Deos ad sacra vocâssent;
Immemores nostri festas duxêre choreas. [quam;
[21] Intumui: Quantusq; feror, cùm [22] plùrimus, un-
Tantus eram: pariterque animis immanis & undis
A silvis silvas, & ab arvis arvà revelli.
Cùmque loco Nymphas, memores tum denique nostri,
In freta provolvi. Fluctus nosterque marisque
Continuam [23] diduxit humum; partesq; resolvit
In totidem, mediis quot cernis [24] Echinadas undis.

16 Pedes nudos habentes.
17 Poculo gemmeo.
18 Theseus.
19 Supple *oculos*, seu *visum*.
20 Contemtæ.
21 Succensui.
22 Maximus.
23 Divisit.
24 Sic dictas vel ab *Echinis*, quibus abundant, vel ab *Echine* quodam vate.

De Perimele in insulam.

Fab. VI.

ARGUMENTUM.

Perimele Hippodamantis filia cùm ab Acheloö amne per vim esset oppressa, pater eam ob admissum præcipitavit in pelagus. Stuprator impetravit beneficio Neptuni, ut mare eam semotam ab Echinadibus efficeret insulam.

UT tamen ipse vides, procul, en procul una recessit
Insula grata mihi. Perimelen [1] navita dicit.
[2] Huic ego [3] virgineum dilectæ nomen ademi.
Quod pater Hippodamas ægrè tulit: inq; [4] profundum
[5] Propulit è scopulo pariturae corpora natæ.
Excepi; nantemq; ferens, O proxima terræ
Regna vagæ, dixi, sortite, [6] Tridentifer, undæ,

1 Pro *nauta*. Epenthesis.
2 Perimelæ, Hippodamantis filiæ.
3 Virginitatem eripui.
4 In mare altum.
5 Projecit.
6 O Neptune qui tridentem pro sceptro geris.

In

7 Quia omnes fluvij nomen habere dicuntur.

In quo desinimus, quò [7] sacri currimus amnes,
[Huc ades,atq; audi placidus Neptune precantem.]
Huic ego, quam porto, nocui. Si mitis, & æquus,
Si pater Hippodamas, aut si minùs impius esset;
Debuit illius misereri; ignoscere nobis.
Affer opem; mersæque precor feritate paternâ
Da, Neptune, locum: vel sit locus ipsa licebit.
Hanc quoque complectar. Movit caput æquoreus rex:
Concussitque suis omnes assensibus undas.
Extimuit [8] Nymphe: nabat tamen. Ipse natantis
Pectora tangebam trepido [9] salientia motu:
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus; & inductâ condi [10] præcordia terrâ.
[Dum loquor; amplexa est artus nova terra natantes,
Et gravis increvit mutatis insula membris.]

8 Perimele.
9 Palpitantia: quod timentibus accidere solet.
10 Pectora. Propriè *præcordia* dicuntur partes cordi præjacentes.

Philemon & Baucis in arbores, & eorum domus in Templum.
Fab. VII. VIII. IX.

ARGUMENTUM.

Jupiter & Mercurius in hominum figuras versi, in Phrygia cùm animos incolarum experti à nullo ultrò exciperentur hospitio, à Philemone & Baucide hospitalissimè sunt excepti, & cum maxima voluptate rebus humilibus ad victum necessariis simplicissimos animos pauperum experti sunt. Ergo, ut numen ac vim ostenderent suam, sevocatis senibus hospitibus in excelsiorem collem, casam eorum in templum converterunt, eosque ipsos optatos antistites loci sacrati præstiterunt, ita ut cum senectute soluti essent, in arbores converterentur; Philemon in quercum, Baucis in tiliam. Oppidum autem eorum, quod cæteros cives inhospitales habuerat, aquarum multitudine obrutum, stagnum factum est.

[1] AMnis ab [2] his tacuit. Factum mirabile cunctos
Moverat. Irridet credentes: utque Deorum
[3] Spretor erat, mentisque ferox Ixione [4] natus;
Ficta refers, nimiumque putas, Acheloë, potentes
Esse Deos, dixit; si [5] dant adimuntque figuras
Obstupuere omnes; nec talia dicta probârunt:

1 Achelous.
2 Post hæc.
3 Contemtor.
4 Pirithous, supra vers. 568.
5 Si possunt & dare & eripere formas rebus.

Ante omnesque Lelex, animo [6] maturus & [7] ævo,
Sic ait, *Immensa est, finemque potentia [8] cœli*
Non habet : &, quicquid Superi voluere, peractum est.
Quoque minus dubites ; tiliæ [9] contermina quercus
Collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.
Ipse locum vidi : nam me [10] Pelopeïa Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata [11] parenti.
Haud procul hinc stagnum ; tellus habitabilis olim ;
Nunc [12] celebres mergis fulicisq; [13] palustribus undæ.
Juppiter huc, specie [14] mortali, cumque parente
Venit [15] Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiêre, locum requiemq; petentes :
Mille domos clausêre [16] seræ. Tamen una recepit,
Parva quidem, stipulis & canna tecta palustri ;
Sed pia Baucis anus, [17] parilique ætate Philemon
Illâ sunt annis juncti juvenilibus : illâ
Consenuere casa : *paupertatemque fatendo*
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illîc, famulosne requiras ;
Tota [18] domus, duo sunt : iidem [19] parentque jubentque.
Ergò ubi [20] Cœlicolæ parvos [21] tetigere penates ;
Submissoque humiles intrârunt vertice postes ;
Membra [22] senex posito jussit [23] relevare [24] sedili :
Quo [25] super injecit textum rude sedula Baucis.
Indè foco tepidum cinerem dimovit : & ignes
[26] Suscitat hesternos ; foliisque & cortice sicco
Nutrit ; & ad flammas anima producit anili :
Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto
Detulit, & [27] minuit, parvoque admovit aeno :
Quodque [28] suus conjux riguo collegerat horto,
[29] Truncat olus foliis : furca levat ille bicorni
[30] Sordida terga suis, nigro pendentia tigno ;
Servatoque diu resecat de [31] tergore partem
Exiguam ; sectamque [32] domat ferventibus undis.
Interea medias [33] fallunt sermonibus horas :
Sentirique moram prohibent. Erat alveus illîc
[34] Fagineus, curvâ clavo [35] suspensus ab ansâ.
Is tepidis impletur aquis ; [36] artusque fovendos
Accipit. In medio torus est de mollibus ulvis

6 Prudens & bonus.
7 Et senex
8 Cœlestium : n. Deorum. Metonym. subjecti.
9 Vicina.
10 In Phrygiam, cujus olim rex Tantalus, Pelopis pater.
11 Pelopi.
12 Frequentatæ.
13 In paludibus viventibus.
14 In humanam figuram versus.
15 Mercurius caduceum gerens. Mercurius alas calcibus & humeris alligatus hâbuit.
16 Januæ. Pars pro toto.
17 Pari & æquali.
18 Familia.
19 Et domini sunt & servi.
20 Jupiter & Mercurius cœli incolæ.
21 Pervenêre ad casam.
22 Philemon.
23 Levare.
24 Apposita sede.
25 Super quo sedili. Anastrophe est : præpositio enim casui suo postponitur.
26 Metaphora ab homine dormiente. Sic. Virg. *Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes.*
27 Fregit. minuta parvaque reddidit. Eleganter Poëta rustici pauperis apparatum & mores describit.
28 Philemon.
29 Resecat folia de olere, trunco & caule relictis.
30 Fumosa.
31 Tergo.
32 Mollit & coquit.
33 Transigunt. Sic sæpius supra.
34 Vas ex fago confectum, vel urna, aut simile quid.
35 Appensus Annulo.
56 Pedes lavandos, more veterum.

Impositus lecto, spondâ pedibusque [37] salignis:
Vestibus hunc [38] velant, quas non nisi tempore festo
[39] Sternere consuêrant; sed & hæc vilisque vetusque
Vestis erat, lecto non [40] indignanda [41] saligno.
Accubuêre Dei. Mensam succincta tremensque
Ponit anus. Mensæ sed erat pes tertius impar:
Testa parem fecit. Quæ postquam subdita [42] clivum
Sustulit; æquatam [43] mentæ [44] tersêre virentes.
Ponitur hîc bicolor [45] sinceræ bacca Minervæ,
Conditaque in liquida corna [46] autumnalia [47] fæce,
Intubaque, & radix, & lactis massa coacti;
Ovaque, non [48] acri leviter versata favillâ;
[49] Omnia [50] fictilibus. Post hæc cœlatus eadem
[51] Sistitur [52] argillâ crater; fabricataque [53] fago
Pocula [54] qua cava sunt, flaventibus illita ceris.
Parva mora est; [55] epulasque foci misêre calentes:
[56] Nec longæ rursus referuntur vina senectæ;
Dantque locum mensis [57] paulùm seducta secundis.
Hîc nux, hîc mista est rugosis [58] carica [59] palmis,
Prunaque, & in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ.
Candidus in medio favus est. [60] *Super omnia vultus*
Accessere boni: nec iners pauperque voluntas.
Interea quoties [61] haustum cratera repleri
Sponte sua, per seque vident succrescere vina,
Attoniti novitate pavent, manibusque supinis
[62] Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon:
Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimæ custodia villæ:
Quem [63] Dîs hospitibus domini mactare parabant:
[64] Ille celer pennâ tardos ætate fatigat;
Eluditque diu: tandemque est visus ad ipsos
Confugisse Deos. Superi vetuere necari;
Dîque sumus; meritasque luet vicinia pœnas
[65] Impia, dixerunt. Vobis [66] immunibus hujus
Esse [67] mali dabitur: [68] modò vestra relinquite tecta;
Ac nostros [69] comitate gradus: & in ardua montis,
Ite [70] simul. Parent ambo, baculisq; levati

37 Ex salice factis. 38 Cooperiunt 39 Lecto injicere & imponere. 40 Non indigna, bene convenientia. 41 Ex salice, vili arbore, confecto. 42 Inæqualitatem mensæ. 43 Suavissimi odoris herbæ. 44 Mundavêre. 45 Integræ virgini Minervæ Olivæ dicatæ sunt. 46 Autumno maturescentia. 47 Muria. 48 In igne levi, non vehementi. 49 Sc. *apponuntur*. 50 In vasis terreis, ex argillâ factis: à *fingendo*, i. formando, dicta. Undè & *figuli* dicuntur, qui ex creta, atque argilla opera formant seu faciunt: & *figulina* seu *figlina*, officina, in quâ hujusmodi opera fiunt. 51 Collocatur in mensâ. 52 Eodem luto. 53 Arbore glandifera, ex cujus ligno vasa conficiuntur. 54 Quâ parte cava sunt, nempe interiore. 55 Cibos calidos 56 Vinum novum, atque ita satis vile. 57 Seposita & remota. 58 Ficus siccæ.

59 Cum fructibus palmæ rugosis & siccis. 60 Ante omnia boni & hilares vultus adfuerunt. 61 Evacuatum urceum. 62 Precari incipiunt. 63 Jovi & Mercurio, quos hospitio exceperant. 64 Anser. 65 Inhospitales vicini. 66 Libertis expertibus. 67 Calamitatis, quâ vicinos vestros afficiemur. 68 Solùm. 69 Antiquè dixit, pro *comitamini*. 70 Venite nobiscum.

71 Ni-

[71] Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantum aberant summò, quantum semel ire sagitta
Missa potest: flexere oculos, & mersa palude
Cætera prospiciunt: tantùm sua [72] tecta [73] manere.
Dumque ea mirantur; dum [74] deflent [75] fata [76] suorum:
Illa vetus [77] dominis etiam [78] casa parva duobus,
Vertitur in templum: [79] furcas subiere columnæ:
Stramina flavescunt; [80] adopertaq; marmore tellus,
Cœlatæq; fores, aurataq; tecta videntur.
Talia cùm placido Saturnius edidit ore:
Dicite, juste senex, & fœmina conjuge justo
Digna, quid optetis. Cum Baucide pauca locutus,
[81] Judicium Superis [82] aperit commune Philemon:
Esse sacerdotes, [83] delubraque vestra tueri
Poscimus: & quoniam [84] concordes egimus annos;
Auferet hora [85] duos eadem: nec conjugis unquam
[86] Busta meæ videam; neu sim [87] tumulandus ab illâ.
[88] Vota fides sequitur. Templi [89] tutela fuere;
Donec vita data est. [90] Annis ævoque soluti
Ante gradus sacros cùm starent fortè, [91] locique
Narrarent casus; [92] frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon.
Jamque super geminos crescente [93] cacumine vultus,
Mutua, [94] dum licuit, reddebant dicta; Valeque,
O conjux, dixere simul: simul abdita texit
Ora frutex. Ostendit adhuc [95] Tyaneïus illîc
Incola de [96] gemino vicinos corpore truncos.
Hæc mihi non [97] vani, [98] (neque erat cur fallere vellent)
Narravêre senes. [99] Equidem pendentia vidi
[100] Serta super ramos: [101] ponensque recentia, dixi,
Cura pii Dis sint, & qui coluêre, coluntur.

71 Longum & arduum clivum ascendere conantur.
72 Suam casam.
73 Stare, superesse.
74 Deplorant.
75 Infortunia.
76 Vicinorum.
77 Baucidi & Philemoni.
78 *Casæ* propriè dicuntur rusticæ domus.
79 Furcæ in columnas fuerunt mutatæ. In magnificum verò templum Philemonis casam mutatam fuisse scribit.
80 Solum templi marmore stratum.
81 Votum, cupiditatem.
82 Indicat, manifestat.
83 Et vestra templa custodire.
84 Concordes unanimesque viximus. Sic supra: *Et dulces concorditer egimus annos.*
85 Ambos.
86 Funera.
87 Sepeliendus.
88 Nam Jupiter ut promiserat, id, quod petierant, concessit.
89 Templo custodes, vel sacerdotes.
90 Senio confecti.
91 Ea quæ loco illi evenerant. 92 Frondes emittere. Ambo in arbores fuerunt mutati, Philemon in quercum, Baucis in tiliam, ut ajunt. 93 Vertice capitis. Innuit autem capillos in frondes fuisse mutatos. 94 Donec potuerunt. 95 Quidam ex Tyana oppido Cappadociæ, qui tunc fortè in Phrygia fuit. 96 De duobus corporibus Baucidis & Philemonis factos. 97 Veri, non falsi, nec mendaces. 98 Sc. *enim*. 99 Argumentis probat Lelex ea quæ narravit esse vera. 100 Coronas, à *ferendis* floribus dictas. Coronæ olim & in lucis & in arboribus sacris appendebantur. 101 Apponens.

Proteus in varias formas. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Acheloüs inter epulas Theseo, quem receperat hospitio, enarrans hos qui in alienam figuram versi essent; miranti casus mortalium, etiam refert qui in plures figuras abierint, ut Protea, Neptuni filium, solitum modo in juvenem, modo in leonem, interdum in aprum, alias in anguem, & cætera animalia converti, quibus insidias posset eludere.

[1] Desierat: cunctosque & [2] res & moverat [3] auctor;
Thesea præcipuè: quem facta audire volentem
Mira Deûm, nixus cubito [4] Calydonius amnis
Talibus alloquitur: Sunt, ô fortissime, quorum
Forma semel [5] mota est, & in hoc [6] renovamine mansit.
Sunt, quibus in plures [7] jus est transire figuras:
Ut tibi, complexi [8] terram maris incola, [9] Proteu.
Nam modò te juvenem, modò te vidêre leonem,
Nunc violentus aper; nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum.
Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri.
Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras: interdum undis contrarius ignis.

1 Sc. loqui Lelex.
2 Miranda.
3 Lelex, qui narraverat.
4 Acheloüs.
5 Mutata.
6 In hæc renovatione.
7 Facultas & potestas.
8 Nam Oceanus ambit terras.
9 Proteus Oceani & Tethyös fuit filius, vates clarissimus, qui se in varias mutabat figuras. Mythologi hunc alii Regem callidissimum, alii Politicum, alii Rhetorem fuisse interpretantur.

Fames Erisichthonis & varia Metræ metamorphosis. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Metra, Erisichthonis filia, Autolyci uxor, cùm parentem animadvertisset, quod in Thessalia lucum Cereris devastasset, gravissimam experiri famem, quod se quoque novissimè rebus aliis omnibus consumtis vendidisset; à Neptuno, qui ejus virginitatem ademerat, petiit ut sibi ferret opem. At ille, memor ejus concubitus, cùm speciosissima domino tradita fuisset, ut effugeret ejus servitutem,

tem, in piſcatorem provectiores ætatis eam convertit, conceſſitque ut in quaſcunque vellet figuras ſe convertere poſſet, ut pretio ſui parentem pœnas pendentem alere poſſet. Sed cum ſæpius pretio emtores fraudaſſet, jamque doli omnes conſumti eſſent, noviſſimè Eriſichthon membra ſua devoravit, dignumque ſua impietate exitum ſortius eſt.

NEc minus [1] Autolyci conjux [2] Eriſichthone nata
[3] Juris habet. Pater hujus erat, qui numina Divûm
Sperneret; & [4] nullos aris adoleret honores.
[5] Ille etiam [6] Cereale nemus violâſſe ſecuri
Dicitur, & lucos [7] ferro temerâſſe vetuſtos.
Stabat in his ingens [8] annoſo robore quercus;
[9] Una nemus: vittæ mediam, [10] memoreſque tabellæ,
Sertaque cingebant voti [11] argumenta potentis.
Sæpe ſub hac [12] Dryades feſtas duxere choreâs:
Sæpe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
[13] Circuïere [14] modum: menſuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat. [15] Nec non & cætera tanto
Silva ſub hâc, ſilvâ quanto jacet herba ſub omni.
Non tamen idcircò ferrum [16] Triopeïus [17] illâ
Abſtinuit; famuloſque jubet ſuccidere ſacrum
[18] Robur: & ut juſſos cunctari vidit, ab uno
Edidit hæc rapta ſceleratus verba ſecuri:
Non dilecta Deæ ſolùm, ſed & ipſa licebit

1 Metra Eriſicſithonis filia, nupta Autolyco, Ulyſſis avo materno. 2 Eriſichthon Theſſalus fuit, Deorum contemtor, qui cum in Cereris nemore altiſſimam quercum, in quâ Nympha habitabat, exſcinderet, Hamadryades illorum montium incolæ ad Cererem convenerunt, precantes ut tantam impietatem ulciſceretur. Ceres igitur & ſua & Hamadryadum cauſa mota, numinum contemtorem Eriſichthonem novo ſupplicii genere afficere, aſſidua ſc. fame, cruciare decrevit. Ceres igitur unam è Nymphis ad Famem in extremam Scythiam miſit, quæ ipſius nomine ipſam oraret, ut Eriſichthonem ita ſtimularet, ut nullis cibis ſatiari poſſet. Cùm verò hoc perfeciſſet Fames, Eriſichthon, poſtquam totum patrimonium ventri impendit, unicam quoque filiam Metram olim à Neptuno vitiatam, vendere coactus eſt. Hæc verò, ut ſervitutis jugum effugeret, Neptuni auxilium imploravit, qui ei, in vetulum piſcatorem converſæ, conceſſit, ut quaſcunque vellet formas aſſumere poſſet. Hoc pacto per aliquod tempus patrem famelicum aluit; ſed tandem omnibus facultatibus abſumtis, Eriſichthon ſua ipſius comedit viſcera, & ſic miſerabili morte periit. 3 Minus poteſtatis, quam Proteus: ſc. ut poſſit ſe mutare in varias figuras. 4 Et nullas Diis victimas immolaret. 5 Eriſichthon 6 Cereri conſecratum. 7 Violaſſe. 8 Stipite vetuſto. 9 Una hæc arbor inſtar nemoris erat. [Noſter Epiſtolâ Sapphûs

Quem ſupra ramos expandit aquatica lotos,
Una nemus:]

10 Memoriam eorum continentes, qui ope illius Nymphæ, de qua infra verſ. 777. compotes voti facti fuiſſent. 11 Signa & probationes. 12 Nymphæ ſeu Deæ nemorum ἀπὸ τῆς δρυὸς. 13 Circumdedêre. 14 Magnitudinem ſtipitis. 15 Tanto major reliqua ſilva ea erat quercus, quantò arbores herbis ſunt altiores. 16 Eriſichthon: *Triopa* fuit Eriſichthonis pater. 17 Ab illa quercu. 18 Sacram quercum.

Sit Dea, jam tanget frondente cacumine terram.
Dixit: &, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit [19] Deoïa quercus:
Et pariter frondes, pariter pallescere glandes
Cœpere; ac longi sudore madescere rami.
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus;
Haud aliter fluxit [20] discussa cortice sanguis;
Quàm solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, [21] abrupta cruor è cervice [22] profusus.
Obstupuere omnes: aliquisque ex omnibus audet
[23] Deterrere nefas, sævamque inhibere bipennim.
Aspicit hunc, Mentisque piæ cape præmia, dixit
[24] Thessalus: inque virum convertit ab arbore ferrum:
Detruncatque caput; repetitaque robora cædit.
Editas è medio sonus est cum robore talis:
Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno:
Quæ tibi factorum pœnas [25] instare tuorum
Vaticinor moriens nostri solatia leti.
[26] Persequitur scelus ille suum: labefactaq; tandem
Ictibus innumeris, [27] adductaque funibus arbor
Corruit, & multam [28] prostravit pondere silvam.
Attonitæ [29] Dryades damno nemorisq; suoque,
Omnes germanæ, Cererem cum vestibus [30] atris
Mœrentes adeunt; pœnamque Erisichthonis orant.
[31] Annuit [32] his: capitisque sui pulcherrima motu
Concussit gravidis oneratos messibus agros:
[33] Moliturque genus pœna miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera [34] lacerare Fame. Quæ [35] quatenus ipsi
Non adeunda Deæ, (neque enim Cereremq; Famemque
Fata [36] coire sinunt) montani numinis unam
Talibus agrestem compellat [37] Oreäda dictis:
Est [38] locus extremis Scythiæ [39] glacialis in oris,
[40] Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore, tellus,
Frigus [41] iners illîc habitant, [42] Pallorque, Tremorque,
Et jejuna Fames: ea se in præcordia [43] condat

19 [*Cerealis* ἀπὸ τῆς Δηοῦς: ita *Cereale nemus* paulo ante. *Deoïda* pro Proserpina habes Lib. VI. v. 114. *Mnemosynen Pastor: varius Deoïda serpens.* Ineptè ante *Dodonia*, ac si ob quercus *Dodonias* in Thessaliâ celeberrimas, omnes aliæ quercus, ubicunq; sint, & cuicunq; numini sint dicatæ, *Dodoniæ* quoq; vocarentur. Heinsius.]
20 Fracta aperta [Cortex est communis generis: noster Lib. IV. v. 375. ---*Veluti si quis conductâ cortice ramos*]
21 Absciffo collo.
22 Effusus.
23 Terrore dissuadere.
24 Erisichthon.
25 Imminere, ac propinquas esse.
26 Peragit.
27 Attracta.
28 In terram dejecit.
29 Arborum Nymphæ perculsæ, perterritæ.
30 Pullis, ac luctui convenientibus.
31 Nutu consensit, atque promisit Ceres.
32 Dryadibus.
33 Et præparat.
34 Laniare, cruciare.
35 Quoniam. 36 Convenire: contraria enim simul esse non possunt. 37 Nympham montanam *Oreädes* enim montium sunt Nymphæ, ἀπὸ τῦ ὄρους, i. *à monte*. 38 Topographia, & loci, maximè Fami convenientis, descriptio, ut qui perpetuis frigoribus sit sterilissimus. 39 Frigidissime, ubi sunt perpetuæ nives. 40 Infœcunda terra. 41 Pigrum ab effectu, quòd homines pigros faciat & inertes. 42 Hi sunt perpetui frigoris comites. 43 Ut abscondat.

44 Sacri-

[44] Sacrilegi [45] ſcelerata jube. Nec copia rerum
[46] Vincat eam ; ſuperetque meas certamine vires.
Neve viæ [47] ſpatium te terreat ; accipe currus :
Accipe, quos frænis altè [48] moderere [49] dracones.
Et dedit. Illa dato ſubvecta per aëra curru
Devenit in Scythiam : rigidique cacumine montis
([50] Caucaſon appellant) ſerpentum colla levavit :
Quæſitamque Famem lapidoſo vidit in agro,
Unguibus & raras [51] vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis ; cava lumina : pallor in ore :
Labra [52] incana [53] ſitu : [54] ſcabræ rubigine fauces :
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent :
Oſſa ſub incurvis [55] extabant arida lumbis :
[56] Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares
Pectus, & à ſpinæ tantummodo [57] crate teneri.
Auxerat [58] articulos macies, genuumque rigebat
Orbis, & [59] immodico prodibant tubere talo.
[60] Hanc procul ut vidit, (neque enim eſt accedere juxtà
Auſa) [61] refert mandata Deæ ; paulumque morata,
Quanquam aberat longè, quanquam modò venerat illuc,
Viſa tamen ſenſiſſe Famem ; retroque dracones
Egit in [62] Hæmoniam verſis [63] ſublimis habenis.
Dicta Fames Cereris ([64] quamvis contraria ſemper
Illius eſt operi) peragit ; perque aëra vento
Ad [65] juſſam delata domum eſt : & protinus intrat
Sacrilegi thalamos : [66] altoque ſopore ſolutum
(Noctis erat [67] tempus) geminis amplectitur alis :
Seque viro inſpirat, fauceſque, & pectus, & ora
Afflat ; & in vacuis ſpargit jejunia venis.
[68] Functaque mandato [69] fœcundum deſerit orbem ;
Inque domos inopes aſſueta re vertitur antra.
Lenis adhuc ſomnus placidis Eriſichthona pennis
[70] Mulcebat. Petit [71] ille dapes ſub [72] imagine ſomni :
[73] Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat ;
Exercetque [74] cibo deluſum guttur inani ;
Proque epulis tenues nequicquam devorat auras.
Ut verò eſt expulſa quies ; furit [75] ardor edendi :

44 Eriſichthonis. Sacrilegus is eſt, qui ſacra violat, atque furatur.
45 In præcordia ſcelerati & ſacrilegi Eriſichthonis.
46 Superare poſſit.
47 Longitudo.
48 Regas atque gubernes.
49 Cereris currum trahentes.
50 *Caucaſus* mons eſt Scythiæ omnium altiſſimus, perpetuiſque nivibus tectus.
51 [Quia in agro lapidoſo : Lucanus de Africâ, Lib. ix. *Hoc tam ſegne ſolum raras tamen exerit herbas.*]
52 Valdè pallida.
53 Squallore, illuvie.
54 Aſperi.
55 Eminebant.
56 Nihil ventris habebat.
57 Oſſibus ſpinæ, & coſtis a ſpina & ipſa orientibus.
58 Nodos.
59 Magno tumore.
60 Famem.
61 Exponit mandata Cereris.
62 Theſſaliam.
63 Alta : per aërem enim volabat.
64 Belle : neque enim ubi ſunt fruges, quæ ſunt opera Cereris, ibi Fames poteſt eſſe. Fruges præterea, à Cerere inventas, Fames aſſiduè conſumit. 65 Eriſichthonis. 66 Profundo ſomno gravatum. 67 Sc. erat. 68 Et cùm Cereris mandatum pergiſſet. 69 Frugiferum. 70 Fovebat. 71 Eriſichthon. 72 Per inſomnium. Sibi enim fameſcere videbatur in ſomno. 73 Sibi enim fruſtra mandere videbatur. 74 Vanis & falſis epulis. 75 Dira fames, & major quam βουλιμία.

Per-

Perque avidas fauces, [76] immensaque viscera regnat.
Nec [77] mora: quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poscit; & appositis [78] queritur jejunia mensis:
Inque epulis epulas quærit. Quodque urbibus esse,
Quodque [79] satis populo poterat; non sufficit uni.
[80] Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum.
[81] Utque fretum recipit de tota flumina terrâ;
Nec [82] satiatur aquis; peregrinosque ebibit amnes;
Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat;
Innumerasque trabes [83] cremat; &, quo copia major
Est data, plura petit; turbaque voracior [84] ipsâ est:
Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt, poscuntque simul. Cibus omnis in illo
Caussa cibi est: [85] semperque locus fit inanis edendo.
Jamque fame patrias altique voragine ventris
[86] Attenuârat opes sed [87] inattenuata manebas
Tum quoque, dira fames; implacatæque vigebat
[88] Flamma gulæ. Tandem, [89] demisso in viscera censu,
[90] Filia restabat, non illo digna parente.
Hanc quoque vendit inops. Dominum [91] generosa recusat:
Et vicina suas tendens super æquora palmas,
Eripe me domino, qui [92] raptæ præmia nobis
Virginitatis habes, ait. Hæc [93] Neptunus habebat.
Qui [94] prece non spreta, quamvis [95] modò visa sequenti
Esset [96] hero; formamque novat; vultumque virilem
Induit, & cultus piscem capientibus aptos.
Hanc dominus spectans, O qui [97] pendentia parvo
Æra cibo [98] celas, moderator arundinis, inquit,
[99] Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in undâ
Credulus, & nullos, nisi fixus, sentiat hamos:
Quæ modo cùm vili turbatis veste capillis
Littore in hoc steterat (nam stantem in littore vidi)
Dic ubi sit: [100] neque enim vestigia longiùs extant.
Illa Dei munus benè [101] cedere [102] sentit: & à se

76 Inexplebilia.
77 Subitò.
78 Conqueritur se jejunum esse.
79 Sufficere.
80 Quantò plura comedebat, tanto plura appetebat Erisichthon.
81 Duplici similitudine Poëta ostendit, quam insariabilis esset Erisichthonis edendi aviditas.
82 Expletur.
83 Comburit.
84 Ipsa rerum copia.
85 Venter edendo non impletur, sed evacuari potiùs videtur.
86 Parvas effecerat.
87 Non diminuta.
88 Ardor, aviditas edendi.
89 Consumto patrimonio.
90 Metra, digna parente minus impio ac infelici.
91 Ingenua servitutem pati noluit.
92 Ereptæ. Jam enim Neptunus eam vitiarat.
93 Exponit Poëta id, quod puella tacuerat eam a Neptuno fuisse raptam.
94 Exauditus precibus.
95 Paulò antè.
96 Domino, cui a patre Erisichthone fuerat vendita.
97 Hamos ex ære confectos. Metonymia.
98 Occultas.
99 Optandi hic est adverbium.

100 Significat eam longiùs non processisse, cùm pedum vestigia non appareant.
101 In bonum sibi cedere. 102 Cognovit, animadvertit.

Se

Se quæri gaudens, hic eſt [103] reſcuta rogantem:
Quiſquis es, ignoſcas; in nulla lumina partem
Gurgite ab hoc flexi [104] ſtudioque operatus inhæſi.
Quoque minùs dubites: ſic [105] has Deus æquoris artes
Adjuvet, ut nemo jamdudum littore in iſto,
(Me tamen excepto) nec fœmina conſtitit ulla.
Credidit; & [106] verſo dominus pede preſſit arenam;
Eluſuſque abiit; illi [107] ſua reddita forma eſt.
Aſt ubi habere [108] ſuam [109] transformia corpora ſentit,
Sæpe pater dominis [110] Triopeïda vendit: at illa
Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat:
Præbebatq; avido [111] non juſta alimenta [112] parenti.
Vis [113] tamen illa mali poſtquam conſumſerat omnem
Materiam, dederatq; gravi [114] nova pabula morbo;
[115] Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu
Cœpit: & infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror [116] externis? etiam mihi ſæpe novandi
Corporis, ô [117] juvenes, [118] numero finita poteſtas:
Nam modò, quod nunc ſum, videor: modo flector in anguem:
Armenti modo dux vires in cornua ſumo.
Cornua, dum potui. Nunc pars caret altera [119] telo
Frontis, ut ipſe vides. [120] Gemitus ſunt verba ſecuti.

103 His verbis ſe interroganti reſpondit.
104 Sollicitus, aut intentus ſtudio piſcandi. [Peſſimè in vulgatis *oneratus*. Heinſius].
105 Ambiguè dictum: nam & artem piſcandi, & fraudes, quibus utebatur, intelligi poſſunt.
106 Retroceſſit, per arenam.
107 Virginis propria.
108 Sc. Filiam.
109 Quæ poſſint transformari in varias figuras.
110 Triopæ neptem.
111 Injuſta.
112 Famelico patri Eriſichthoni.
113 Illa morbi violentia.
114 Noviſſimos & ultimos cibos.
115 Eriſichthon.
116 Alienis transformationibus.
117 Theſeum & Lelega alloquitur Acheloüs.
118 Sed non niſi in formam triplicem mutari licet, n. in hominem, taurum, & anguem, ut ſequitur.
119 Cornu, quo ab Hercule privatus fuit, ut mox liber ſequens docebit.
120 Suſpiria: quibus ſignificabat ſe valdè effracto cornu dolere.

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER IX.

Acheloï cum Hercule lucta, & variæ formæ, & Cornu copiæ. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Deïanira Oenei *filia Ætolarum virgo speciosissima, cùm à multis peteretur, pater constituit ei conjugio se daturum, qui luctandi caussa veniret, vinceretque. Manentibus itaque è numero potentum duobus, Acheloö flumine, &* Hercule, *quia reliqui ob metum cesserant, in certamen processum est. Cùm ergo Acheloüs naturalibus modis Herculem eluderet, modo in liquorem, modo in speciem draconis novissimè in tauri figuram conversus adstitit: quem Hercules ut amplexus est reluctantem, alterum cornu, quod implicaverat brachiis, rapuit extortum. Quo dolore ille ac deformitate victus adversarii viribus cessit. At Nymphæ Naïdes, fluminis filiæ, id cornu quod ereptum capiti erat, omnibus copiis autumnalibus repleverunt: ut apud posteros maximum haberet fructum, & mirationem. Itaque* Cornucopiæ *effectum est ut diceretur omnibus temporibus.*

Quæ

QUÆ gemitus, [1] truncæque Deo [2] Neptunius heros
Caussa rogat frontis: cùm sic [3] Calydonius amnis
Cœpit, inornatos [4] redimitus [5] arundine crines:
Triste petis munus. Quis enim sua prælia victus
Commemorare velit? Referam tamen ordine. Nec tam
Turpe fuit vinci, quàm contendisse decorum est:
Magnaque dat nobis tantus solatia [6] victor.
[7] Nomine siqua suo [8] tandem [9] pervenit ad aures
Deïanira tuas; quondam pulcherrima virgo,
Multorumque fuit spes invidiosa [10] procorum.
Cum quibus ut [11] soceri domus est intrata petiti:
Accipe me generum, dixi, [12] Parthaöne nate.
Dixit & [13] Alcides. Alii cessêre [14] duobus.
Ille Jovem socerum dare se, famamque laborum,
Et superata suæ referebat jussa novercæ.
[15] Contrà ego: [16] (Turpe Deum [17] mortali cedere duxi:
Nondum erat ille Deus) [18] Regem me cernis aquarum
Cursibus obliquis inter tua regna fluentem:
Nec gener externis hospes tibi missus ab oris,
Sed [19] popularis ero, & rerum pars una tuarum.
[20] Tantum ne noceat, quòd me nec regia Juno
Odit, & omnis abest jussorum pœna laborum.
Nam quòd te jactas [21] Alcmena matre creatum;
Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.
Matris adulterio patrem petis. Elige, [22] fictum
Esse Jovem malis, an te per [23] dedecus ortum.
Talia dicentem jamdudum lumine [24] torvo
Spectat; & accensæ non fortiter imperat iræ
Verbaque tot reddit: Melior mihi dextera linguâ.
Dummodo pugnando superem; tu vince loquendo.
Congrediturque ferox. Puduit modo [25] magna locutum
Cedere. Rejeci [27] viridem de corpore vestem;
Brachiaque opposui: [28] tenuique à pectore varas

1 Mutilatæ: altero enim cornu carebat.
2 Theseus filius Ægei, cui pater Neptunus.
3 Acheloüs.
4 Cinctos habens crines.
5 Coronâ ex arundinibus confectâ, quibus ferè fluviorum ripæ abundant.
6 Quàntus Hercules fuit.
7 Narrare incipit Acheloüs certamen sibi pro Deïaniræ nuptiis susceptum.
8 Aliquando.
9 Sic Virg. 2. Æn. *Fando aliquid si fortè tuas pervenit ad aures.*
10 *Proci* dicuntur, qui mulierem aliquam in uxorem poscunt, à *precando*, i. petendo dicti.
11 Appetiti soceri Oenei.
12 Oeneus, rex Ætoliæ, Parthaönis fuit filius.
13 Hercules: ab Alcæo avo, sive ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, i. à *robore, fortitudine.*
14 Nobis.
15 E contrario.
16 Sc. *esse.*
17 Homini: nondum enim Hercules in Deorum numerum fuerat translatus, quod infra vers. 240. videbimus. 18 Acheloüs enim fluvius est inter Acarnaniam Ætoliamque labens. 19 Ex tuo populo unus. 20 Solummodò mihi id non noceat rogo, quòd Juno, Deorum regina, me nulla invidia prosequitur, neque mihi ullam irrogat pœnam. Ea verò Herculi potiùs obsint, quam prosint. 21 Electrionis filia, uxore Amphytrionis ex quâ Jupiter, in Amphitryonem conversus, Herculem suscepit. 22 Sc. *patrem.* 23 Per ignominiam ex matris adulterio ortum. Colligit hoc dilemmate Acheloüs, aut Herculem non habere Jovem patrem, aut si habeat, eum ex adulterio natum. 24 Trucibus oculis, quales iratis conveniunt. 25 Modo. 26 Superba. 27 Color ille convenit maris & fluviorum Diis 28 Habui manus meas varas, *i. e.* incurvas, &c. ad pugnandum promtas. *Vari* propriè dicuntur, quibus crura obtorta sunt.

In [29] statione manus; & pugnæ membra paravi.
[30] Ille cavis [31] hausto sparsit me pulvere palmis;
Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ:
Et modò cervicem, modò crura micantia [32] captat;
Aut captare putes: omnique à parte lacessit.
Me mea defendit gravitas; frustraque petebar.
Haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant; manet illa, suoque est pondere tuta.
Digredimur paulum: rursumque ad bella coimus;
Inque gradu stetimus, [33] certi non cedere; eratque
[34] Cum pede pes junctus: totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.
[35] Non aliter fortes vidi concurrere tauros,
Cùm pretium pugnæ toto nitidissima saltu
Expetitur [36] conjux. Spectant armenta, paventque
Nescia quem maneat tanti victoria regni.
Ter sine profectu voluit nitentia contrà
Rejicere Alcides à se mea pectora: quartò
Excutit amplexus, [37] adductaque brachia solvit:
Impulsumque manu ([38] certum mihi vera fateri)
Protinus avertit: tergoque onerosus inhæsit.
Si qua [39] fides, (neque enim [40] ficta mihi gloria voce
Quæritur) imposito [41] pressus mihi monte videbar,
Vix tamen exserui sudore fluentia multo
Brachia; vix solvi duros à corpore nexus.
Instat anhelanti; prohibetque resumere vires:
Et [42] cervice mea potitur. Tum denique tellus
Pressa genu nostro est; & arenas ore momordi,
Inferior virtute [43] meas [44] devertor ad artes;
[45] Elaborque viro longum formatus in anguem.
Qui postquam flexos [46] sinuavi corpus in [47] orbes;
Cumque fero movi linguam [48] stridore bisulcam;
Risit, &, illudens nostras [49] Tirynthius artes;
[50] Cunarum labor est angues superare mearum,
Dixit: &, Ut [51] vincas alios, Acheloë, dracones;
[52] Pars quota [53] Lernææ serpens eris unus Echidnæ?

29 In loco ad resistendum apto.
30 Hercules.
31 Suscepta arena, ut me inunctum oleo (qui luctantium mos erat) posset apprehendere.
32 Capere conatur.
33 Qui decreveramus alteri non cedere.
34 More palæstritarum.
35 Hac similitudine ostendit Achelous, quanto impetu cum Hercule congressus fuerit.
36 Vacca candida.
37 Circumducta, circumdata.
38 Decrevi.
39 Sc. *est verbis meis.*
40 Fictis verbis
41 Oppressus.
42 Et collum meum capit.
43 Mihi ingenitas, proprias.
44 Convertor.
45 Et effugio è manibus Herculis, viri fortissimi.
46 Contraxi.
47 Spiras.
48 Sibilo.
49 Hercules: à *Tirynthi* à urbe, Argis vicinu, in qua nutritus est Hercules.
50 Infantiæ meæ. Sic alibi: *Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues, Cum tener in cunis jam Jove dignus eras?* Idem: *Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues Pressit, & in cunis jam Jove dignus erat.* 51 Ut te vincere concedam: *ut* pro *quamvis.* 52 Q. d. minima. 53 Hydræ Lernæam paludem infestantis: [De Hydræ capitibus multùm a veteribus est disputatum: impensè variant, nec aliter fieri solet in iis quæ fabulosa sunt: major pars tamen Veterum cum nostro sentiunt. Virgilius: *Centum angues, cinctamq; geris serpentibus hydram.* Euripidi quoq; ἑκατογκέφαλος ὕδρα. Nonnulli novem capita assignant. Zenobius octo: multi quinquaginta, ut & Virgilius ipse alibi. *Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.* Heinsius.]

Vulneribus

Vulneribus fœcunda ſuis erat illa : nec ullum
De centum numero caput eſt impunè reciſum ;
Quin 54 gemino cervix hærede valentior eſſet.
Hanc ego 55 ramoſam natis è cæde colubris,
Creſcentémq; malo, domui ; domitamque 56 peremi.
Quid fore te credas, falſum qui verſus in anguem
Arma aliena moves ? quem 57 forma precaria celat ?
Dixerat : & 58 ſummo digitorum vincula collo
Injicit. Angebar, ceu guttura forcipe preſſus :
Pollicibuſque meas 59 pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto reſtabat tertia tauri
Forma trucis ; tauro mutatus membra 60 rebello.
61 Induit ille 62 toris à læva parte lacertos ;
Admiſſumque trahens ſequitur : deprenſaque durâ
Cornua figit humo ; meque alta ſternit arenâ.
Nec ſatis id fuerat : rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit ; 63 truncâque à fronte revellit.
Naïdes hoc, pomis & odoro flore repletum,
Sacrârunt ; 64 diveſque meo bona Copia cornu eſt.
Dixerat : at Nymphe, ritu ſuccincta Dianæ,
Una miniſtrarum, fuſis utrimque capillis,
Inceſſit, totumque tulit 65 prædivite cornu
66 Autumnum, & 67 menſas felicia poma ſecundas.
Lux ſubit : &, primo feriente 68 cacumina Sole,
Diſcedunt 69 juvenes. Neque enim dum flumina pacem,
Et placidos habeant lapſus, motæque 70 reſidant,
71 Opperiuntur, aquæ. Vultus Achelöus agreſtes,
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.
Hunc tamen ablati domuit jactura decoris ;
Cætera ſoſpes 72 erat. Capitis quoque, 73 fronde ſaligna,
Aut ſuper impoſita celatur 74 arundine 75 damnum.

54 Duobus ſucceſſoribus : nam uno capite reciſo, duo renaſcebantur. [Quidam legunt *gemina* ut ad cervicem referatur]
55 Multa capita, veluti ramos, habentem.
56 [*Peremi* hic repoſuit Heinſius. Antea fuit *reduxi*. Legendum autem potius *peruſſi* vel *præuſſi* : flammis enim hydræ cervix defecta eſt domita, ne repullularet : cujus rei ignorantia fefellit librarios, qui ex *peruxi* conflarunt *reduxi*.]
57 Aliena, quam prece videris eſſe conſecutus. *Precarium* enim dicitur, quod precibus alicui utendum conceditur tantiſper, donec is, qui conceſſit, repetat.
58 Et digitis ſuis guttur meum prehendit.
59 Contendebam.
60 Bellum reſumo
61 Injicit

62 Quid Torus ſignificat diximus ſupra ad Lib. 2. verſ. 856. 63 Revellendo cornu truncam effecit frontem. 64 Acheloi cornu à Najadibus repletum variis fructibu , Copiæ fertilitatis Deæ, fuit dicatum. 65 Pleniſſimo. 66 Omnes autumni fructus. 67 Bellaria. 68 Montium vertices. 69 Theſeus, Lelex & Pirithous, quos ſupra nominavit diſcedunt primo mane. 70 [Ita Virgilius, *motos præſtat componere fluctus*.] 71 Exſpectant. 72 [Ita Virgilius, *Cætera puer parce bello*.] 73 Salicis ramo. 74 Corona ex arundine. 75 Cornu ablatum.

Neſſi cruor in venenum. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Poſt hæc victor Hercules cùm Deïaniram Neſſo Centauro commiſiſſet, ut eam Evenum amnem, qui initio Lycormas erat nominatus, tranſveheret; & ille ſpecie captus puellæ flexibus errans quæreret locum comprimendi; illa fidem mariti implorante, ſagittis eum confixit. Qui cùm exſpiraret, veſtem ſuam cruentavit Deïaniræque dedit: indicavitque remedium fore erga conjugem deſerti amoris, ſi eâ indueretur: qui tamen cruor in veneni ceſſit partem.

AT te, [1] Neſſe ferox, ejuſdem [2] virginis [3] ardor
Perdiderat volucri [4] trajectum terga ſagittâ.
Namque, novâ repetens patrios cum conjuge muros,
Venerat [5] Eveni rapidas Jove [6] natus ad undas.
Uberius ſolito nymbis hyemalibus auctus,
Vorticibuſque frequens erat, atque impervius amnis.
Intrepidum pro ſe, curam de conjuge agentem
Neſſus adit, membriſque valens, [7] ſcituſque vadorum;
Officioque meo ripâ [8] ſiſtetur in illâ
Hæc, ait, Alcide: tu viribus utere nando.
[Pallentemq; metu, fluviumq; [9] ipſumq; timentem]
Tradidit [10] Aönius [11] pavidam [12] Calydonida Neſſo
Mox, ut erat, pharetrâque gravis, ſpolioque leonis,
(Nam clavam, & curvos trans ripam [13] miſerat arcus)
Quandoquidem cœpi, ſuperentur flumina, dixit.
Nec dubitat; nec qua ſit clementiſſimus amnis
Quærit: & obſequio deferri ſpernit aquarum.
Jamque tenens ripam, miſſos cùm tolleret arcus,
Conjugis agnovit vocem: Neſſoque parante
[14] Fallere depoſitum, quò te fiducia, clamat,
Vana pedum, violente, rapit? Tibi, Neſſe biformis,
Dicimus. Exaudi: nec res intercipe noſtras.
Si te nulla mei reverentia movit; at [15] orbes
Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.
Haud tamen effugies, quamvis ope fidis [16] equina.

1 Neſſi Centauri cædem, Deïaniræque zelotypiam deſcribit Poëta.
2 Deïaniræ.
3 Amor.
4 Ab Hercule.
5 Eſt hic Ætoliæ fluvius.
6 Hercules Jovis filius.
7 Peritus locorum, tranſitum prebentium.
8 Collocabitur.
9 Neſſum, Centaurum. [Hunc autem verſum ut ὑποβολιμαῖον damnat Heinſius]
10 Thebanus, nam Hercules oriundus eſt Thebis in Bœotia, quæ & Aonia.
11 Timidam.
12 Deianiram.
13 Jecerat.
14 Fraudare Herculem depoſito, *i. e.* violare Deïaniram illi commiſſam, *Depoſitum* dicitur, quicquid alicui traditur cuſtodiendum.
15 Rotæ Ixionis patris tui, quibus affixus aſſiduè, apud inferos vertitur ob interpellatam de ſtupro Junonem.
16 Velocitate equi Centauri enim equinos habant pedes.

Vulnere

Vulnere, non pedibus te consequar. Ultima dicta
Re probat: & missâ fugientia terga sagittâ
Trajicit: [17] exstabat ferrum de pectore aduncum.
Quod [18] simul [19] evulsum est; sanguis per [20] utrumque foramen
Emicuit, mistus [21] Lernæi tabe veneni.
Excipit hunc Nessus: Neque enim moriemur inulti,
Secum ait: & calido velamina tincta cruore
Dat munus [22] raptæ, velut [23] irritamen amoris.

17 Extra stabat, eminebat: significat autem tergum cum pectore fuisse transfixum.
18 Simul ac, postquam.
19 Extractum fuit.
20 Et tergi & pectoris.
21 Veneni hydræ serpentis, apud Lernæam paludem ab Hercule interfecti.
22 Deïaniræ.
23 Provocationem, ac stimulationem.

Zelotypia Deïaniræ, & Lichas in saxum. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Eodem tempore Hercules in Oechaliam regnum Euryti cùm trajecisset, Jolenque filiam ejus dilectam traheret in patriam, prior conjux Deïanira, ùt audivit animum viri à se esse mutatum, tunicam sacrificaturo Jovi Lichæ famulo dedit ei perferendam: qua ille honoratus vota religionemque piaret. Eam indutus, cùm ad aram accessisset, prosecans exta; flamma vestis incaluit, & Lernæo veneno tincta contactus hæsit visceribus. In maximo itaque cruciatu cùm à corpore ejus evelli nequiret; Licham acerbissimi muneris reum, projectum à se, Euboïco mari mersit: quem innoxium culpæ Tethys vertit in scopulum, conchis muricibusque vestitum.

Longa [1] fuit medii mora temporis: actaque magni
Herculis implêrant terras, odiumque [2] novercæ.
Victor ab [3] Oechaliâ [4] Cenæo sacra parabat
Vota Jovi; cùm Fame loquax præcessit ad aures
Deïanira tuas, (*quæ* [5] *veris addere falsa*
Gaudet, & è [6] *minimâ sua per mendacia crescit*)
[7] Amphitryoniaden [8] Iöles [9] ardore teneri.
[10] Credit [11] amans: [12] Venerisque novæ perterrita famâ

1 Longum intervallum.
2 Junonis.
3 EubϾ, urbe in quâ regnavit Eurytus.
4 Jupiter *Cenæus* à *Cenæo*, promontorio EubϾ, est dictus: ubi ab Oechaliæ expugnatione Hercules reversus, Jovi aram exstruxit.
5 *Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.*
6 Sic *Virg.* 4 Æn. *Parva metu primo, mox sese attollit in auras, Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.*
7 Herculem, qui Amphitryonis filius putabatur, cùm Jovis esset.
8 Euryti filiæ.
9 Amore.
10 Quia amans: est enim causa, cur crederet,
11 Deïanira.
12 Novi amoris, novæ amicæ.

[13] Indulsit primò lacrymis; flendoque dolorem
[14] Diffudit miseranda suum: mox deinde, Quid autem
Flemus, ait? [15] Pellex lacrymis lætabitur istis:
Quæ quoniam adventat, properandum, aliquidque novandum est,
Dum licet; & nondum thalamos tenet altera nostros.
[16] Conquerar, an sileam? repetam Calydona, [17] morerne?
Excedam tectis? an, si nihil ampliùs, obstem?
Quid si, me, Meleagre, tuam [18] memor esse sororem,
Forte paro facinus; quantùmque injuria possit,
Fœmineusque dolor, jugulata pellice testor?
In [19] cursus animus [20] varios abit. Omnibus illi
[21] Prætulit imbutam Nesseo sanguine [22] vestem
Mittere; quæ vires [23] defecto reddat amori:
Ignaroque Lichæ, quid [24] tradat nescia, [25] luctus
Ipsa suos tradit: blandisque miserrima verbis
Dona det illa viro, mandat. Capit [26] inscius heros:
Induiturque humeris Lernææ [27] virus Echidnæ.
Thura dabat primis, & verba precantia, flammis;
Vinaque marmoreas paterâ fundebat in aras.
Incaluit vis illa mali; resolutaque flammis;
Herculeos abiit latè diffusa per artus.
[28] Dum potuit, solita gemitum virtute repressit.
Victa malis postquam patientia, reppulit aras;
Implevitque suis nemorosum vocibus [29] Oeten.
Nec mora; letiferam conatur scindere vestem:
Qua trahitur, trahit illa cutem; fœdumque relatu,
Aut hæret membris frustra tentata revelli;
Aut laceros artus, & grandia detegit ossa.
Ipse cruor, gelido ceu [30] quondam lamina [31] candens
Tincta lacu, [32] stridit, coquiturque [33] ardente veneno.
Nec [34] modus est: [35] sorbent avidæ præcordia flammæ;
[36] Cœruleusque fluit toto de corpore sudor:

13 Multùm flevit.
14 Amplificat.
15 Iöle.
16 Dubitas Deïanira, quid facere debeat.
17 Maneamne in ædibus Herculis?
18 [Ita noster Trist. lib. v. Eleg. III. ad Bacchum, *Huc ades, & casus releva pulcherrime nostros, Unum de numero me memor esse tuo.*]
19 Hoc est quod Ter dixit *Dùm in dubio est animus, paulo momento huc illùc impellitur.*
20 In varias cogitationes: sunt autem Poëtæ verba.
21 [Præ omnibus remediis quæ antea excogitabat, tandem decrevit mittere Herculi vestem Nessi Lernæo veneno tinctam. *Omnibus illi* legendum, non *illis* ex emendatione Heinsianâ: *illi* nempe *Herculi. Omnibus*, i. e. *remediis*.]
22 Tunicam infectam.
23 Qui jam defecerat.
24 Ignorabat enim Deïanira tunicam illam, quam Lichæ tradidit, veneno fuisse infectam.

25 Suorum luctuum causam. 26 Ignarus Hercules vestem illam veneno fuisse infectam. 27 Tunicam veneno hydræ infectam. 28 Donec valuit. 29 Thessaliæ montem, in quo Hercules mortuus & sepultus est. Nam Apollinis monitu ex Eubœa in Trachiniam profectus jussus erat in Oeta monte pyram struere. 30 Aliquando. 31 Metalli frustum ignitum.. 32 Sonitum edit qualem ignitus carbo aquâ mersus. Angl. *hisses*. [*Stridit* autem *non stridet* ἀρχαϊκῶς. Ita Virgilius, Lib. IV.

------Infixum stridit sub pectore vulnus. Et Lib. XII. -------Striduntq; hastilibus auræ] 33 Comburente. 34 Nec finis dolori imponitur. 35 Opprimunt, absumunt. 36 [Nempe sanguineus.]

37 Ambu-

37 Ambuſtique ſonant nervi: 38 cæcâque medullis
Tabe liquefactis, tollens ad ſidera palmas,
Cladibus, exclamat, 39 Saturnia, 40 paſcere noſtris:
Paſcere: & hanc peſtem ſpecta, crudelis, 41 ab alto:
Corque ferum ſatia. Vel ſi miſerandus & hoſti;
(Hoſtis enim tibi ſum) diris cruciatibus ægram,
Inviſamque animam, natamque 42 laboribus, aufer.
Mors 43 mihi munus erit. Decet hæc dare dona novercam.
44 Ergò ego fœdantem peregrino templa cruore
45 Buſirin domui? ſævoque alimenta 46 parentis
47 Antæo eripui? nec me 48 paſtoris Iberi
Forma triplex; nec forma triplex tua, 49 Cerbere, movit?
Voſne manus validi preſſiſtis cornua 50 tauri?
51 Veſtrum opus Elis habet, veſtrum 52 Stymphalides undæ,
53 Partheniumque nemus? veſtra virtute 54 relatus
55 Thermodontiaco cœlatus 56 baltheus auro,
57 Pomaque ab inſomni malè cuſtodita dracone?

37 Et combuſti ſtrident nervi.
38 Occultâ corruptione.
39 Juno Saturni filia.
40 Hæc oratione Hercules ſe maximo odio Junoni eſſe oſtendit, eamque in maximam invidiam adducit Eandem ſententiam his propè verbis de Niobe loquens comprehendit. *A quibus ad Cœlum liventia brachia tendens, Paſcere, crudelis, noſtro, Latona, dolore, Paſcere, ait, ſatiaque meo tua pectora luctu:* Supra, Lib. 6. *v.* 279.
41 A cœlo.

42 Ad labores. 43 Sic alibi de ſe Poëta loquitur, cùm in longa & periculoſa navigatione magna eſſet actus tempeſtate: ait enim in exſilium proficiſcens: *Nec lectum timeo, genus eſt miſerabile leti: Demite naufragium, mors mihi munus erit.* 44 Indignatur Hercules, quòd cùm ſæviſſima domuerit monſtra, ipſe tamen dira peſte dometur. Commemorat autem octodecim præclara certamina, quæ Euryſthei juſſu confecit. 45 *Buſiris* Neptuni fuit filius, qui cùm in Ægypto tyrannidem exerceret, hoſpiteſque immolaret, ab Hercule aris impoſitus, fuit jugulatus. Ab Hercule Buſirin interfectum eſſe docet Deïanira ipſum ſic alloquens: *Si te vidiſſet cultu Buſiris in iſto, Hinc victor victo nempe pudendus eras.* 46 Terræ matris. 47 *Antæus* Libyæ fuit gigas, qui omnes provocabat ad luctam, victoſque interficiebat. At Hercules cum illo congreſſus, animadvertit eum, quoties ſterneretur, valentiorem ſurgere. Terra enim, cujus erat filius, vires ſubminiſtrabat. Eum igitur Hercules altius ſublatum, emittere ſpiritum coëgit. 48 Geryonis Hiſpani, quia tria habuiſſe corpora dicitur, atque in Hiſpania regnaſſe. 49 Canis eſt triceps, ſeu tria habens capita, aliud ab alio diverſum. Nam unum, ut fingunt, eſt Leoninum, alterum Caninum tertium Lupinum: inferorum eſt cuſtos. Hunc Cerberum triplici catenâ vinctum, Hercules ad ſuperos juſſu Euryſthei traxiſſe dicitur. 50 Ignivomi, quem Paſiphaë amavit, quique è Creta in Peloponneſum ad Euryſtheum ab Hercule fuit adductus. 51 Augiæ regis Elidos ſtabulum expurgatum. Augias enim ſtabulum, in quo plurimum fimi congeſtum fuerat, Herculi purgandum locavit Hercules igitur, cùm illud, immiſſo Alpheo, Elidis fluvio, purgaſſet, Augias de pactâ mercede tergiverſatus eſt. Quam rem indignè ferens Hercules, urbem diripuit, ipſumque Augiam regno ejecit. 52 *Stymphalis* Arcadiæ palus eſt: circà quam aves erant aquaticæ, ferreas pennas habentes, tantæ magnitudinis, ut Solis radios obumbrare dicerentur: quæ cum omnem Arcadiam devaſtarent, ſagittis ab Hercule fuerunt confixæ. A *Stymphalide* palude, in qua natabant, *Stymphalides* fuerunt appellatæ. 53 Mons Arcadiæ, ubi cervam æneos habentem pedes & aurea gerentem cornua cepit. 54 Hercules enim ab Euryſtheo juſſus, ut aureum cingulum Hippolytæ, Amazonum reginæ, ad ſe adferret, Amazonas ipſas, juxtà Thermodontem fluvium habitantes, unà cum Theſeo devicit, indeque reginæ aureum cingulum reportavit. 55 *Thermodon* fluvius eſt Cappadociæ, juxtà quem olim Amazones habitarant. 56 Militare cingulum. 57 Heſperidum poma, quæ cùm eſſent aurea, à pervigili dracone cuſtodiebantur. Ea quoque Euryſthei juſſu, dracone interfecto, Hercules rapuiſſe fertur, & ad Euryſtheum retuliſſe.

Nec mihi [58] Centauri potuêre resistere, nec mî
Arcadiæ vastator [59] aper? nec profuit [60] Hydræ
Crescere per damnum, geminasque resumere vires?
Quid? Cum [61] Thracas equos humano sanguine pingues,
Plenaque corporibus laceris præsepia vidi,
Visaque dejeci, dominumque ipsosque peremi?
His [62] elisa jacet [63] moles Nemeæa lacertis?
Hâc [64] cœlum cervice tuli? [65] Defessa jubendo est
Sæva Jovis conjux: ego sum indefessus agendo.
Sed nova pestis adest: cui nec virtute resisti,
Nec telis armisve potest. Pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus.
[66] At valet [67] Eurystheus. Et sunt, qui credere possint
Esse Deos? dixit. Perque altum saucius Oeten
Haud aliter graditur, quàm si venabula tigris
Corpore fixa gerat, factique refugerit [68] auctor.
Sæpe illum gemitus edentem, sæpe frementem,
Sæpe retentantem totas infringere vestes,
Sternentemque trabes, incursantemq; videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia cœlo.
Ecce Lichan trepidum, & latitantem rupe cavatâ
Adspicit: utque dolor rabiem collegerat omnem;
Tune, Licha, dixit, [69] feralia dona tulisti?
Tune meæ necis auctor eris? Tremit ille, pavetq;
Pallidus: & timidè [70] verba excusantia dicit.
Dicentem, [71] genibusque manus adhibere parantem,

58 Hercules Centauros, Thessaliæ populos, mediâ parte equos mediâ homines, à Pholo susceptus hospitio debellavit. Cùm enim Pholus Centaurus vini dolium, olim à Baccho donatum, eâ conditione, ut tunc vinum proferret, cùm Hercules adesset, in honorem Herculis ipsius reservasset, fortè odore illius vetustissimi vini, propinqui Centauri ebrii effecti, in ædes Pholi impetum fecerunt: quo perterrefacto, solus Hercules non illis solùm restitit, verùm multos quoque ipsorum interfecit. 59 Quem vivum ad Eurystheum portavit. 60 Nam reciso uno capite, duo renascebantur. 61 Equos Diomedis regis Thraciæ. Hercules enim Diomedem, Thraciæ regem qui equos suos advenarum carne pascebat, occidit, eumque equis suis epulandum apposuit. 62 Strangulata, suffocata. 63 Intelligit leonem vastæ magnitudinis in sylva Nemeæa. [Additur post hunc versum in vulgatis, hic versus, *His Cacus horrendum Tyberino gurgite monstrum*: hic autem versus in plerisq; non apparet; & in simili Herculis quereiâ apud Senecam in Hercule Oetæo, & apud Ciceronem in Tusculanis nulla Caci mentio fit, ideoq; hic admittendum esse non censet Heinsius.] 64 Hac cervice cœlum humeris sustinui, vice Atlantis. Tradunt enim, cum Gigantes adversus Deos pugnarent, Deos omnes in unam cœli partim concurrisse tantumque ponderis adjecisse, ut cœlum ruinam minari videretur, qua propter Herculem cum Atlante humeros cœlo supposuisse. Alii affirmant, Herculem, fesso olim Atlante, & humerum mutare cupiente, tam diu cœlum sustinuisse, quo ad ille humerum mutaret. 65 Huc pertinet, quod ait alibi: *Non potuit Juno vincere, vincit amor*. 66 Q. d. Ego qui virtute mea universum terrarum orbem a monstris liberavi, tantis conficior cruciatibus: Eurystheus verò, omnium iniquissimus, nullaque virtute, præditus, bene habet. 67 Stheneli, Mycenarum regis, filius, qui, impellente Junone, Herculem varia pericula adire jussit. 68 [Hæc imitatus est noster, Lib. XIV. de Polyphemo cæco montibus inerranti.

Ille quidem totam fremebundus obambulat Ætnam
Prætentatq; manu silvas: & luminis orbus
Rupibus incursat.

Fremitus enim animi quam maximé anxii indicium certissimum.] 69 Crudelia, immania [ita in Ibide

Quam qui dona tulit Lernæo tincta veneno,
Euboicasq; suo sanguine tinxit aquas]

70 Fuerat enim Lichas ignarus, ut supra ad v. 155. 71 Et supplicare parentem alibi.

Corripit

Corripit Alcides; & terque quaterque rotatum
Mittit in [72] Euboïcas, tormento [73] fortius, undas.
Ille per aërias pendens [74] induruit auras.
Utque ferunt imbres gelidis [75] concreſcere ventis;
Indè nives fieri; nivibus quoque [76] molle rotatis
Adſtringi & ſpiſſa glomerari grandine corpus:
Sic illum validis [77] actum per inane lacertis,
Exſanguemque metu, nec quicquam humoris habentem,
In rigidos verſum ſilices prior [78] edidit ætas.
Nunc quoque in Euboïco ſcopulus brevis emicat altè
[79] Gurgite, & humanæ ſervat veſtigia formæ.
Quem, quaſi ſenſurum, nautæ calcare verentur;
Appellantque [80] Lichan. At [81] tu, Jovis inclyta proles,
Arboribus cæſis, quas ardua geſſerat Oete,
Inque [82] pyram ſtructis, arcus, pharetramque capacem,
Regnaque viſuras iterum Trojana [83] ſagittas,
[84] Ferre jubes [85] Pæante ſatum: quo flamma miniſtro
Subdita. Dumque avidis comprenditur ignibus [86] agger;
Congeriem ſilvæ [87] Nemeæo vellere [88] ſummam
Sternis: & impoſita clavæ cervice recumbis,
Haud alio vultu, quàm ſi conviva jaceres
Inter plena meri redimitus pocula ſertis.

72 In mare Euboïcum. 73 Validiùs quam machina bellica: eſt autem *tormentum* inſtrumentum bellicum, à *torquendis* ſaxis, *i. e.* cum impetu mittendis, appellatum. 74 Durus eſt factus: nam in ſcopulum fuit mutatus. 75 Simul creſcere, & in unum cogi. 76 [*Molle* ad τὸ *corpus* referri debet.] 77 [Sic lib. xiv. de Polyphemo, *Vidi iterum veluti tormenti viribus acta, Vaſta giganteo jaculantem ſaxa lacerto.*] 78 Veteres narrarunt. 79 Mari. 80 Abruptum ac truncum: ita ut ſcopulus hic à reliquo Cenæo, velut abruptum quendam & detruncatum apparere. 81 Herculis Metamorphoſin in Deum exponit Poëta. 82 Rogum, lignorum ſtruem, igni ſubjecto ardentem, cremandorum corporum cauſa exſtrui ſolitam. 83 Primùm quidem ſagittæ Herculis Trojana regna viderunt, cum ipſe unà cum Telamone & Argonautis Trojam expugnavit, deinde cùm ob Helenæ raptum, duce Agamemnone, fuit deleta: Nam cum oraculum accepiſſent Græci, ſine ſagittis Herculis Trojam capi non poſſe, miſſus eſt Ulyſſes, qui Philocteten una cum ſagittis illis ad exercitum Græcorum adduceret, ſed vulnere ſagittæ, quæ in pedem cecidit, impeditus Philoctetes in Lemno diu ſubſtitit: Tandem verò ſagittas Herculis apportavit ad exercitum Græcorum Trojam obſidentium. 84 Habêre. 85 Philocteten, Pæantis filium. 86 Lignorum ſtrues. Propriè eſt terræ accumulatio. 87 Leonis Nemeæi. 88 Summitatem pyræ.

Herculis apotheωſis. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Hercules in Oeta Theſſaliæ monte præſtructo rogo ac ſagittis traditis Philoctetæ Pæantis filio, qui ejus pyram ſtruxerat, flammis exuſtus eſt: ita ut immortalium deorum jus à Jove in cælo reciperet, & aliquando placata Junone, filiæ ejuſdem nomine Hebe jungeretur. Deïanira autem re audita ipſa ſe interfecit.

Jam-

JAmque [1] valens, & in omne latus diffusa sonabat,
Securosque artus, contemtoremque petebat
Flamma suum. Timuêre Dei [2] pro vindice terræ.
Quos ità (sensit enim) læto Saturnius ore
Jupiter alloquitur: Nostra est timor iste voluptas,
O Superi: totoque libens mihi pectore [3] grator,
Quod [4] memoris populi dicor rectorque paterque:
Et [5] mea progenies vestro quoque tuta favore est.
Nam quanquam ipsius datur hoc [6] immanibus actis;
[7] Obligor ipse tamen. Sed enim, nè pectora vano
Fida metu paveant, [8] Oetæas spernite flammas.
Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis, ignes:
Nec nisi [9] maternâ [10] Vulcanum parte potentem
Sentiet. Æternum est, à me quod traxit, & expers
Atque immune necis, nullâque domabile flammâ.
Idque ego [11] defunctum terrâ [12] cœlestibus oris
Accipiam, cunctisque meum [13] lætabile factum
Dîs fore confido. Si [14] quis tamen Hercule, si quis
Forte Deo doliturus erit, data præmia nolet:
Sed [15] meruisse dari sciet; invitusque probabit.
Assensêre Dei. Conjux quoque regia visa est
Cætera non duro, duro tamen ultima vultu
Dicta tulisse Jovis; seque indoluisse notatam.
Interea, quodcunque fuit [16] populabile flammæ,
[17] Mulciber abstulerat; nec cognoscenda remansit
Herculis effigies; nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet: tantumque Jovis [18] vestigia servat.
Utque novus serpens, positâ cum pelle senectâ,
Luxuriare solet; squamâque nitere recenti;
Sic, ubi mortales [19] Tirynthius exuit artus;
[20] Parte sui meliore viget; majorque videri
Cœpit; & augusta fieri gravitate verendus.
Quem Pater omnipotens, inter cava nubila raptum,
[21] Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.

1 Valida, vehemens, magna.
2 Pro salute vindicis, ac liberatoris terræ totius.
3 Gratulor.
4 Grati. Ille enim est *gratus*, qui beneficiorum est memor.
5 Sc. *quod*. Lætatur enim Jupiter, quod Dii sint solliciti de Herculis filii sui salute.
6 Maximis ipsius gestis.
7 Ego tamen me vobis debêre fateor.
8 Quibus Hercules in Oetâ monte combustus est.
9 Ex parte corporis, quod à matre sumsit.
10 Ignem. Metonym. effic.
11 Liberatum à terrâ.
12 In cœlum.
13 Lætum ac gratum.
14 Junonem taxat Jupiter, quæ semper Herculem odio fuerat prosecuta.
15 Intelliget meruisse Herculem, ut ipsi præmia darentur cœlestia, atque in numerum Deorum reciperetur.
16 Corruptibile. 17 Vulcanus, ignis. Vide quæ nos Lib. 2. vers. 5. 18 Similitudinem Jovis. Nam, ut Jupiter, Deus est effectus Hercules. 19 Unde Hercules sic dictus vide supra vers. 66. 20 Animi immortalitate. 21 Curru triumphali, cui quatuor equi alligati sunt.

Ilithyia

Ilithyia in vetulam, & Galanthis in mustelam. *Fab.* V. & VI.

ARGUMENTUM.

Alcmene cùm Jove Herculem conceptum propter Junonem parere non posset, implorata Junone, ea quæ partubus præsidet Lucina, quam quidam Ilithyiam interpretantur; ad fores reginæ partum impeditura, in vetulam transfigurata venit: & cùm in terra residens nexis manibus partum retardaret, Galanthis præministra conspexit eam, suspicataque est eo gestu impedimento esse dominæ suæ, quo minus pareret, & providentia dolum ridens, ementita est Alcmenam partu solutam. At illa imprudens resolutis manibus Alcmenam cruciatu liberavit. Cujus astutiam gravissima pœna est prosecuta: namque eam in mustelæ figuram convertit, ita ut ore quo mentita est pareret.

SEnsit Atlas [1] pondus. Neque adhuc Stheneleïus iras
Solverat Eurystheus; odiumque in [2] prole paternum
Exercebat [3] atrox. At longis anxia curis
[4] Argolis Alcmene, [5] questus ubi ponat aniles,
Cui referat nati [6] testatos orbe labores,
Cuive suos casus, Iölen habet. Herculis illam
Imperiis, thalamoque animoque receperat [7] Hyllus:
Implêratque uterum generoso germine. Cùi sic
Incipit Alcmene: Faveant tibi numina saltem;
[8] Corripiantque moras, tum, cùm [9] matura vocabis
Præpositam timidis parientibus [10] Ilithyiam;
Quam mihi [11] difficilem Junonis [12] gratia fecit.
Namque laboriferi cùm jam natalis adesset
Herculis, & [13] decimum premeretur sidere signum:

1 Hercules in cœlum receptus urgebat Atlanta majori pondere. 2 In prolem, contrà prolem. Nam odio persequebatur Hyllum, & reliquos Herculis filios. 3 Crudelis, qui nihil meritos Herculis filios persequebatur. 4 Argolica, quæ post mortem Herculis Thebas profecta, ibique mortua divinos meruit honores. 5 Querimonias vetulæ convenientes. 6 Celebrata atque confessa certamina. 7 Herculis ex Deïanirâ fuit filius. 8 Breviores faciant. 9 Partui propinquas. 10 Ilithyia Dea est, quæ parientibus præesse dicitur, quam & Lucinam appellant, quòd in lucem nascentes producat. Hanc filiam Junonis fuisse ferunt: quibus & Ovidius astipulari videtur. 11 Adversum. 12 Potentia Junonis, quæ tantum gratia apud Ilithyiam valuit, ut, quæ mihi adesse debebat, obfuerit. 13 Et cùm jam decimus ageretur mensis. Duodecim enim sunt Zodiaci signa, quibus duodecem menses distinguuntur.

14 Ten-

[14] Tendebat [15] gravitas uterum mihi: quodque ferebam,
Tantum erat, ut posses auctorum dicere tecti
Ponderis esse Jovem. Nec jam tolerare labores
Ulteriùs poteram: quin nunc quoque frigidus artus,
Dum loquor, [16] horror habet; parsque est meminisse doloris.
[17] Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendensque ad cœlum brachia, magno
Lucinam, [18] Nixosq; pares clamore vocabam.
Illa quidem venit, sed [19] præcorrupta, meumque
Quæ donare [20] caput Junoni vellet [21] iniquæ.
Utque meos audit gemitus; subsedit in illâ
Ante fores arâ: [22] dextroque a poplite lævum
Pressa genu, digitis inter se [23] pectine junctis,
[24] Sustinuit partus. Tacitâ quoque [25] carmina voce
Dixit: & inceptos [26] tenuerunt carmina partus.
[27] Nitor, & ingrato facio convicia demens
[28] Vana Jovi: cupioque mori; moturaq; duros
[29] Verba queror silices. Matres [30] Cadmeïdes adsunt;
Votaque suscipiunt; exhortanturque dolentem.
Una ministrarum mediâ de plebe Galanthis,
Flava comas, aderat, faciendis strenua jussis;
Officiis dilecta suis. Ea sensit iniquâ
Nescio quid Junone geri: dumque exit, & intrat
Sæpe fores; [31] Divam residentem vidit in arâ;
Brachiaq; in genibus digitis connexa tenentem:
Et, Quæcunq; es, ait, dominæ [32] gratare; [33] levata est
Argolis Alcmene: potiturq; [34] puerpera [35] voto.
Exiluit, junctasq; manus [36] patefacta remisit
[37] Diva potens uteri. [38] Vinclis levor ipsa remissis.
Numine decepto risisse Galanthida fama est.
Ridentem, prensamq; ipsis Dea sæva capillis
Traxit, & e terra corpus relevare volentem
[39] Arcuit: inque pedes mutavit brachia primos.
[40] Strenuitas antiqua manet: nec terga colorem
Amisêre suum: forma est diversa priori.

14 Distendebat.
15 Pondus.
16 Tremor.
17 Aliter Bromia apud Plautum, quæ Alcmenam statim, & sine aliquo prorsus dolore peperisse ait: *Dum (inquit) hæc geruntur, interea uxorem tuam neque gementem, neque plorantem nostrûm quisquam audivimus. Ita profecto sine dolore peperit.*
18 [*Nixi* sunt Dei qui puerperiis præsident: Festus tres esse vult, ut forte hic legendum *Nixosq; pari Clamore*: Officium horum Deorum optimè explicatur in Glossâ veteri in hunc locum, quæ scribitur in codice MS. Twisdenio; verba sunt, *Nexi sunt Dei*, (scribitur enim *Nexosque pares* sed emendatur *Nixos*) *qui connectunt membra mulierum soluta ad partum. Unde dicuntur nexi. Nixosq; pares, duo sunt fratres, Dii partus, sicut & Lucina.* Heinsius]
19 Ante a Junone corrupta, subornata.
20 Meam vitam.
21 Inimicæ.
22 Ut partum Alcmenæ impediret. 23 Pectinatim, ac cancellatim junctis digitis. 24 Remorata est, retardavit. 25 Incantationes. 26 Retinuerunt. 27 Enitor, ut pariam. 28 Nihil profutura. 29 Verbis. 30 Thebanæ. 31 Ilithyiam, vel Lucinam. 32 Gratulare. 33 Soluta & liberata est partu. 34 Quæ jam pepererat. 35 Adepta est id, quod cupiebat. Peperit enim ut optabat. 36 Stupefacta. 37 Ilithyia. 38 Digitis, quos Dea pectinatim hucusque junxerat, quique mihi, ut vincula, impedimento erant, resolutis. 39 Vetuit è terrâ surgere Galanthida, cum vellet. 40 Agilitas.

Quæ, quia mendaci parientem juverat ore,
[41] Ore parit: noſtraſque domos, [42] ut & antè, frequentat.

41 Muſtela per os parere merum mendacium eſt: quod tamen ideo vulgo perſuaſum videtur, quia parit catulos admodum parvos, quos ore ſuſceptos ſæpe transfert. 42 Quemadmodum etiam anteà, cùm puella eſſet.

Dryope in Lotum arborem, & Iölaus ſenex in juvenem. *Fab.* VII. VIII. & IX.

ARGUMENTUM.

Dryope Euryti filia, ſoror Iöles, Andræmonis conjux, quam anteà dilexerat Apollo, cùm ad lacum ſacratum Nymphis dona ferens veniſſet, & ex arbore Loto ramum decerpſiſſet, quo parvum filium nomine Amphiſon, quem ſecum tulerat, oblectaret, in quam Lotum Nympha Lotis, fugiens Priapum, erat transfigurata, quia ſacræ arboris exſtiterat violatrix, trunco hæſit infixa. Quem caſum ſororis dum Iole refert Alcmenæ, Jölaus, fratris Herculis filius, in antiquam pueritiam transfuſus videtur. Sic enim Junonis filia roganti conjugi promiſerat.

[1] Dixit: &, [2] admonitu veteris commota miniſtræ,
Ingemuit. Quam ſic [3] nurus eſt affata dolentem:
Te tamen, ô genitrix, alienæ ſanguine veſtro
[4] Rapta movet [5] facies. [6] Quid ſi tibi [7] mira ſororis
Fata meæ referam? [8] Quanquam lacrymæque dolorque
Impediunt, prohibentq; loqui. Fuit unica matri
(Me [9] pater ex aliâ genuit) notiſſima formâ
[10] Oechalidum Dryope: quam virginitate carentem,
Vimque Dei paſſam, [11] Delphos Delonque tenentis,
Excipit Andræmon; & habetur conjuge felix.
Eſt lacus, acclivi devexo margine formam

1 Finem loquendi fecit Alcmene. 2 Recordatione. 3 Iöle, quam vide ſupra verſ. 280. 4 Erepta ablata. 5 Figura. 6 Sc. *dices*, aut ſimile quid. 7 Miranda infortunia. 8 Cùm hæc narraret Iöle, more mulierum lacrymas emittebat. 9 Hac parentheſi exponit Iöle, cur Dryope unica matri filia fuerit. 10 Oechaliæ virginum. 11 Periphraſis eſt Apollinis, qui & Delphos & Delon in poteſtate ſua habet. [*Acclivi* pertinet ad τὸ littoris: veteres *acclivus* & *acclivis*, ut & *declivus* & *declivis* communiter dicebant. Ita Lib. 11.

Quo ſimul acclivo Clymeneia limite proles.]

Littoris

Littoris efficiens: ſummum [12] myrteta coronant.
Venerat [13] huc Dryope [14] fatorum neſcia; quôque
Indignere magis, Nymphis latura coronas.
Inq; ſinu puerum, qui nondum impleverat annum,
Dulce ferebat onus: tepidique ope lactis alebat.
Haud procul à ſtagno, [15] Tyrios imitata colores
In [16] ſpem baccarum florebat [17] aquatica lotos.
Carpſerat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret, flores: & idem factura videbar;
Namque aderam. Vidi guttas è flore cruentas
Decidere; & tremulo ramos horrore moveri.
Scilicet, ut referunt [18] tardi nunc [19] denique agreſtes,
Lotis in hanc Nymphe, fugiens [20] obſcœna Priapi,
Contulerat verſos ſervato nomine vultus.
Neſcierat ſoror hoc; quæ cùm perterrita retro
[21] Ire, & [22] adoratis vellet diſcedere Nymphis;
Hæſerunt radice pedes. Convellere [23] pugnat:
Nec quicquam, niſi [24] ſumma, movet. Succreſcit ab imo.
Totaque paulatim [25] lentus premit inguina cortex.
Ut vidit; conata manu laniare capillos,
Fronde manum implevit: frondes caput omne tenebant.
At puer Amphiſſos (namque hoc avus Eurytus illi
[26] Addiderat nomen) materna [27] rigeſcere ſentit
Ubera: nec ſequitur [28] ducentem [29] lacteus humor.
Spectatrix aderam [30] fati crudelis; opemque
Non poteram tibi ferre, ſoror: quantumque valebam,
Creſcentem truncum ramoſque amplexa [31] morabar:
Et (fateor), volui ſub eodem cortice condi.
Ecce vir Andræmon, [32] genitorque miſerrimus, adſunt:
Et quærunt Dryopen: Dryopen quærentibus illis
Oſtendi loton. [33] Tepido dant oſcula ligno:
[34] Affuſique [35] ſuæ radicibus arboris hærent.
Nil niſi jam faciem, quod non foret arbor, habebas,
Cara ſoror. Lacrymæ verſo de corpore factis
[36] Irrorant foliis: ac, [37] dum licet, oraque præſtant

12 Loca myrtis conſita: *Myrtus* eſt arbor Veneri dicata.
13 Illuc.
14 Infortuniorum.
15 Purpureos.
16 Nam baccæ ex floribus naſcuntur.
17 Juxta aquas naſcens. Fuit autem *Lotis* Nympha, quam cùm inſequeretur Priapus, ut eam comprimeret, miſeratione Deorum in arborem Loton converſa eſt.
18 Seri ruſtici, ut qui id antè ſororem amiſſam non admonuerunt.
19 Nunc tandem poſt factam ſororis jacturam.
20 Quibus ille hortos tuetur: [membro erecto depingitur Priapus quoniam qui hortos ſpoliabant ſervis a Cuſtode horti vitiandi tradebantur: hoc ex Priapeiis abunde conſtat.]
21 Ire vellet.
22 Placatis.
23 Nititur, conatur.
24 Partes ſuperiores. Pedes enim jam in radices fuerant mutati.
25 [Durus: varia & ſibi contradicentia indicantur hoc verbo *lentus*: omnia nempe quæ denotantur Græco verbo γλίσχρος, cui examuſſim reſpondet.] 26 Impio fuerat. 27 Rigida ac dura fieri. 28 Trahentem, ſugentem ubera. 29 Lac. 30 Mortis. Hæc autem lacrymans Iole commemorabat. 31 Retinebam. 32 Eurytus. 33 Adhuc tepido, utpote in quod Dryope paulo antè fuerat mutata. 34 Et proſtrati. 35 In quam & filia, & uxor ſua fuerat mutata. 36 Roris modo ſtillant in folia. 37 Donec poteſt.

Vocis iter, tales effundit in aëra [38] questus:
Si qua fides miseris, hoc me per numina juro
Non meruisse [39] nefas. Patior sine [40] crimine pœnam.
Viximus [41] innocuæ: si mentior, arida perdam,
Quas habeo, frondes; & cæsa securibus urar.
Hunc tamen infantem maternis demite ramis;
Et date nutrici: nostraque sub arbore sæpe
Lac facitote bibat; nostrâque sub arbore ludat.
Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet.
Et tristis dicat, Latet hoc sub [42] stipite mater.
Stagna tamen timeat; nec carpat ab arbore flores:
Et [43] frutices omnes corpus putet esse [44] Dearum.
Care vale, conjux, & tu germana, paterque.
Quîs si qua est pietas, ab acutæ vulnere falcis,
A pecoris morsu frondes defendite nostras.
Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est;
Erigite huc artus, & ad oscula nostra venite,
Dum tangi possum, parvumque attollite natum.
Plura loqui nequeo. Nam jam per candida mollis
Colla [45] liber serpit: summoque cacumine condor.
Ex [46] oculis removete manus. [47] Sine munere vestro
Contegat inductus morientia lumina cortex.
Desierant simul ora loqui, simul esse: diuque
Corpore mutato rami caluêre recentes.
Dumq; refert Iöle fatum [48] mirabile, dumq;
[49] Eurytidos lacrymas admoto pollice siccat
Alcmene, flet & ipsa tamen: compescuit omnem
Res nova trestitiam. Nam limine constitit alto
Pæne puer, [50] dubiâque tegens lanugine malas
Ora reformatus primos Iölaus in annos.

38 Querelas. 39 Nefarium supplicium. Antecedens pro consequente. Nefas enim & scelus præcedit, sequitur supplicium. 40 Culpa. 41 Innocentes. 42 Trunco. Venustè hæc & quæ sequuntur omnia, ita ut nihil supra. 43 Arbusculas. *Frutex* est medius inter arbores & herbas: [Quales sunt, Rosa, Salvia, Abrotanum & similia: in eo autem ab Herbis differunt, quod caules habent perennes & lignosas: herbarum autem caules ad minimùm (nam multarum radices quoque) hyeme pereunt. Ab Arboribus differunt in eo quod innumeros habeant exilesq; truncos, lentos, unâ ex radice exsurgentes. Arbores autem unum habent truncum de radice nascentem, qui postea in ramos diffinditur: falluntur itaq; qui proceritate solâ arbores à fruticibus distingui volunt, cum arbores multi inveniantur (unico gaudentes trunco) fruticibus longe exiliores] 44 Nympharum. 45 Cortex: unde & *libri* sunt dicti, quòd in *libris*, i. arborum corticibus veteres scribebant. 46 Non est necesse ut mihi morienti oculos claudas 47 Per se atque ultrò. [48 Ita in initio hujus fabulæ -----*Quid si tibi mira sororis Fata meæ referam.*] 49 Iöles Euryti filiæ 50 Quæ vix videbatur ob tenuitatem. Est enim *lanugo* barba, quæ prima ab adolescentibus emitti solet.

Callirhoës filii impuberes in viros. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Callirhoë Acheloi amnis filia, Alcmæonis, qui materno sanguine adspersus in Acarnaniam se contulerat ut expiaretur, conjugium iniit. Ex duabus Alcmæon filios edidit, qui cùm per fallaciam à Phegeo, cujus ante filiam habuerat, esset occisus; petit Callirhoë à Jove liberis suis, ut ultores patris essent, annos adjiceret. Ergo ut id consequi possent, Dei voluntate ex pueritia in adolescentes factum est ut cederent.

HOC illi dederat Junonia muneris [1] Hebe,
Victa [2] viri precibus. Quæ cùm jurare pararet
[3] Dona tributuram posthac se talia nulli;
Non est passa [4] Themis. Nam jam discordia Thebæ
Bella movent, dixit: [5] Capaneusque nisi ab Jove vinci
Haud poterit: [6] ibuntque pares in vulnera fratres:
[7] Seductaq; suos manes tellure videbit
Vivus adhuc vates: [8] ultusq; parente parentem
[9] Natus erit facto [10] pius & [11] sceleratus eodem:
Attonitusque malis, [12] exul mentisque domûsque,
Vultibus Eumenidum, matrisq; agitabitur umbris;
Donec eum [13] conjux [14] fatale poposcerit aurum:
Cognatumq; latus [15] Phegeïus [16] hauserit ensis.

1 Est hæc Juventutis Dea, vel ipsa Juventa, Junonis filia, quæ Herculi in cœlum translato nupsit.
2 Mariti Herculis.
3 Ut quenquam juvenili ætati restituat.
4 Justitia Dea.
5 Hic unus è ducibus Thebas missus, in oppugnanda urbe obrutus, à Jove fulmine ictus dicitur.

6 [*Ire in vulnera*, ut *ire in arma*, *in bella*, *ire in fata*. Statio *ruere in vulnera* dicitur. Thebaidos VIII.

Atque adeo fratres (hæc nostris omina sunto
Prima odiis) fratres alterna in vulnera læto
Marte ruent.

Nec obstat cæsura, (antea enim *flebuntque non ibuntq;* legebatur) quæ nostro frequens. Sic VIII.

Et Dîs cara ferar, & vertice sidera tangam.

Et Lib. X. *Et bicolor myrtus, & baccis cærula tinus:* Heinsius.]

7 Subtracta terra. Nam hiatu terræ absorptus est Amphiaraus. 8 Ulciscetur. Amphiaraus vates se ab uxore Eriphyle proditum cognoscens, Alcmæoni filio mandavit, ut post obitum suum matrem Eriphylen interficeret. Quod quidem cùm executus esset, facti conscientia in insaniam conversus est. 9 Flius Amphiarai Alcmæon. 10 Ulciscendo patrem. 11 Impius occidendo matrem. Sic Lib. 3. *Facto pius, & sceleratus eodem.* 12 Demens, atque domo fugiens. 13 Callirhoë Acheloï filia. 14 Monile perniciosum, quod qui habebat, infortuniis vexabatur. Id autem Alcmæon ablatum matri jam Alphesibœæ tradiderat. 15 Phegei filiorum, a quibus Alcmæon fuit interfectus. 16 Aperuerit, vulneraverit. Sic Virg. 2 Æn. *Jam flammæ tulerint, inimicus & hauserit ensis.*

Tum

Tum [17] demum magno petet hos [18] Acheloïa supplex
Ab Jove Callirhoë natis infantibus annos.
Jupiter his motus, [19] privignæ dona nurusque
Præcipiet: facietq; viros [20] impubibus annis.

17 Tunc tandem post interfectum maritum.
18 Callirhoë Acheloi filia, Alcmæonis uxor. [Insequentem versum qui in vulgatis circumfertur sustulit Heinsius, utpote qui in vetustioribus membranis non compareat: Verba sunt

Addat, neve necem sinat esse ultoris inultam.]

19 *i. e.* Juventutem. Hebe enim Junonis filia, & Herculis uxor, fuit Jovis privigna, & nurus. 20 Puerilibus.

Byblis in fontem. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Miletus ex insula Creta in Asiam profectus, ibi urbem sui nominis constituit. Huic ex Mæandri filia, Byblis & Caunus nati sunt. Byblis cùm fratrem corporali amore potiùs, quam pio patrioque more diligeret, nec vesaniam cupiditatis compesceret, atque per litteras detestandum amorem indicavisset, furiali vesania ipse instinctus, patria profugit. Cujus illa dum vestigia prosequitur, multas permensa gentes, novissimè in Cariam venit, ibique assiduo mærore & fletu fatigata cùm concidisset, Nympharum Lelegidum misericordia excidentes lacrymæ in fontem conversa sunt, qui Dominæ nomine est insignis.

HÆC ubi [1] faticano venturi præscia dixit
Ore Themis; vario Superi sermone [2] fremebant:
Et, cur non aliis [3] eadem dare dona liceret,
Murmur erat. Queritur veteres [4] Pallantias annos
[5] Conjugis esse sui: queritur canescere mitis
[6] Jasiona Ceres: repetitum [7] Mulciber ævum
Poscit [8] Erichthonio. Venerem quoque cura futuri

1 Fata canenti. 2 Murmurabant. 3 Ut juvenes fierent. 4 Aurora, quæ aliis Hyperionis, aliis Pallantis filia dicitur. Hanc Poëta noster Lib. 6. Pastor. Pallantidem vocat. *Proximus annus erat, Pallantide victus eadem Didius*, &c. 5 Auroræ, maritus fingitur Tithonus, Laomedontis frater, quem illa rapuit, atque ita adamavit, ut ei à Parcis immortalitatem impetraverit, eumque jam senem factum succo suo quodam juventuti restituerit: oblita vero perpetuitatem juventutis poscere, ille exaruit, atque in cicadam versus est. 6 Filium Jovis ex Electra, Cereri adamatum. 7 Vulcanus. 8 Erichthonius ex Vulcani semine, in terram à Pallade, ipsum spernente, pedibus dejecto, natus est. Vide Lib. 2.

Tangit, & [9] Anchisæ renovare paciscitur annos.
Cui [10] studeat, Deus omnis habet: crescitq; favore
Turbida seditio; donec sua Jupiter ora
Solvit: &, O, nostri si qua est reverentia, dixit,
Quò [11] ruitis? Tantumne sibi quis posse videtur,
Fata quoq; ut superet? Fatis [12] Iolaus in annos,
Quos egit, rediit: fatis juvenescere debent
[13] Callirhoë geniti; non ambitione, nec armis.
Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,
Me quoque fata regunt: quæ si mutare [14] valerem,
Nec nostrum seri [15] curvarent [16] Æacon anni:
Perpetuumque ævi florem Rhadamanthus haberet
Cum Minoë meo: qui propter amara senectæ
Pondera despicitur; nec, quo priùs, ordine regnat.
Dicta Jovis movêre Deos. Nec [17] sustinet ullus
(Cùm videant fessos Rhadamanthon & Æacon annis,
Et Minoa) queri. Qui, dum fuit integer ævi,
[18] Terruerat magnas ipso quoque nomine gentes.
[19] Tunc erat invalidus; [20] Deïonidenque juventæ
Robore Miletum, Phæboque parente superbum,
Pertimuit: credensque suis insurgere regnis,
Haud tamen est patriis [21] arcere penatibus ausus.
Sponte fugis, Milete, tua; celeriq; carinâ
Ægæas [22] metiris aquas; & in [23] Aside terrâ
Mœnia constituis, [24] positoris habentia nomen.
Hîc tibi, dum sequitur patriæ curvamina ripæ
Filia [25] Mæandri toties redeuntis eôdem,
Cognita Cyanëe, præstanti corpora formâ,
Byblida cum Cauno prolem est enixa gemellam.
Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellæ:
Byblis [26] Apollinei correpta cupidine fratris,
Non soror ut fratrem, nec [27] qua debebat, amavit.
Illa quidem primò nullos intelligit ignes:
Nec peccare putat, quòd sæpius oscula jungat:
Quòd sua fraterno circumdet brachia collo:
[28] Mendacique diu pietatis fallitur umbrâ.

9 Ex quo concepit Ænean. 10 Faveat. 11 Quid sine ullâ ratione affectatis? 12 Supra vers. 400. 13 Supra vers. 415. 14 Ergo ipsi Jovi fatum insuperabile. 15 Incurvum senectute redderent. 16 Æacus, Rhadamanthus, & Minos Jovis filii ob inclytam justitiam, inferorum judices delecti sunt. Fuerat autem Minos rex Cretæ, de quo vide initium Libri 8. 17 Nec ullus audet conqueri. 18 Nam Minoïs imperium late patebat. 19 Cum Jupiter ea diceret. 20 Deïones ex Phœbo filium, qui Minoë jam senescente, Cretæ regnum invadere moliebatur: verum à Jove deterritus in Asiam navigans, Miletum urbem de suo nomine condidit. Ibi ex Cyane Nymphâ genuit gemellos Caunum & Byblida. Sed Byblis, cùm adolevisset, ita fratris amore ardêre cœpit, ut epistola quoque in amplexus suos pellicere ausa sit. Cæterùm Caunus nefandam sororis libidinem detestatus, ex patria aufugit: Byblis verò ejus vestigia secuta, cùm jam multas regiones peragrasset, tandem in Cariam venit, ibique assiduo mœrore & fletu defatigata ac confecta, in fontem sui nominis mutata est. [De matre autem Byblidis multùm variant Mythologi; quidam Ovidii Codices *Crenein* illam vocant ἀπὸ τῆς κρήνης; quod nomen Nymphæ conveniens. Antonino Liberali Eidothea Carum Regis filia uxor Mileti: Parthenio autem Tragasia. Conon in Bibliothecâ Photii affirmat Byblida Cauno fuisse perditè amatam in quo ab omnibus discedit.] 21 Ex Creta ac imperio suo expellere. 22 Ægæum mare transis. 23 In Asia terrâ. 24 Conditoris sc. Mileti Solis filii. 25 *Mæandros* fluvius est Phrygiæ adeò flexuosus, ut in se ipsum redire videatur. 26 Apollinis ex Mileto nepotis. 27 Quatenus. 28 Falsæ speciei.

Paulatim [29] declinat amor; visuraque fratrem
Culta venit; nimiumque cupit formosa videri:
Et, si qua est illic formosior, invidet illi.
Sed [30] nondum manifesta sibi est; nullumq; sub illo
Igne facit votum: veruntamen æstuat intus.
Jam [31] dominum appellat: jam [32] nomina sanguinis odit:
Byblida jam mavult, quàm se vocet ille sororem.
[33] Spes tamen obscœnas animo [34] dimittere non est
Ausa suo vigilans. [35] Placida resoluta quiete
Sæpe videt, quod amat. Visa est quoq; jungere fratri
Corpus; & erubuit, quamvis sopita jacebat.
Somnus abit: [36] silet illa diu; [37] repetitque quietis
Ipsa suæ [38] speciem; dubiaque ita mente profatur:
Me miseram! [39] Tacitæ quid vult sibi noctis imago?
Quam nolim rata sit. Cur hæc ego somnia vidi?
Ille quidem est oculis [40] quamvis formosus iniquis:
Et placet, & possum, si non sit frater, amare:
Et me dignus erat. Verùm nocet esse sororem.
Dummodo tale nihil vigilans committere tentem;
Sæpe licet simili redeat sub imagine somnus.
Testis abest somno; nec abest [41] imitata voluptas.
[42] Prò Venus, & [43] tenerâ volucer cum matre Cupido,
Gaudia quanta tuli! quàm me manifesta libido
Contigit! [44] ut jacui totis resoluta medullis!
Ut meminisse juvat! quamvis brevis illa voluptas,
Noxque fuit [45] præceps, & cœptis invida nostris.
O ego, si liceat mutato [46] nomine jungi,
Quam bene, Caune, tuo poteram nurus esse parenti!
Quam bene, Caune, meo poteras gener esse parenti!
Omnia, Dî facerent, essent communia nobis;
Præter avos. Tu me vellem generosior esses.
Nescio quam facies igitur, pulcherrime, matrem:
[47] At mihi, quæ male sum, quos tu, sortita parentes,
Nil nisi frater eris. Quod obest, id habebimus unum.
Quid mihi significant ergo mea [48] visa? quod autem

29 [*Succrescit*: ita Horatius, Lib. I Od. XXXIII. —*Lydus in asperam Declinat Pholoën*: ita Spartianus in vitâ Hadriani, *Imbutus Impensius Græcis studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut a nonnullis Græculus diceretur*: *Succrescit* in quibusdam codicibus invenit Heinsius: cum enim (nisi fallor) *declinat* imperitis librariis esset ignotum, verbum istud quod interlineari glossâ notatum invenerunt, in textum postea receperunt.] 30 Sed nondum se amore captam esse intelligit. 31 Ut enim amicæ vocantur *dominæ*, sic amatores *domini* appellantur. 32 Fratrem & sororem. 33 Coëundi cum fratre. 34 Immittere, concipere. 35 Dormiens. *Placida* enim quies somnus est. 36 Stupebat enim novâ illâ voluptate quam senserat. 37 In mentem revocat. 38 Imaginem sui somni. 39 In qua omnia tacent animalia. 40 Quantumvis inimicis. Magna est autem pulchritudo, quæ ab inimicis quoque approbatur. 41 Imaginata. 42 Hac exclamatione Byblis se maximam illo insomnio sensisse voluptatem ostendit. 43 Delicata. 44 Quam. 45 Brevis ac velociter fugiens. 46 Sc. *Sororis*. 47 Cruciatur Byblis, quòd Caunus sibi tantum frater, non etiam maritus sit futurus. 48 Insomnia.

Somnia pondus habent? an habent & ſomnia pondus?
49 Dî melius! Dî nempe ſuas habuêre ſorores.
Sic Saturnus Opim 50 junctam ſibi ſanguine duxit,
Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi.
Sunt 51 Superis ſua jura. Quid ad 52 cœleſtia ritus
Exigere 53 humanos, diverſaq; 54 fœdera tento?
Aut noſtro 55 vetitus de corde fugabitur ardor:
Aut, hoc ſi nequeo, peream precor ante: toroque
Mortua componar: poſitæque det oſcula frater.
Et tamen 56 arbitrium quærit res iſta duorum.
Finge placere mihi: ſcelus eſſe videbitur 57 illi.
At non 58 Æolidæ thalamos timuêre ſororum.
Unde 59 ſed hos novi? cur hæc exempla 60 paravi?
Quo feror? 61 Obſcœnæ procul hinc diſcedite flammæ:
Nec, niſi quâ 62 fas eſt germanæ, frater ametur.
Si tamen ipſe mei captus prior eſſet amore,
Forſitan illius poſſem 63 indulgere furori.
Ergò ego, quem fueram non 64 rejectura petentem,
Ipſa petam? Poteriſne loqui? poteriſne fateri?
65 Coget amor; potero. Vel, ſi pudor ora tenebit,
Littera celatos arcana fatebitur ignes.
Hæc placet, hæc dubiam vincit ſententia mentem.
In latus erigitur; cubitoque innixa ſiniſtro,
66 Viderit: inſanos, inquit, fateamur amores.
Hei mihi? Quo labor? quem mens mea concipit 67 ignem?
Et 68 meditata manu componit verba trementi.
Dextra tenet 69 ferrum: 70 vacuam tenet altera 71 ceram,
Incipit; & dubitat: ſcribit; damnatque tabellas:
Et notat; & delet: mutat; culpatq; probatq;
Inque vicem 72 ſumtas 73 ponit, poſitaſque reſumit.
Quid velit, ignorat: quicquid factura videtur,
Diſplicet. In vultu eſt audacia miſta pudori.
Scripta ſoror fuerat: viſum eſt delere ſororem,
Verbaq; 74 correctis 75 incidere talia ceris:
Quam, niſi tu dederis, non eſt habitura ſalutem,

49 Habent, faciuntque quam homines, qui ſorores proprias uxores ducunt.
50 Conſanguineam & ſororem.
51 Alia jura Dii, homines habent.
52 Ad cœleſtium exemplum.
53 Hominum mores.
54 Ad exemplum diverſorum fœderum & legum: alia enim ſunt fœdera hominum, aliá Deorum.
55 Prohibitus, ac nefandus amor.
56 Voluntatem, præſentiam.
57 Fratri meo.
58 Macareus, Æoli filius, cum Canace ſorore concubuit, ex eaque filium ſuſcepit, qui, cùm a nutrice domo efferretur, ſe ipſum vagitu prodidit. Quare Æolus indignatus, gladium filiæ miſit, quo adverſus ſe uteretur inceſtus vindice; Macareus verò fuga ſibi conſuluit. Videtur Byblis multitudinis uſa numero, ad majorem criminis auctoritatem conciliandam, ſimul & ſuum ſcelus elevandum.

59 Se ipſam reprehendit Byblis, quod nefandi amoris exempla ſibi in mentem venerint. 60 Collegi? 61 Turpes flammæ, i. amores. 62 Quatenus licet atque honeſtum eſt ſorori. 63 Obſequi. 64 Repulſura. 65 Sc. *Si.* 66 Caunus, quid ſit acturus. Cœterùm nos ei noſtros amores aperiamus. 67 Ardorem, furorem. 68 Excogitata. 69 Ferreum ſtylum. 70 In quâ nihil erat ſcriptum. 71 C[illegible]am tabellam, quam rursùs, ſi quid deletum vellent, obtuſa & plana ſtyli parte æquabant & lævigabant ad ſcripturam novam: illud vocabant, *ſub acumen ſtyli ſubire*: hoc *ſtylum vertere*. Sic Plaut. *Dum ſcribo, explevi totas ceras quatuor*. 72 Tabellas. 73 Deponit. 74 Tandem ultimò emendatis. 75 Inſcribere.

Hanc

Hanc tibi mittit [76] amans: pudet ah, pudet edere nomen!
Et, si quid cupiam, quæris; sine nomine vellem
Posset agi mea caussa meo: nec cognita Byblis
Antè forem, quam spes [77] votorum certa fuisset.
Esse quidem læsi poterant tibi pectoris index,
Et [78] color, & macies, & [79] vultus, & humida sæpe
Lumina, nec caussa suspiria mota patenti;
Et crebri amplexus; & quæ, si fortè notasti,
Oscula sentiri non esse [80] sororia possent.
[81] Ipsa tamen, quamvis animo grave vulnus habebam,
Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci,
(Sunt mihi Dî testes) ut tandem sanior essem:
[82] Pugnavique diu [83] violenta Cupidinis arma
Effugere infelix; & plus, quam ferre puellam
Posse putes, ego dura [84] tuli. Superata fateri
Cogor, opemque tuam [85] timidis exposcere votis.
Tu servare potes, tu perdere solus amantem.
Elige utrum facias. Non hoc inimica precatur:
Sed quæ, cùm tibi sit junctissima, junctior esse
Expetit; & vinclo tecum propiore ligari.
Jura senes norint: &, quid liceatque, nefasque,
Fasque sit, inquirant; legumque [86] examina servent:
Conveniens Venus est annis [87] temeraria nostris.
Quid liceat, nescimus adhuc: & cuncta licere
Credimus: & sequimur magnorum exempla Deorum.
Nec nos aut durus pater, aut [88] reverentia famæ,
Aut timor impediet; tantum absit caussa timendi.
[89] Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.
Est mihi libertas tecum secreta loquendi.
Et damus amplexus; & jungimus oscula [90] coram.
[91] Quantum est quod desit! miserere fatentis amorem,
Et non fassuræ, nisi cogeret ultimus ardor:
[Neve merêre meo [92] subscribi caussa sepulcro.]
Talia nequicquam [93] perarantem, plena reliquit
Cera manum: [94] summusque in margine versus [95] adhæsit.
Protinus impressa [96] signat sua [97] crimina [98] gemmâ;
Quam tinxit lacrymis: linguam defecerat humor.
Deque suis unum famulis pudibunda vocavit:

76 Puella amore capta.
77 Cupiditatis.
78 Pallidus.
79 Mœstus.
80 Sorori convenientia.
81 Se invitam quidem, sed coactam à mori succubuisse ait.
82 Conatus sum ut effugerem.
83 Vim adferentia.
84 Patiens laborum.
85 Ego timida.
86 Æqualitatem ac severitatem legum.
87 Inconsiderata.
88 Pudor.
89 Suavia stupra.
90 Palam, in omnium conspectu, aut coram patre. *Coram* enim ad certos, *Palam* ad omnes refertur.
91 Q. d. Parùm admodum deest ad expiendum amorem nostrum.
92 [Versum hunc pro adulterino amandat Heinsius: & res ipsa loquitur: hic enim nihil ad rem facit.]
93 Exarantem, scribentem.
94 In ultimâ marginis parte.
95 Affixus fuit & scriptus.
96 Sigillo claudit.
97 Nefarias litteras.
98 Annulo signatorio.

Et

Et pavidùm blandita, Fer has, fidiſſime, noſtro,
Dixit, & adjecit longo poſt tempore, fratri.
Cùm daret ; elapſæ manibus cecidêre tabellæ.
[99] Omine turbata eſt : miſit tamen. [100] Apta miniſter
Tempora nactus [101] adit ; traditq; latentia verba.
Attonitus ſubita [102] juvenis Mæandrius irâ,
Projicit acceptas, lectâ ſibi parte, tabellas :
Vixque manus retinens trepidantis [103] ab ore miniſtri.
Dum licet, [104] ô vetitæ ſcelerate libidinis auctor.
Effuge, ait : qui, ſi noſtrum tua [105] fata [106] pudorem
Non traherent ſecum, pœnas mihi morte dediſſes.
Ille fugit pavidus : dominæque ferocia Cauni
Dicta refert. Palles audita, Bybli, repulſa :
Et pavet obſeſſum glaciali [107] frigore pectus.
Mens tamen ut rediit ; pariter rediêre furores :
Linguaque vix tales [108] icto dedit aëre voces :
Et [109] meritò ; Quid enim temeraria [110] vulneris hujus
[111] Indicium feci ? quid, quæ celanda fuerunt,
Tam citò commiſi [112] properatis verba tabellis ?
Ante erat [113] ambiguis animi ſententia dictis
Prætentanda mihi. [114] Nè non ſequeretur euntem,
Parte aliqua [115] Veli, qualis [116] foret aura, notare
Debueram ; tutoque mari decurrere : quæ nunc
Non [117] exploratis implevi lintea ventis.
Auferor in [118] ſcopulos igitur, ſubmerſaque toto
Obruor Oceano : neq; [119] habent mea vela recurſus.
Quid quòd & [120] ominibus certis prohibebar amori
Indulgere meo : tum cùm mihi ferre jubenti
Excidit, & fecit ſpes noſtras [121] cera caducas ?
Nonne vel illa dies fuerat, vel tota voluntas,
Sed potiùs mutanda dies ? Deus ipſe monebat ;
Signaque certa dabat. Si non malè ſana fuiſſem.
Et tamen ipſa loqui, nec me committere ceræ
Debueram ; præſenſq; meos aperire furores.
Vidiſſet lacrymas : vultus vidiſſet amantis.
Plura loqui poteram, quàm quæ [122] cepêre tabellæ.
Invito potui circumdare brachia collo :
Et, ſi rejicerer, potui moritura videri,

99 Augurio.
100 Idonea, opportuna.
101 Caunum.
102 Caunus Mæandri nepos. Nam Cyane Mæandri filia fuit Cauni mater.
103 A facie.
104 Potes.
105 Tua mors.
106 Si mors tua nobis dedecori non foret.
107 Timore. Conſequens pro antecedente.
108 Percuſſo aëre. Nam ex percuſſione aëris vox fieri cenſetur.
109 Sc. *Spernor*.
110 Amoris, qui corda hominum vulnerare videtur.
111 Indicavi.
112 Feſtinanter ſcriptis, ac miſſis.
113 Dubiis verbis, quæ in diverſas trahi ſententias poſſint.
114 Ne me petentem averſaretur.
115 Metaphora à navigantibus ſumta, qui, antequam pandant vela, ſolent notare, quales venti ſint ſtaturi.
116 Qualis foret Cauni voluntas.
117 Non intellectâ Cauni voluntate.
118 In maximas anxietates.
119 *Neſcit* enim *vox miſſa reverti*, ut ait Horatius.
120 Auguriis.
121 Cerata tabella :
122 Continere potuerunt.

Am-

Amplectique pedes: [123] affusaque poscere vitam:
Omnia fecissem. Quorum si singula duram
Flectere non poterant, potuissent omnia, mentem.
Forsitan & missi [124] sit quædam culpa ministri.
Non adiit [125] aptè: non [126] legit [127] idonea credo,
Tempora: nec petiit horamque animumque [128] vacantem.
Hæc nocuêre mihi. Neque enim de tigride natus;
Nec rigidos silices, solidumve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leænæ.
Vincetur. Repetendus erit. Nec tædia cœpti
Ulla mei capiam; dum spiritus iste manebit.
Nam primum, (si fata mihi revocare liceret.)
Non cœpisse fuit: cœpta expugnare, secundum est.
[129] Quippe nec ille potest (ut jam mea vota relinquam)
Non [130] tamen ausorum semper memor esse meorum.
Et, quia desierim, [131] leviter voluisse videbor:
Aut etiam tentâsse illum, insidiisque petisse.
Vel certè non hoc, qui [132] plurimus urit & ussit
Pectora nostra, [133] Deo, sed victa libidine credar.
[134] Denique jam nequeo nil commisisse nefandum;
Et scripsi, & petii: [135] Temerata est nostra voluntas.
[136] Ut nihil adjiciam, non possum innoxia dici.
Quod superest, multum est in [137] vota, in crimina parvum.
Dixit: & ([138] incertæ tanta est discordia mentis)
Cum pigeat tentasse, libet tentare: modumque
Exit; & infelix [139] committit sæpe repelli.
Mox [140] ubi finis abest; patriam fugit ille, nefásq;:
Inque [141] peregrina ponit nova mœnia terrâ.
Tum vero mœstam totâ [142] Miletida mente
Defecisse ferunt. Tum verò à pectore vestem
Deripuit; [143] planxitque suos furibunda lacertos.
Jamque palam est demens; inconcessamque fatetur
Spem Veneris. Sine [144] qua patriam, invisosque penates
Deserit; & profugi sequitur vestigia fratris.
Utq; tuo [145] motæ, [146] proles Semeleïa, [147] thyrso

123 Scil. ad pedes fratris.
124 Esse possit.
125 Opportunè.
126 Elegit.
127 Eodem sensu paulò antè dixit: *Apta minister Tempora nactus abit.* Priori modo Lib. 2. *Distuleratque graves in idonea tempora pœnas.*
128 Aliis curis vacuum.
129 Multis rationibus colligit Byblis melius esse, ut in incœpto persistat, quam ab eo desistat.
130 Versus Leoninus.
131 Levi amore impulsa.
132 Maximus, gravissimus.
133 Cupidine.
134 Omnino jam nefanda commisi, neque innocens possum existimari.
135 Corrupta.
136 Quamvis nihil iis, quæ jam commisi, adjungam.
137 Ad vota explenda.
138 Instabilis animi.
139 Committit ut sæpe repellatur.
140 Deinde cùm nullus finis imponitur Byblidos flagitio, Caunus patriam reliquit.
141 Et in Cariâ urbem ædificavit, quam de nomine suo Caunum appellavit.
142 Byblida Mileti filiam,
143 Percussit. *Plangere* propriè est percutere pectus. 144 Quâ ereptâ. 145 Concitatæ. 146 Bacche. 147 Tuis sacris.

148 Is-

[148] Ismariæ celebrant repetita [149] triennia Bacchæ:
Byblida non aliter latos ululâsse per agros
[150] Bubasides vidêre nurus; quibus illa relictis
[151] Caras, & [152] armiferos Lelegas, [153] Lyciamque pererrat.
Jam [154] Cragon, & [155] Lymiren, [156] Xanthique reliquerat undas.
Quoque [157] Chimæra jugo mediis in partibus ignem,
Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat.
Deficiunt silvæ: cùm tu lassata sequendo
Procidis; &, durâ positis tellure capillis,
Bybli taces; frondesque tuo premis ore caducas.
Sæpe etiam Nymphæ teneris Lelegeïdes ulnis
Tollere conantur: sæpe, ut moderetur amori,
Præcipiunt; surdæque adhibent solatia menti.
Muta jacet; viridesque suis terit unguibus herbas
Byblis: & humectat lacrymarum gramina rivo.
Naïdas his venam, quæ nunquam arescere posset,
Supposuisse ferunt. Quid enim dare majus [158] habebant?
[159] Protinus, ut secto [160] piceæ de cortice guttæ,
Utvè tenax gravidâ manat tellure [161] bitumen;
Utve sub adventum spirantis [162] lene Favoni
Sole [163] remollescit, quæ frigore constitit unda,
Sic lacrymis [164] consumta suis [165] Phœbeïa Byblis
[166] Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominæ; nigraque sub ilice manat.

148 Thraciæ. 149 *Trieterica* Græcè dicuntur, eò quòd tertio quoque anno celebrarentur. Sed de his superioribus libris dictum est. 150 Quæ Cariam inhabitant: est enim Bubasus Cariæ regio. 151 Incolas Cariæ. 152 Populos Cariæ bellicosissimos. 153 Regionem Asiæ minoris, inter Pamphyliam & Cariam. 154 Montem. 155 Urbem. 156 Fluvium Lyciæ. 157 Mons est Lyciæ: qui, ut Ætna in Sicilia, fumum ac flammarum globos emittit. Quod Poëtis causam præbuit, ut fingerent Chimæram esse monstrum, partem anteriorem leonis habens, flammas evomentem, mediam ac ventrem capræ, posteriorem draconis. Lucret. *Prima Leo, postremo Draco, media ipsa Chimæra.* Et Ovid. *Esse canes utero sub Virginis, esse Chimæ an, A truce quæ flammis separat angue Leam* Verum aliam quoque rationem hujus figmenti magis versimilem vide in iis quæ diximus ad Lib. 6. vers. 139. 158 Poterant? Q. d. Nihil. 159 Quomodo in fontem fuerit mutata Byblis, triplici similitudine Poëta exponit. 160 *Picea* arbor est, cujus trunco, si incidatur, pix fluit. 161 *Bitumen* genus est picis ex terrâ nascens. 162 Leniter: Nomen pro adverbio. 163 Iterum mollis ac liquida fit, liquescit. 164 Congelata fuit. 165 Cui Phœbus erat avus. 166 Ovidius autem Remedio Amoris affirmat Byblida laqueo vitam finivisse

Byblida quid referam, vetito quæ fratris amore
Arsit, & est laqueo fortiter ulta nefas.

Meminit ejus quoq; carmine in Ibin.

Iphis

Iphis in marem. *Fab.* XII.

ARGUMENTUM.

Phæstos est oppidum in insula Creta. Hic Ligdus, generosi animi, ac præstantis fidei, cùm petiisset à Telethusa conjuge, ut si puellam pareret, necaret; si autem puerum, sobolem patriæ servaret; & uterque cùm pro casu futuro lacrymas dedissent: mater nequiens inferre manus filiæ, Isidem in malis habuit auxilio: cujus pollicitis, illa infantem pro puero, decepto patre filii opinione, nutrivit. Itaque cùm ætas matura nuptiis increvisset, nihil suspicans pater, obstrictus fide conjugis, Jänthen ex Teleste genitam despondit. Qui inter se dum gravi amore premerentur, maximè Iphis, (hoc enim pater nomine avi eum vocari voluerat) &, trepidante etiam matre ne Iphis puella cum infamia reperiretur, eadem Dea fuit auxilio. Nam ut totis nuptiis jugari possent, Iphin in puerum transfiguravit.

FAma novi centum [1] Cretæas forsitan urbes
Implesset monstri; si non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tulisset.
Proxima Gnossiaco nam quondam [2] Phæstia regno
Progenuit tellus, ignotum nomine Ligdum
Ingenuâ de plebe virum. Nec census in illo
Nobilitate sua major: sed vita fidesque
Inculpata fuit. Gravidæ qui [3] conjugis aures
Vocibus his movit; cùm jam propè partus adesset.
Quæ [4] voveam duo sunt: minimo ut [5] relevêre labore;
Utque marem parias. [6] Onerosior altera sors est:
Et vires Natura negat. Quod abominor, ergò
Edita fortè tuo fuerit si fœmina partu;
(Invitus mando: pietas ignosce,) [7] necetur.
Dixerat: & lacrymis vultum lavêre profusis,
Tam qui mandabat, quàm cui mandata dabantur.
Sed tamen [8] usque suum vanis Telethusa maritum

1 Cretenses, unde Miletus, Byblidis pater, coloniam duxerat in Asiam. Est autem Creta insulâ centum urbibus nobilis: unde ἑκατόμπολις dicta.
2 Tellus *Phæstia*, i. e. ipsa urbs *Phæstus* in Creta, ubi & Gnossus.
3 Uxoris Telethusæ.
4 Optem, cupiam.
5 [Dolores puerperarum propriè vocantur *Labores*: hinc *laborantes puerperæ* Virgilio: & Georgic. *Primos Lucinæ experta labores.*]
6 Nempe aliud parere, quam quod jam in utero gestabat. 7 Fuit hic ethnicorum multorum horrendus mos, ut recens natos, qui displicerent, necare ausi sint. 8 Semper continuè.

Sol-

Sollicitat precibus; ne ſpem ſibi ponat in [9] arcto.
[10] Certa ſua eſt Ligdo ſententia. Jamque ferendo
Vix erat illa gravem maturo pondere ventrem;
Cùm medio noctis ſpatio ſub imagine ſomni
[11] Inachis ante torum, pompâ comitata ſuorum,
Aut ſtetit, aut viſa eſt. Inerant [12] lunaria fronti
Cornua, [13] cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale [14] decùs; cum qua [15] latrator Anubis,
Sanctaque [16] Bubaſtis, variuſque coloribus [17] Apis:
[18] Quique premit vocem, [19] digitoque ſilentia ſuadet;
[20] Siſtraque erant, [21] nunquamque ſatis quæſitus Oſiris,
[22] Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.
Cum velut [23] excuſſam ſomno, & manifeſta videntem
Sic affata Dea eſt: Pars ô Telethuſa mearum,
Pone graves curas; mandataque falle [24] mariti;
Nec dubita, cùm te partu Lucina levarit,
[25] Tollere quicquid erit. Dea ſum [26] auxiliaris, opemque
Exorata fero. Nec te coluiſſe querêris
Ingratum numen. Monuit, thalamoque receſſit.
Læta toro ſurgit, puraſque ad ſidera ſupplex
[27] Creſſa manus tollens, rata ſint ſua viſa precatur.
Ut dolor increvit; [28] ſeque ipſum pondus in auras
Expulit, & nata eſt ignaro fœmina patri;
Juſſit ali mater, puerum mentita: [29] fidemque
Res habuit: neque erat facti niſi conſcia nutrix.
Vota pater ſolvit, nomenque imponit avitum.
Iphis avus fuerat. Gaviſa eſt nomine mater,
Quod [30] commune foret, nec quenquam falleret illo.

9 In anguſto. 10 Sic Virg. 10. Æn. *Certa eſt ſententia Turno.* 11 Inachi filia Iô, de qua lib. 1. verſ. 748. noſter dixit, *Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.* Eſt hæc quam Ægyptii Iſidem vocant, Lunamque eſſe putant. Alii illam pro Cerere, alii pro Junone cultam volunt. 12 Tale erat Iſidis ſimulacrum, cujus cornua lunaria referebant Lunam. 13 Inſignia hæc ſunt Cereris, quam Iſis repræſentabat. 14 Intellige vel ſceptrum, vel diadema corniculatum. 15 Mercurius ab Ægyptiis colitur ſub canis figura ſignificantibus eum fuiſſe cuſtodem Oſiridis & Iſidis, *Anubiſque* appellatur. 16 Diana Ægyptiis ſacra, præcipuè in urbe Bubaſti. 17 Nonnulli hunc eundem cum Oſiride putant, neque immerito. Habitus hic eſt ab Ægyptiis pro Deo, & ſub viri bovis imagine cultus, qui corpore niger, candida fronte in tergore verò alba nota inſignis, duplicibus pilis in cauda, & lingua cantharo notatus eſſet. Certos eum vitæ annos excedere non licebat, quibus peractis à Sacerdotibus in fonte demergebatur: mox ubi hunc ſatis luxiſſent, alius quærebatur. 18 Deus ſilentii, quem Harpocratem vocant. 19 Nam imaguncula Harpocratis, digito ori admoto, taciturnitatis ſymbolum eſt. 20 Σεῖστρον Græcum eſt nomen, à σείω, i. *quatiendo*, dictum. Erat enim crepitaculum æneum, cujus agitatione ſonitum reddebant, in ſacris Iſidis ſolenne. Virg. *Regina in mediis parvo vocat agmina ſiſtro.* 21 *Oſiris* Deus eſt Ægyptiorum, Iſidis maritus, quem amiſſum Ægyptii maximo cum mœrore quærebant; alium verò inventum ingenti lætitia perſequebantur. 22 In pompâ ſacrorum Iſidis geſtabatur etiam ſerpens, vel Aſpis, cujus morſu homines, gravi ſopore inducto moriuntur. 23 Excitatam. 24 Ligdi. 25 i. e. ſuſcipere: quos enim alere nolebant, eos aut interficiebant, aut exponebant. 26 Opem ferens parturientibus. 27 Mulier Cretenſis, ſc. Telethuſa. 28 Poſtquam peperit, ponduſque uteri in lucem extulit. 29 Et rea credita fuit. 30 Puero & puellæ. Nam *Iphis* tam fœmina, quam mas, appellari poteſt.

[31] Impercepta piâ mendacia fraude latebant.
Cultus erat pueri: facies, quam sive puellæ,
Sive dares puero, fieret formosus uterque.
Tertius interea decimo successerat annus;
Cùm pater, Iphi, tibi [32] flavam despondet Jänthen:
Inter [33] Phæstiadas quæ laudatissima formæ
Dote fuit virgo, [34] Dictæo nata Teleste.
Par ætas, par forma fuit: primasque magistris
Accepêre artes elementa ætatis ab îsdem.
Hinc amor ambarum [35] tetigit [36] rude pectus: & æquum
Vulnus utrique tulit. Sed erat [37] fiducia dispar.
Conjugii [38] pactæque exspectat tempora tœdæ:
[39] Quamq; virum putat esse, suum fore credit Jänthe.
Iphis amat, qua posse frui desperat, & [40] auget
Hoc ipsum flammas: [41] ardetque in virgine virgo.
Vixque tenens lacrymas, [42] Quis me manet exitus? inquit,
Cognita quàm nulli, quàm prodigiosa, novæque
Cura tenet Veneris? Si Dî mihi parcere vellent;
[Perdere debuerant: si non & perdere vellent;]
[43] Naturale malum saltem & de more dedissent.
Nec vaccam vaccæ, nec equas amor urit equarum.
Urit oves aries: sequitur sua fœmina cervum.
Sic & aves coeunt: interque animalia cuncta
Fœmina fœmineo correpta Cupidine nulla est.
Vellem nulla forem. Ne [44] non tamen omnia Crete
Monstra ferat; taurum dilexit [45] filia Solis,
Fœmina nempe marem. Meus est furiosior illo,
Si verum profitemur, amor. Tamen illa secuta est
Spem Veneris: tamen illa dolis & imagine vaccæ
[46] Passa bovem est: & erat, qui deciperetur, adulter.
Huc licèt è toto [47] sollertia [48] confluat orbe,
Ipse licèt revolet ceratis [49] Dædalus alis;
Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
Artibus efficiet? num te mutabit Jänthe?
[50] Quin animum firmas, teque ipsa [51] recolligis, Iphi;
Consiliique inopes & stultos [52] excutis ignes?
Quid sis nata vide: ([53] nisi te quoque decipis ipsam)
Et [54] pete, quod fas est: & ama, quod fœmina debes.

31 Non percepta, non intellecta.
32 Fortè flavis crinibus decoram.
33 Cretenses ex urbe Phæsto. Vide supra vers. 670.
34 Cretensi. Dicte enim Cretæ mons est.
35 Commovit.
36 Rudem animum & amandi imperitum.
37 Dissimilis: nam Iphis diffidebat se viri officio fungi posse. Jänthe verò contra fidebat, se munera mulieris optimè obituram.
38 Pactarum nuptiarum.
39 Iphin, quam Jänthe credit esse virum, credit quoq; suum fore maritum.
40 Quòd virgine amatâ se frui posse desperabat.
41 Virgo Virginis amore inflammatur, quod maximè mirandum est.
42 Quem exitum meus amor sortietur, cùm Jänthe amata frui non possim?
43 Naturalem amorem, ut virum non virginem amarem. [Præcedentem versum pro spurio damnat Heinsius.]
44 Ut ferat.
45 Pasiphaë Minois uxor. Vide suprà Lib 8. Fab. 2.
45 Subacta valuit ferre jugum tauri ruentis in Venerem, inclusa, nempe, vaccæ ligneæ. 47 Ingenii perspicacitas & acumen. 48 Conveniat. 49 Hic enim vaccam ligneam fabricatus erat. 50 Cur non constantia uteris? Se ipsam autem alloquitur Iphis. 51 Animum resumis? 52 Abjicis, repellis? 53 Non somnia, ut ii, qui te masculum esse credunt. 54 Et appete quod assequi possis. [Sequentem versum damnat Heinsius.]

[Spes est quæ capiat: spes est quæ pascat amantem.]
55 Hanc tibi res adimit: Non te custodia caro
Arcet ab amplexu, nec cauti cura mariti.
Non patris asperitas, nec se negat ipsa roganti.
56 Nec tamen est potiunda tibi; nec, ut omnia fiant,
Esse potes felix; ut Dîque, hominesq; laborent.
[Nunc quoque votorum pars est 57 nulla est vana meorum:
Dî que mihi faciles, quidquid valuêre, dederunt.]
Quodq; ego, vult genitor, vult ipsa, socerque futurus:
At non vult Natura, potentior omnibus istis;
Quæ mihi sola nocet. Venit ecce optabile tempus
58 Luxq; jugalis adest: ut jam mea fiet Janthe,
Nec 59 mihi continget. 60 Mediis sitiemus in undis.
61 Pronuba quid Juno, quid ad hæc, 62 Hymenæe, venitis
63 Sacra; quibus qui ducat abest, ubi 64 nubimus ambæ?
65 Pressit ab his vocem: nec 66 leniùs altera 67 virgo
Æstuat; utq; celer venias, 68 Hymenæe, precatur.
Quod petit hæc, Telethusa timens, modo tempora differt;
Nunc ficto languore moram trahit. 69 Omina sæpe,
70 Visaque 71 caussatur: sed jam consumserat omnem
Materiam 72 ficti: dilataque tempora 73 tædæ
Institerant; unusque dies restabat: At 74 illa
Crinalem capiti vittam natæque sibique
Detrahit: & passis aram complexa capillis,
Isi, 75 Paraetonium, 76 Mareoticaq; arva, 77 Pharonque
Quæ colis, & septem digestum in 78 cornua Nilum;
Fer precor, inquit, opem: nostroq; medere timori.
Te Dea, te quondam, tuaque hæc 79 insignia vidi:
Cunctaq; cognovi; comitesq; facesq; sonumq;
80 Sistrorum: memoriq; animo tua jussa notavi.

55 Necessitas & sexus qualitas tibi hanc eripit, quam uxorem ducere cupis.
56 Nec tamen illâ potes potiri.
57 Non est. Sic supra, *vellem nulla forem.* [Et hoc Distichum quoq; rejicit Heinsius.]
58 Dies nuptiis dictus.
59 Quia illa potiri non potero.
60 Instar Tantali, ad quem Poëta alludere videtur.
61 Quæ nuptiarum præses in nuptiis rite contractis invocabatur.
62 Erat hic nuptiarum Deus.
63 Nuptiarum.
64 Nubere fœminarum est proprium.
65 Post hæc siluit.
66 Minùs.
67 Janthe amore ardet, quæ Iphin, cui fuerat desponsata, marem esse credebat.
68 Nuptiarum Deus.
69 Auguria.
70 Et somnia.
71 Excusat ac causam esse ait.
72 Fingendi.
73 [Nuptiarum: faces enim seu Tædæ novis nuptiis præferebantur, è pinu plerumq; confectæ; ea enim arbor gummi abundat, & accensa multùm flammat. Catullus in Epithalamio *pineam quate tædam.*] 74 Telethusa. 75 Oppidum Ægypti, ubi potissimum colebatur Isis. 76 Est Mareotis in Ægypto lacus Alexandriam alluens. 77 Insula Ægypti, hodiè Alexandriæ ponte juncta, nobilis ingenti turri, seu specula, quæ & ipsa Pharos dicta fuit, incensis noctu facibus navigantibus præluceus. 78 Ostia. Nam Nilus septem ostiis egreditur in mare. 79 In ara enim Isidis ea omnia simulacra erant, quæ in somnis viderat Telethusa. Supra vers. 687. 80 De *Sistro* diximus suprà ad vers. 695.

Quod videt hæc lucem, [81] quòd non ego punior ipsa;
Consilium, monitumq; tuum est. Miserere duarum,
[82] Auxilioq; juva. Lacrymæ sunt verba secutæ.
Visa Dea est movisse suas (& moverat) aras.
Et templi tremuêre fores, imitataq; Lunam
[83] Cornua fulserunt; crepuitque sonatile sistrum.
Non secura quidem, [84] fausto tamen omine læta
Mater abit templo. Sequitur comes Iphis euntem,
Quàm solita est, majore gradu: nec candor in ore
Permanet; & vires augentur; & acrior ipse est
Vultus: & incomtis brevior mensura capillis.
Plùsque vigoris adest, habuit quàm fœmina: jam quæ
Fœmina nuper eras, puer es. Date munera templis,
Nec timida gaudete fide. Dant munera templis,
Addunt & [85] titulum: titulus breve carmen habebat:
Dona puer solvit, quæ fœmina voverat, Iphis.
Postera lux radiis latum patefecerat orbem;
Cum Venus, & Juno, sociosq; Hymenæus ad [86] ignes
Conveniunt: potiturque suâ puer Iphis Janthe.

81 [Hoc hemistichium pro suspecto habet Heinsius: codicum enim mira varietas: nec ratio per se patet, cur Telethusa pœnam adeo extimescat, ut pro amotâ pœnâ gratias Isidi habeat: minabatur equidem Ligdus se injuriam infanti illaturum, modo esset fœmina; de pœnâ autem in uxorem irrogandâ verbum nullum.]

82 Sic. *Virg.* 10. Æn. *Neque illos Juveris auxilio.* Pleonasm.

83 Vide supra vers. 689

84 Felici augurio.

85 Ἀγάλματα.

86 Ad sacrificia: quæ in nuptiis Junoni, Hymenæoque, ac Veneri conjugalibus Diis celebrabantur.

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER X.

Orphei descensus ad inferos, & Olenus & Lethæa in arbores. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Orpheus Eurydice interemta ad inferos descendit, & à Dite impetravit ut eam reduceret ad superos, lege proposita, si sequentem non respexisset: quod ille præstare non potuit. Revocata igitur ad inferos, Orpheus non aliter stupuisse dicitur, quam pastor, qui viso Cerbero, quem ab inferis traxerat Hercules, nimio pavore in saxum versus est: quamque Olenus, & Lethæa, quæ cum pulcritudine superba Deabus se prætulisset, deque ea supplicium sumere vellent; uxoris culpam Olenus in se transferre voluit: suntque ambo in saxa mutati. Orpheus postea dolore ac fletu finito, ne rursus conjugale desiderium experiretur, puerilem Venerem instituit.

INdè per immensum croceo velatus amictu,
Aëra digreditur, [1] Ciconumque Hymenæus ad oras

1 Ad oras Thraciæ in qua populi Cicones ad Ismarum montem & Bistonidem lacum habitantes.

Tendit

Tendit: & Orphea [2] nequicquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem: sed nec [3] sollennia verba,
Nec lætos vultus, nec felix attulit omen.
[4] Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
[5] Utque fuit, nqllos invenit motibus ignes.
Exitus auspicio gravior: nam nupta, per herbas
Dum nova Naiadum turbâ comitata vagatur,
Occidit, in talum serpentis dente recepto.
Quam satis ad superas postquam [6] Rhodopeïus auras
Deflevit vates [7] nè non tentaret & umbras,
Ad Styga [8] Tænaria est ausus descendere portâ.
Perque [9] leves populos simulacraq; functa sepulcris
[10] Persephonen adiit, inamœnaq; regna tenentem
Umbrarum [11] dominum: pulsisque ad carmina nervis
Sic ait: O [12] positi sub terra numina [13] mundi,
In quem recidimus quicquid mortale creamur;
Si licet, &, falsi positis ambagibus oris,
Vera loqui sinitis; Non huc, ut [14] opaca viderem
Tartara, descendi; nec uti villosa colubris
Terna [15] Medusæi vincirem guttura monstri:
Caussa viæ [16] conjux, in quam calcata [17] venenum
Vipera diffudit; crescentesque abstulit annos.
[18] Posse pati volui: nec me tentâsse negabo:
Vicit Amor; supera Deus hic benè notus in ora est.
An sit & hîc, dubito: sed & hic tamen [19] auguror esse.
Famaque si veteris non est mentita [20] rapinæ,
Vos quoque junxit Amor. Per ego hæc loca plena timoris,
Per [21] Chaos hoc ingens, vastique silentia regni,
Eurydices oro properata [22] retexite fila.
[23] Omnia debemur vobis: *paulumque morati,*
[24] *Serius aut citius sedem properamus ad unam.*

2 Frustrà: neque enim felices illæ nuptiæ fuerunt.
3 Qualia hæc essent, *Fausta felicesque hæ sint nuptiæ.*
4 Quinque faces antè novam nuptam præferri solebant.
5 [Pro *sicut erat.* Sic noster passim, Fast. III. *Utque erat, in dubio procubuêre solo.* Et, *Hæc quoq; funestos, ut erat, laniata capillos.* Et, *Utque erat, immissis puppim stetit ante capillis:* Impersonaliter dictum, ut patet.]
6 Orpheus, Poëta Thracius. Est *Rhodope* mons Thraciæ altissimus.
7 Ut.
8 Tænarus Laconicæ regionis promontorium est, ubi antrum ostenditur, in quo fauces esse dicuntur ad inferos deducentes.
9 Corporibus carentes.
10 Proserpinam, vel Hecaten: quæ & *Persephone* Græcis dicitur.
11 Plutonem.
12 Hac oratione Orpheus persuadere conatur Plu oni atque Proserpinæ, ut sibi Eurydicen uxorem restituant, ac per aliquot adhuc annos vivere apud superos permittant. 13 Periphrasis est inferorum. 14 Obscura, tenebrosa. Est enim *Tartarus* inferorum locus profundissimus. 1: Canis inferorum tricipitis Cerberi: qui, ut Medusa pro capillis, ita pro pilis colubros ac serpentes habet. Meritò autem se excusat Orpheus, ne sicut Hercules, credatur ad extrahendum Cerberum illùc descendisse. 16 Uxor mea Eurydice. 17 Sic dictum volunt, quod per *venas eat.* 18 Volui quidem, & quantum per me licuit, laboravi ferre jacturam & desiderium dilectæ conjugis: sed meus in illam tam magnus est amor, ut ad hæc loca, me descendere coëgerit. 19 Conjicio, & signis colligo. 20 Nam Pluto Proserpinæ amore captus eam rapuit. Vide Lib. 5. 21 Per has immensas tenebras. 22 Resolvite, ut ad vitam possit redire. 23 Omnia ad vos venire necesse est. 24 Sic alibi: *Tendimus hùc omnes, metam properamus ad unam, Omnia sub leges mors vocat atra suas.*

Tendimus huc omnes; hæc est domus ultima: vosque
Humani generis longissima regna tenetis:
Hæc quoque, cùm justos matura [25] peregerit annos,
[26] Juris erit vestri: pro munere [27] poscimus usum.
Quod [28] si fata negant [29] veniam pro conjuge, certum est
Nolle redire mihi: leto gaudete [30] duorum.
[31] Talia dicentem, [32] nervosque ad verba moventem,
Exsangues flebant animæ. Nec [33] Tantalus undam
[34] Captavit refugam: [35] stupuitq; [36] Ixionis [37] orbis.
Nec carpsere [38] jecur volucres; urnisq; [39] vacârunt
[40] Belides: [41] inque tuo sedisti, Sisyphe, saxo.
Tum primum lacrymis victarum carmine fama est
[42] Eumenidum maduisse genas: nec regia [43] conjux
Sustinet oranti, nec [44] qui regit ima, negare:
Eurydicenque vocant. [45] Umbras erat illa recentes
Inter: & incessit passu de vulnere tardo.
Hanc simul, & legem Rhodopeïus accipit heros
Nè flectat retro sua lumina; donec Avernas
Exierit valles: aut, irrita dona futura.
[46] Carpitur acclivus per muta silentia trames
Arduus, obscurus, caligine densus opacâ;
Nec procul abfuerunt telluris [47] margine [48] summæ.
[49] Hîc, ne deficeret, metuens, avidusque videndi,
Flexit amans oculos: & protinus illa relapsa est.
Brachiaque intendens, prendique & prendere certans,
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Jamque iterum moriens non est de conjuge quicquam

25 Compleverit. 26 In potestate vestrâ. 27 Ut Eurydice uti fruique possim. 28 Sed si fata mihi hoc beneficium, pro uxore petitum, negaverint, decrevi nolle redire ad superos, sed hic una perire. 29 Beneficium. 30 Mei & Eurydices. 31 Tanta vis Orphei cantus & orationis fuit, ut inferi, quique apud inferos variis pœnarum generibus afficiuntur, à lacrymis se continere & temperare nequiverint, simulque ab iis, quæ perpetiuntur, cessasse suppliciis. Unde Virg. 4. Georg. *Quin ipsæ stupuêre domus*, &c. usque ad *transire paludem*. 32 Citharæ chordas pulsantem. 33 Tantalus, mensa Deorum dignatus, Jovis arcana prodidit mortalibus. Quare ad inferos detrusus, inter aquas ori allabentes sitit, nec pendentibus pomis famem expellere potest. Cùm enim ea captare vult, a vento dissipantur. 34 Capere conatus est. 35 Immobilis mansit, ut Orphei carmen audiret. 36 Ixion, cùm Junonem de stupro interpellasset, ad inferos damnatus, rotâ assiduè circumagitur. 37 Rota. 38 Tityi. Nam Tityus, cum Latonam vitiare tentasset, in novem jugera distentus, jecore suo vultures assidue pascere narratur. 39 Cessarunt ab urnis gestandis. 40 Beli neptes. Hæ verò Danai filiæ fuerunt 50. quæ totidem patrueles, eosdemque maritos, Ægypti filios, jussu Danai patris suum quæque, præter unam Hypermnestram quæ Lynceo pepercit, primâ nocte interfecerunt: undè ad inferos detrusæ, cribris aquam haurire finguntur. 41 Sisyphus, Æoli filius, cùm Isthmum infestaret, ad inferos detrusus, saxum in montis cacumen subvolvere cogitur, qui semper in vallem devolvitur. 42 Furiarum, quarum nomina. *Megæra, Tisiphone, & Alecto*. Sic dictæ per antiphrasin quasi minimè εὐμενεῖς, i. e. benevolæ. 43 Proserpina. 44 Periphrasis est Plutonis. 45 Inter umbras. Anastrophe. 46 Per tramitem arduum Orpheus ab inferis ad superos ascendit. 47 Extremitate. 48 Supernæ terræ. 49 Tunc timens Orpheus, ne Eurydice se desereret, ad eam oculos convertit. 50 Ordo est: Non aliter Orpheus stupuit, quam timidus, qui vidit, &c.

Questa

Questa suo: quid enim sese sequeretur amatam?
Supremumque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit: revolutaque rursus eodem est.
Non [50] aliter stupuit gemina nece conjugis Orpheus;
Quam tria qui timidus, [51] medio portante catenas,
Colla canis vidit: quem non pavor antè reliquit,
Quàm [52] natura prior, saxo per corpus oborto:
[53] Quique in se crimen traxit, voluitque videri
Olenos esse nocens, tuque ô confisa figuræ
Infelix Lethæa, tuæ, junctissima quondam
Pectora, nunc lapides, quos [54] humida sustinet Ide.
[55] Orantem, frustraque iterum transire volentem,
[56] Portitor [57] arcuerat: septem tamen ille diebus
Squalidus in [58] ripâ [59] Cereris sine munere sedit.
Cura dolorque animi, lacrymæque alimenta fuêre.
Esse Deos Erebi crudeles questus, in altam
Se recipit [60] Rhodopen, pulsumque Aquilonibus [60] Hæmon.
Tertius æquoreis [61] inclusum Piscibus annum
Finierat Titan [62] omnemque refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem; seu quòd malè [63] cesserat illi;
Sive fidem dederat. Multas tamen ardor habebat
Jungere se vati: multæ doluêre repulsæ.
Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In [64] teneros [65] transferre mares: citraque juventam
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

51 Sc. collo. Nam è tribus Cerberi collis medium catenis fuerat ligatum.
52 Humana sc. Narrant quendam timidum, qui metu Herculis in speluncam fugerat, dum ex illa prospiceret Herculem, Cerberum trahentem, adeo obstupuisse, ut in saxum mutatus sit.
53 Altera similitudo. Neque aliter stupuit Orpheus quam Olenos, qui cum sciret uxorem suam Lethæam Diis pœnas daturam, quod forma sua confisa se Deabus præferre ausa fuisset, illius crimen in se transtulit, atque ita una cum uxore in saxum versus fuit.
54 Ida in Phrygia multis fontibus irrigatur.
55 Precantem Orpheum.

56 Charon, qui portui inferorum præest. 57 Cohibuit. 58 Stygis paludis. 59 Sine ullo cibo, incœnatus. 60 Montes Thraciæ, Boreæ obnoxios. 61 Piscibus terminatum. Nam *Pisces* Zodiaci ultimum obtinent locum, annumque terminant. Significat igitur, tres annos transiisse post Eurydices mortem, quibus Orpheus nullam tetigerat mulierem. 62 Virg. 4. Georg. *Nulla Venus, nullique animum flexêre Hymenæi.* 63 Successerat. 64 Adolescentes. 65 Auctor transferendi.

Orphei cantus, & Attis in pinum. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Ad cantus Orphei desiderantis consuetudinem conjugis, cùm plurima animalia capta vocis dulcedine convenissent, & in his etiam arbores elicitæ: inter eas stupens cantibus fuit pinus Cybeles, montis qui in Phrygia est, in quam Attis matris Deûm antistes mutatus est.

1 Collis

1 Locum describit, ubi canens Orpheus à Bacchis fuit discerptus.
2 Anastrophe.
3 Orpheus Apollinis & Calliopes Musæ filius.
4 In locum. Sic Virg. *it clamor cœlo*, id est, ad cœlum.
5 Id est, quercus, quarum in Chaönia, olim Molossia, magna copia.
6 Filiarum Solis quas in arbores, populos sc. mutatas legimus Lib. 2. *Helios* Sol Græcis dicitur.
7 Arbor est hæc glandifera Jovi dicata.
8 Ita dicta, quia virgo Daphne, quæ in laurum conversa est, nunquam nubere voluit. Vide Lib. 1. vers. 478.

[1] Collis erat, [2] collemque super planissima campi
Area: quam viridem faciebant graminis herbæ.
Umbra loco deerat. Qua postquam parte resedit
[3] Dîs genitus vates, & fila sonantia movit;
Umbra [4] loco venit. Non [5] Chaönis abfuit arbos;
Non nemus [6] Heliadum, non frondibus [7] esculus altis,
Nec tiliæ molles, nec fagus, & [8] innuba laurus.
Et coryli fragiles, & fraxinus utilis hastis,
[9] Enodisque abies, curvataque glandibus ilex,
Et platanus [10] genialis, [11] acerque coloribus impar,
[12] Amnicolæque simul salices, & [13] aquatica lotos.
Perpetuoque virens buxus, [14] tenuesque myricæ,
Et bicolor [15] myrtus, & [16] baccis cærula tinus:
Vos quoque flexipedes hederæ venistis, & unâ
[17] Pampineæ vites, & amictæ vitibus ulmi:
Ornique, & piceæ, [18] pomoque onerata rubenti
Arbutus, & [19] lentæ [20] victoris præmia palmæ:
Et [21] succincta comas, hirsutaque vertice pinus;
Grata Deûm [22] matri: si quidem Cybeleius Attis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

9 Sine nodis. 10 Genio ac voluptati dicata. Foliis enim æstate Solem avertit, potantibusque umbram præbet. 11 *Acer* arbor est variis distincta coloribus. 12 Juxta fluvios nascentes. 13 *Lotos* arbor est locis humidis gaudens unde & aquatica à Poëta appellatur. Sic supra Lib. 9. *In spem bacçarum florebat aquatica Lotos.* 14 Humiles. Virg. *Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.* 15 Arbor est Veneri dicata. 16 [Malè antea *ficus*, contra fidem codicum.] 17 Pampinis & foliis oneratæ. 18 Pomis rubicundis. 19 Flexibiles. 20 Quia victores palmâ coronantur. Habens altas frondes. Nam pinus in vertice solum frondes emittit. 22 Cybelæ. Vide quæ diximus ad primum hujus fabulæ versum.

Cyparissus in cupressum. *Fab. III.*

ARGUMENTUM.

Cyparissus fuit Amyclei filius ex insula Cea. Hunc Apollo dilexit: & propter cervum patientem manus, quem per imprudentiam sagitta transfixum interemerat, manus afferentem sibi, periculo eripuit, & protinus in arborem sui nominis vertit.

1 Metarum similis, quæ, ut cupressi, in acutum tendunt.

ADfuit huic turbæ [1] metas imitata cupressus,
Nunc arbor, puer ante Deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis, & nervis temperat arcum.

Nam-

Namque sacer Nymphis [2] Carthæa tenentibus arva
Ingens cervus erat: lateque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro: demissaque in armos
Pendebant tereti [3] gemmata monilia collo.
Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur; [4] pariliq; ex ære nitebant
Auribus in geminis circum cava tempora [4] baccæ:
[5] Isque metu vacuus, naturalique pavore
Deposito, celebrare domos, mulcendaque colla
[6] Quamlibet ignotis manibus præbere solebat.
Sed tamen ante alios, [7] Ceæ pulcherrime gentis,
Gratus erat, Cyparisse, tibi. Tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam:
Tu modo texebas varios per cornua flores:
Nunc, eques in tergo residens, huc latus & illùc
Mollia purpureis frænabas ora [8] capistris.
Æstus erat, mediusque dies: [9] Solisque vapore
Concava littorei fervebant brachia Cancri.
Fessus in herbosa posuit sua corpora terrâ
Cervus: & arborea [10] ducebat frigus ab umbrâ.
Hunc puer imprudens jaculo Cyparissus acuto
Fixit: &, ut sævo morientem vulnere vidit,
Velle mori statuit. Quæ non solatia Phœbus
Dixit? & ut leviter, pro [11] materiaque doloret,
Admonuit. Gemit ille tamen: munusque supremum
Hoc petit à Superis; ut tempore lugeat omni.
Jamque, per immensos [12] egesto sanguine fletus,
In viridem verti cœperunt membra colorem;
Et modo, qui niveâ pendebant fronte capilli,
Horrida cæsaries fieri: [13] sumtoque rigore
[14] Sidereum gracili spectare cacumine cœlum.
Ingemuit, tristisque Deus, Lugebere nobis,
[15] Lugebisque alios, aderisque [16] dolentibus inquit.

2 In insula Cæa una è Cycladibus.
3 Torques gemmis ornati.
4 Æqualis magnitudinis.
5 Cervus.
6 Quantumlibet incognitis.
7 A Cæâ, Ægei maris insula.
8 Capitis vinculis, quæ equis adhiberi solent, ne fugiant.
9 Significat Solem in Cancro fuisse, quo tempore maximi excitantur æstus. Est ergo periphrasis mensis Junii.
10 Trahebat, capiebat.
11 Pro qualitate rei perditæ.
12 Exhausto, emisso.
13 Et sumta, i. accepta duritie.
14 Sideribus ornatum.
15 Cupressi enim rami apud Romanos antè fores domus, in quâ erat cadaver, ponebantur, ne quis, per imprudentiam ingrediens, pollueretur.
16 Morte propinquorum.

Jupiter in aquilam, & raptus Ganymedis. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Ganymedes Troïs filius primus forma cùm cæteris Iliensibus Phrygiæ præferretur, & assiduis venationibus interesset, ne infamiam vireutis ætatis subiret, Jupiter versus in aquilam ex Ida monte eum rapuit in cœlum, ministrumque fecit.

Tale nemus vates attraxerat: inque ferarum
Concilio medius, turbæ volucrumq; sedebat.
Ut satis [1] impulsas tentavit pollice [2] chordas;
Et sensit varios, quamvis [3] diversa sonarent,
Concordare [4] modos; hoc vocem carmine movit.
Ab Jove, [5] Musa parens, ([6] cedunt Jovis omnia regno)
Carmina nostra move. Jovis est mihi sæpe potestas
Dicta priùs. Cecini [7] plectro graviore [8] Gigantas,
Sparsaque [9] Phlegræis victricia fulmina campis.
Nunc opus est [10] leviore lyra: puerosque canamus
Dilectos Superis; [11] inconcessisque puellas
Ignibus attonitas meruisse libidine pœnam.
Rex Superûm [12] Phrygii quondam Ganymedis amore
Arsit: & inventum est aliquid, quod Jupiter esse,
Quam quod erat, mallet. Nullâ tamen alite verti
Dignatur; nisi quæ posset sua fulmina ferre.
Nec mora: percusso mendacibus aëre pennis
Abripit [14] Iliaden. Qui nunc quoque pocula miscet,
[15] Invitaque Jovi nectar Junone ministrat.

1 Percussas.
2 Fides: Musicorum instrumentorum.
3 Diversè. Nomen pro adverbio.
4 Varios sonos, ex quibus constat harmonia.
5 Calliopen Musam, matrem suam, invocat Orpheus.
6 Omnia Jovis patientiæ subjiciuntur. Hæc causa est cur ab Jove sit inchoandum.
7 Sono graviore, quali bella cantari solent. *Plectrum* est instrumentum musicum, quod Latinè *pecten* appellatur, quo chordæ percutiuntur: ἀπὸ τοῦ πλήττειν, i. à *percutiendo* dictum.
8 Gigantomachiam, i. gigantum pugnam, de qua vide Lib. 2. 9 Ubi fulminibus Gigantes fuerunt confecti. Quibus in terris hi sint, Scriptores non consentiunt. 10 Humiliori sono, amoribus convenienti. 11 Nefandis amoribus. 12 Trojani. Nam Ganymedes Trois, Phrygiæ regis, filius à Jove, in aquilam verso, raptus fingitur, ac sibi mensæ minister adhibitus. 13 [Alludit Poëta ad signum *aquilæ* in cœlo, quod fulmen unguibus *tenere* dicitur ita Statius de Aquilâ Lib. XII.

Illa hostem rostro, atq; assuetis fulmina ferre
Unguibus incessens.

Hinc aquila *Jovis Armiger* dicitur multis, *minister fulminis ales* Horatio.] 14 Ganymedem, Ili nepotem. 15 Contrà voluntatem Junonis, quæ, filia suâ Hebe à pocillandi munere remotâ, rapti Ganymedis honores ægre tulit.

Hyacinthus

Hyacinthus in florem. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Hyacinthus Amyclides, dilectus ab Apolline, cum per jocum in certamen disci venisset, altius jactum pondus non prius despicere potuit, quam capiti sensit injectum. Quo eliso, post obitum ejus cruor in florem ejus nomine inscriptum cessit.

TE quoque,[1] Amyclide, posuisset in æthere Phœbus;
Tristia si spatium ponendi fata dedissent.
Qua licet, æternus tamen es: quotiesque repellit
Ver hyemem, Piscique Aries succedit aquoso;
Tu toties oreris: viridique in cespite flores.
Te[2] meus ante alios genitor dilexit; & orbis
In[3] medio positi caruerunt[4] præside Delphi;
Dum Deus[5] Eurotan, immunitamque frequentat
[6] Sparten; nec citharæ, nec sunt in honore sagittæ:
Immemor ipse[7] sui non retia ferre recusat;
Non tenuisse canes; non per juga montis iniqui
Isse comes: longaque alit[8] assuetudine flammas.
[9] Jamque ferè medius Titan venientis &[10] actæ
Noctis erat, spatioque pari distabat[11] utrimq;
Corpora veste levant, &[12] succo pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina[13] disci.
Quem prius aërias libratum Phœbus in auras
Misit, & oppositas disjecit pondere nubes.
Recidit in solidam longo post tempore terram
Pondus: &[14] exhibuit junctam cum viribus[15] artem.
Protinus imprudens, actusque cupidine ludi,
Tollere[16] Tænarides orbem properabat: at illum
Dura repercussum[17] subjecit in aëra tellus,
Et vultus, Hyacinthe, tuos expalluit æquè,
Ac puer, ipse Deus: collapsosque excipit artus:
Et modo te refovet: modò tristia vulnera siccat:
Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.

1. Hyacinthe, Amyclæ fili.
2 Meus pater Apollo. Nam Apollinis & Calliopes Musæ filium se esse Orpheus ipse testatur.
3 Delphi urbs est Bœotiæ, Apollinis oraculo clarissima, quæ à Geographis in medio terrarum orbe, & velut umbilicus terræ, esse perhibetur.
4 Apolline.
5 Laconiæ fluvium.
6 Urbem Lacedæmoniorum, quam illi muris cingere noluerunt, existimantes virtutem juvenum tutandæ urbi sufficere.
7 Suæ divinitatis.
8 Consuetudine.
9 Meridies erat
10 Præteritæ.
11 Et à præterità & veniente nocte.
12 Luctaturi & lusuri oleo se inungere solebant.

13 Fuit discus lamina rotunda, 3. vel 4. digitorum crassitudine, longior paulo plus pede, alias lapidea, alias ferrea, lignea, vel ænea. quam instar rotationis in aërem jaculabantur. Hinc Propert. *Missile nunc disci pondus in orbe rotat.* 14 Ostendit. 15 Nam ita emittebatur, ut in gyrum se volvens caderet in terram, infra præscriptos terminos. 16 Tænarius Hyacinthus, de Tænaro. Vide supra quæ nos ad vers. 13. 17 Sursum jecit.

Nil prosunt artes. Erat immedicabile vulnus.
Ut si quis violas, riguove papaver in horto,
Liliaque infringat, fulvis hærentia [18] virgis;
Marcida demittant subito caput illa gravatum;
Nec se sustineant; spectentq; cacumine terram.
Sic vultus moriens jacet; & defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix; humeroque recumbit.
[19] Laberis, [20] Oebalide, primâ fraudate juventâ,
Phœbus ait: videoque tuum mea crimina vulnus.
Tu dolor es, facinusque meum, Mea dextera leto
Inscribenda tuo est. Ego sum tibi funeris auctor.
Quæ mea culpa tamen? nisi si lusisse, vocari
Culpa potest. Nisi culpa potest, & amâsse, vocari;
Atq; utinam pro te vitam, tecumve liceret
Reddere! sed quoniam fatali lege [21] tenemur,
Semper eris mecum, memorique hærebis in ore.
Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt:
Flosq; novus [22] scripto gemitus imitabere nostros.
Tempus & illud erit; quo se [23] fortissimus heros
Addat in hunc florem; folioq; legatur eodem.
Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbam,
Desinit esse cruor: Tyrioq; nitentior ostro
Flos oritur; formamq; capit, quam lilia: si non
Purpureus color huic, argenteus esset in illis.
Non satis hoc Phœbo est. Is enim fuit auctor honoris.
Ipse suos gemitus foliis inscribit: & [24] *ai ai*
Flos habet inscriptum: funestaque littera [25] ducta est.
Nec genuisse pudet [26] Sparten [27] Hyacinthon: honorque
Durat in hoc ævi: celebrandaque more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompâ.

18 [ita Statius Thebaïd. VII. de Rosis —--*informes ornat sua gloria virgas*. Virgæ liliorum rectè fulvæ dicuntur, cum infractæ fulvescant, virides cæteroquin. Heinsius.]

19 Moreris.

20 Hyacinthe, ex Oebalia, Laconiæ urbe.

21 [*Teneri legibus* formula Juris: ut in illo, *Patriæ teneor nec legibus ullis* apud Maronem. Neq; aliter Cicero passim, nec Livius, & cæteri ex optimis Scriptores: etiam Lucretius lib. II. *Sed ne forte putes animalia sola teneri Legibus his*. Heinsius.]

22 Literis: [Herba *Hyacinthus* dicta, habet foliis inscriptas literas *ai*: ita nempe discurrentibus venis (teste Plinio) ut Græcarum litterarum *Ai* figura legatur inscripta: Hinc Virgilio *inscripti nomina regum flores*, Hyacinthi dicuntur: Ajacis enim nomen innuit: neq; enim audiendus Servius, qui non Ajacis sed Hyacinthi nomen herbæ foliis inscriptum esse dicit, ac si *Hya*, non *Ai* essent literæ inscriptæ. Moschus Epicedio Bionis.

Νῦν, ὑάκινθε, λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἶ αἶ
Λάμβανε σοῖς πετάλοισι. Heinsius.]

25 Scripta est. Nam litteræ, dum scribuntur, duci proprie dicuntur. 26 Alio nomine Lacedæmon, maxima Peloponnesi urbs, Hic pro incolis. 27 Festa in honorem Hyacinthi pueri instituta.

Cypri incolæ in boves. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Amathus oppidum in insula Cypro, cujus incolæ, obtrita consuetudine humani generis, soliti in ara Jovis, quæ proxima erat Deæ, advenas immolare. Quorum crudelitate Venus offensa, ne relinquere sedes suas cogeretur, in boves eos vertit: qui à magnitudine cornuum Ceraſtæ apud Salaminios ſunt nominati.

AT ſi fortè roges fœcundam [1] Amathunta metalli,
An genuiſſe velit Propœtidas, [2] abnuat, æquè,
Atque illos, gemino quondam quibus aſpera cornu
Frons erat; unde etiam nomen traxêre Ceraſtæ.
Ante fores horum ſtabat Jovis [3] hoſpitis ara,
[4] Lugubris ſceleris: quam ſi quis ſanguine tinctam
Advena vidiſſet; mactatos crederet illîc
Lactentes vitulos, [5] Amathuſiacaſve bidentes.
Hoſpes erat cæſus. [6] Sacris offenſa nefandis,
Ipſa ſuas urbes, Ophiuſiaque arva parabat
Deſerere alma Venus. Sed quid loca grata, quid urbes
Peccavere meæ? quod crimen dixit, in illis?
Exſilio pœnam potiùs [7] gens impia pendat,
Vel nece; vel ſi quid medium mortiſque [8] fugæque.
Idque quid eſſe poteſt, niſi verſæ pœna figuræ?
Dum dubitat, quo mutet eos; ad [9] cornua vultum
Flexit: & admonita eſt hæc illis poſſe relinqui:
Grandiaque in torvos transformat membra juvencos.

1 Eſt Amathus Cypri urbs metallis abundans.
2 Nutu deneget, tam illas velle genuiſſe, quam eos Ceraſtas, qui in ara hoſpites immolando, maximo ſibi dedecori fuerunt.
3 Hoſpitalis, quòd hoſpitibus præſit. Unde Virg. *Jupiter, hoſpitibus nam te dare jura,* &c.
4 Luctuoſi ſceleris, quo hoſpites decepti necabantur.
5 Cyprias bidentes, *i. e.* oves. Nam & Cyprus *Amathuſia* fuit appellata.
6 Ordo eſt. Ipſa Venus alma, offenſa ſacris nefandis, parabat deſerere urbes ſuas, & arva Ophiuſia, *i. e.* Cypria. 7 Ceraſtarum. 8 Exſilii. 9 Certe Ceraſtæ dicti ſunt ἀπὸ τῶν κεράτων, à *cornibus.* Et ipſa Cyprus Ceraſtis dicta, quod habeat multa promontoria, tanquam κέρατα.

Propœtides in silicem. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Propœtides filiæ Amathunteæ, aspernatæ Venerem, primæ in trivio vulgavere corpora ob ejusdem Deæ iram: quia verò ad pudorem induruerant, novissime in lapidem sunt transfiguratæ.

1 Quamvis Cerastas in juvencos mutaverit Venus, Propœtides tamen ausæ sunt eam negare Deam esse.

SUnt [1] tamen obscœnæ Venerem Propœtides ausæ
Esse negare Deam: [2] pro quo suâ numinis irâ
Corpora cum formâ primæ [3] vulgâsse feruntur.
Utque pudor [4] cessit, [5] sanguisque induruit oris,
In rigidum parvo silicem [6] discrimine [7] versæ.

2 Propter quam rem. 3 Prostituisse. 4 Recessit. 5 Tam durus est factus, ut nihil erubescerent. 6 Parvâ differentiâ. Lapideæ enim statuæ videbantur Propœtidibus similes. 7 Mutatæ, sc. fuerant.

Pygmalionis statuæ in eburneam. *Fab.* VIII.

ARGUMENTUM.

Pygmalion offensus impudentia vulgari Propœtidum, statuit cælebs permanere: qui cùm signum virginale ex ebore fecisset, captus specie ejus in vecordem incidit amorem, & tota mente quæsivit à Dea, ut ei signo, cujus amore exarsisset, animam infunderet. Ut egressus templo domum pervenit, comperit voto se esse donatum conjugii. Itaque lætatus arte suâ, Paphum filium genuit, qui in insula Cypro oppidum sui nominis constituit.

1 Propœtidas.

[1]QUas quia Pygmalion ævum per crimen agentes
Viderat, offensus vitiis, quæ plurima menti
Fœmineæ Natura dedit, sine [2] conjuge cœlebs
Vivebat: thalamique diu consorte carebat.
Interea niveum mira feliciter arte
Sculpit [3] ebur; formamque dedit, [4] quâ fœmina nasci
Nulla potest: operisque sui concepit amorem.
Virginis est veræ facies; quam vivere credas:
Et,

2 Uxore.
3 Eburneum simulacrum.
4 Pulcherrimam fuisse illam statuam indicat, ut quæ ne à natura quidem posset superari.

Et, ſi non obſtet reverentia, velle moveri.
Ars [5] adeò latet arte ſuâ. [6] Miratur, & haurit
Pectore Pygmalion [7] ſimulati corporis ignes.
Sæpe manus operi tentantes admovet, an ſit
Corpus, an illud ebur: nec [8] ebur tamen eſſe fatetur.
Oſcula dat, reddique putat: loquiturque; tenetq;:
Et credit tactis digitos [9] inſidere membris:
Et [10] metuit, preſſos veniat ne livor in artus.
Et modò blanditias adhibet: modo grata puellis
Munera fert illi conchas, tereteſque lapillos,
Et parvas volucres, & flores mille colorum,
Liliaque, pictaſque pilas, & ab arbore lapſas
[11] Heliadum lacrymas. Ornat quoque veſtibus artus:
Dat digitis gemmas; dat longa monilia collo.
Aure leves [12] baccæ, redimicula pectore pendent.
Cuncta decent: nec nuda minùs formoſa videtur.
Collocat hanc ſtratis [13] conchâ Sidonide tinctis,
Appellatque tori ſociam: acclinataque colla
Mollibus in plumis, tanquam ſenſura, reponit.
Feſta dies Veneri, totâ celeberrima [14] Cypro
Venerat: & pandis inductæ [15] cornibus aurum
Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ;
Thuraque fumabant: cùm [16] munere functus ad aras
Conſtitit; & timidè, Si Dî dare cuncta poteſtis;
Sit conjux opto, non auſus, eburnea virgo,
Dicere Pygmalion, ſimilis mea, dixit, [17] eburneæ.
Senſit, ut ipſa ſuis aderat Venus [18] aurea feſtis,
Vota quid illa velint: & [19] amici numinis omen,
Flamma ter accenſa eſt; [20] apicemq; per aëra duxit.
Ut rediit; ſimulacra ſua petit ille puellæ:
Incumbenſque toro dedit oſcula. Viſa tepere eſt.
Admovet os iterum: manibus quoque pectora tentat.
Tentatum molleſcit ebur: poſitoque rigore
[21] Subſidit digitis, ceditque: Ut [22] Hymettia ſole
Cera remolleſcit, tractataque pollice multas
Flectitur in facies, ipſoque fit utilis uſu.
Dum ſtupet; & timidè gaudet fallique veretur;

5 Ut viva videretur, non ex ebore confecta.
6 Sc. *ſtatuam.*
7 In ſimilitudinem virginis facti.
8 Quamvis tangat ſtatuam, eburneamque eſſe ſentiat, ſibi tamen eburneam eſſe perſuadere non poteſt, adeò viva videbatur.
9 Inhærére, infigi, ſic ut membra digitis cederent.
10 Et timet, ne membra, manu preſſa, livorem & nigra quædam ſigna concipiant. Livor eſt illud ſignum ſubnigrum, quod in corpore percuſſo videri ſolet: cui quoniam invidorum color ſimilis eſt, livor pro invidia ſæpè ponitur.
11 Armillas ex electro, quod fluit, ut noſter narrat ſuprà Lib. 2. Fab. 3. è ſororibus Phaëthontis, in populos verſis.
12 Margaritæ. Vide ſuprà verſ. 116.
13 Sidon celeberrima urbs Phœniciæ, unde purpura præſtantiſſima è concha, ſeu murice.
14 Per totum Cyprum. Veneri enim dicata eſt Cyprus, inſula Ciliciæ, Syriæque objecta.

15 Auratis. 16 Sacrificio. 17 [Pes proceleuſmaticus, quales multi apud Noſtrum hinc inde, & apud Virgilium occurrunt.] 18 Pulcra. Homer, χρυσῆ Ἀφροδίτη. 19 Ordo eſt: Et flamma ter accenſa eſt, omen amici & propitii numinis. 20 Scintillam. 21 Sedit. 22 *Hymettus* Atticæ mons eſt, optimi mellis fertiliſſimus.

Rursus amans, rursusque manu sua vota retractat.
[23] Corpus erat: [24] saliunt tentatæ pollice venæ.
Tum verò [25] Paphius [26] plenissima concipit heros
Verba; quibus Veneri grates agat: [27] oraque tandem
Ore suo non falsa premit: dataque oscula virgo
Sensit; & erubuit: timidumque ad limina lumen
Attollens, pariter cum cœlo vidit amantem.
Conjugio, quod fecit, adest Dea. Jamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit: de [28] quo tenet insula nomen.

23 Sc. vivum.
24 Moventur.
25 Pygmalion. Est Paphus Cypri urbs.
26 Copiosissima, ornatissima.
27 Veram faciem.
28 Nam Cyprus dicta est etiam *Paphos*, à *Papho*, Pygmalionis filio.

Myrrha in arborem. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Myrrha Cinyræ & Cenchreidis filia, iracundia Veneris quod sibi mater ejus præferretur, patrem impio dilexit amore: nec viam potiendi inveniens, cogitur suspendium experiri. Cujus nutrix intra cubile gementis excepit vocem: & signis cognitis nefariæ mortis, dum diligentius scrutatur caussam poscit. Consolata ergo puellam, ei pollicetur, se effecturam, ut parenti sine ulla infamia jungatur: promissumque in opportunum tempus differt. At anus die sollenni Cereris, quo mater ejus operata à viro secubabat, alumnam noctu deducit ad Cinyram; prædicans formosissimam puellam (filiam tacens) forma ejus impulsam sibi se credidisse: qui data cupiditate lumen inferri jussit, ut speciem ejus notam haberet: cognitusque filiæ pater stuprator, coactus est pudore, ferro stricto eam insequi. Quæ duplici metu territa in insulam profugit: ibique misericordia ejusdem Deæ in arborem, quæ ejus nomen indicaret, mutata est.

EDitus [1] hac ille est: qui, si sine prole fuisset,
Inter felices Cinyras potuisset haberi.
Dira canam. Procul hinc natæ, procul este parentes.
[2] Aut, mea si vestras mulcebunt carmina mentes,
Desit in hac mihi parte fides; nec credite factum;
Vel, si credetis, facti quoque credite pœnam.
Si tamen admissum sinit hoc Natura videri

1 Papho.
2 Aut si mea carmina vos delectabunt, nolite credere ea fuisse ficta quæ hoc loco scribentur de Myrrha, Cinyræ filia.

Gen-

Gentibus [3] Ismariis, & [4] nostro gratulor orbi:
Gratulor huic terræ, quòd [5] abest regionibus illis,
Quæ tantum genuêre nefas. Sit dives [6] amomo,
Cinnamaque, [7] costumque suum, [8] sudataq; ligno
Thura ferat, floresque alios [9] Panchaïa tellus:
Dum ferat & Myrrham. [10] Tanti nova non fuit arbor.
Ipse negat nocuisse tibi sua tela Cupido,
Myrrha: facesque suas à crimine [11] vindicat isto.
Stipite te Stygio tumidisque adflavit Echidnis
E [12] tribus una soror. Scelus est odisse parentem:
Hic amor est odio majus scelus. Undique [13] lecti
Te cupiunt proceres; totoq; Oriente juventus
Ad [14] thalami certamen adest. Ex omnibus unum
Elige, Myrrha, tibi; dum ne sit in omnibus unus.
Illa quidem sentit; fœdoque repugnat amori:
Et secum, Quò mente feror? quid molior? inquit.
Dî precor, & Pietas, sacrataque jura parentum,
Hoc prohibete nefas: scelerique resistite tanto;
Si tamen hoc scelus est. Sed enim damnare negatur
Hanc Venerem pietas; coëuntq; animalia nullo
Cætera [15] dilectu, nec habetur turpe juvencæ
Ferre patrem tergo: fit equo sua filia conjux;
Quasque creavit, [16] init pecudes, caper: ipsaque cujus
Semine concepta est, ex illo concipit ales.
Felices, quibus ista licent! humana malignas
Cura dedit leges: & quod Natura [17] remittit,
[18] Invida jura [19] negant. [20] Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur; & pietas geminato crescit amore.
Me miseram, quòd non nasci mihi contigit illic,
Fortunâque loci lædor! Quid in ista revolvor?
Spes [21] interdictæ discedite. Dignus amari
[22] Ille, sed ut pater, est. Ergò si filia magni
Non essem Cinyræ; [23] Cinyræ concumbere possem.
Nunc [24] quia tam meus est, non est meus; ipsaque damno
Est mihi proximitas. Aliena potentior essem.
Ire libet procul hinc, patriosq; relinquere fines,

3 Thraciis. 4 Thraciæ. Nam Orpheus qui hæc canit, Thrax fuit. 5 Remota est. 6 Herbâ suavissimi odoris. 7 Fruticem grati odoris in Arabiâ nascentem. 8 Per sudorem quodammodo emissa. 9 Arabiæ pars fertilissima, totaque arenosa, quasi Πᾶν χαλικῶν. 10 Ut pater cum filiâ coire debuerit. 11 Liberat. 12 Una ex tribus Furiis, Tisiphone, Alecto, aut Megæra. 13 Electi principes. 14 Ad nuptias tuas certatum petendas advenit. 15 Myrrha [*Diligere* idem quod *Seligere*: hinc *militum dilectus*. Heinsius in suis codicibus invenit *delectu* quod eodem recidit.] 16 Cum pecudibus coit. 17 Permittit. 18 Quæ humano generi invidere videntur, ne iis, quæ à natura permittuntur, frui possit. 19 Prohibent. 20 Hi sunt Troglodytæ, variæque Æthiopum nationes, qui & uxores habent communes, & brutorum more vivunt.

21 Legibus prohibitæ. 22 Cinyras pater meus. 23 Cum Cinyrâ. 24 Quia pater est, non meus maritus esse potest.

Dum scelus effugiam. Retinet [25] malus error [26] amantem.
Ut præsens spectem Cinyram; tangamq; loquarq;
Osculaque admoveam, si [27] nil conceditur ultra.
Ultra autem sperare aliquid potes, impia virgo?
Nec, quòt confundas & jura & nomina, sentis?
Tune eris & matris pellex, & adultera patris?
Tune soror gnati? genitrixque vocabere fratris?
Nec metues [28] atro crinitas angue [29] sorores,
Quas facibus sævis oculos atque ora petentes
Noxia corda vident? At tu, dum corpore non es
Passa, nefas animo nè concipe: neve potentis
Concubitu vetito Naturæ pollue fœdus.
[30] Velle puta: res [31] ipsa vetat. Pius ille, memorq;
[32] Juris. Et O vellem [33] similis furor esset in illo!
Dixerat: At Cinyras, quem copia digna procorum,
Quid faciat, dubitare facit, scitatur ab ipsâ,
Nominibus [34] dictis, cujus velit esse mariti.
Illa silet primò: patriisque in vultibus hærens
Æstuat: & tepido suffundit lumina [35] rore.
Virginei Cinyras [36] hæc credens esse timoris,
Flere vetat; siccatque genas; atque oscula jungit.
Myrrha [37] datis nimium gaudet: [38] consultaque, qualem
Optet habere virum; Similem tibi, dixit. At ille
Non intellectam vocem collaudat; &, Esto
Tam pia semper, ait. Pietatis nomine dicto
[39] Demisit vultus, sceleris sibi conscia, virgo.
Noctis erat medium, curasque, & pectora somnus
Solverat. At virgo [40] Cinyreia pervigil igni
[41] Carpitur indomito; [42] furiosaque vota retractat.
Et modò desperat; modò vult tentare: pudetque,
Et cupit; &, quod agat, non invenit. [43] Utque securi
[44] Saucia [45] trabs ingens, ubi [46] plaga novissima restat,
[47] Quò cadat, in dubio est; omnique à parte timetur.
Sic animus [48] vario labefactus vulnere nutat

25 Turpis amor. [*Error* pro *Amore* Poëtis passim: ita Virgilius *Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.* Nam & furor & insania *amor* poëtis dictus, & *amantes* amentes, & malesani. Plato in Phædro quatuor species μανίας θείας statuit, fatidicam Apollinis inspirationem, Bacchi mysticam, Musarum afflatum. Τετάρτην δὲ Ἀφροδίτης ἐρωτικὴν μανίαν ἐφήσαμεν κρατίστην εἶναι. Noster. Amor. 1. Eleg. x. *Cum bene pertæsum est, animiq; resanuit Error.* & Eleg. 11. ad Cupidinem, *Blanditiæ Comites tibi erunt, Errorq; Furorque, Assiduè partes turba secuta tuas.* Heinsius.]
26 Sc. *me.*
27 Coïtum significat: i. si mihi cum eo concumbere non licet, quæ est ultima amoris linea.
28 Nigro.
29 Furias, de quibus sæpe.
30 Sc. *te.*
31 Rei turpitudo.
32 Legis, quæ liberos a parentum complexibus arcet.
33 Ut, quid jura velint, oblivisceretur.
34 Expositis procorum nominibus. 35 Lacrymis tepidis. 36 Sc. *signa.* 37 Sc. *osculis.* 38 Et interrogata. 39 Dejecit oculos in terram. 40 Myrrha Cinyræ filia. 41 Cruciatur amore, quem domare, i. vincere non poterat. 42 Et resumit, & animo revolvit furiosam cupiditatem cum patre coëundi. 43 Hac similitudine ostendit Poëta, quantâ in ambiguitate animus Myrrhæ versaretur. 44 Percussa securibus. 45 Ingens arbor. 46 Quando ultimus ictus restat. 47 In quam partem, anteriorem an posteriorem; dextram an sinistram. 48 Vario affectu

Huc levis, atque illùc ; momentaque ſumit [49] utroque.
Nec [50] modus, aut requies, niſi mors, reperitur amoris.
Mors placet. Erigitur : laqueoq; innectere fauces
[51] Deſtinât : &, zonâ ſummo de poſte revinctâ,
Care vale Cinyra, cauſſámque intellige mortis,
Dixit : & aptabat [52] pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Perveniſſe ferunt, limen [53] ſervantis alumnæ.
Surgit anus, [54] reſeratque fores : mortiſque paratæ
Inſtrumenta videns, ſpatio conclamat eodem,
Seque ferit, ſcinditque [55] ſinus, ereptaque collo
Vincula dilaniat, [56] tum denique flere vacavit ;
Tùm dare complexus, laqueique requirere cauſſam.
[57] Muta ſilet virgo, terramque immota [58] tuetur :
Et [59] deprenſa dolet tardæ conamina mortis.
Inſtat anus ; canoſque ſuos, & inania nudans
Ubera, per cunas alimentaque prima precatur,
Ut ſibi [60] committat, quicquid dolet. Illa rogantem
[61] Averſata, gemit. Certa eſt exquirere nutrix :
Nec [62] ſolam ſpondere fidem. Dic, inquit ; opemque
Me [63] ſine ferre tibi. Non eſt mea pigra ſenectus.
Seu [64] furor eſt ; habeo quæ carmine ſanet, & herbis.
Sive aliquis [65] nocuit ; magico [66] luſtrabere ritu.
Sive eſt ira Deûm, ſacris placabilis ira.
Quid rear ulteriùs ? Certè fortuna domuſq;
Soſpes [67] & in curſu eſt : vivunt genitrixque paterque.
Myrrha, patre audito, ſuſpiria duxit ab imo
Pectore. Nec nutrix etiamnum concipit ullum
Mente nefas : aliquemque tamen præſentit amorem.
Propoſitique tenax, quodcunq; ſit orat, ut ipſi
Indicet : & gremio lacrymantem tollit anili.
Atque ita complectens infirmis [68] Nata, lacertis,

49 Ita Comicus, *parvo momento mens mea huc illuc impellitur*.
50 Finis, terminus.
51 Deliberat.
52 Ipſa Myrrha pallens.
53 Cuſtodientis.
54 Et aperit.
55 Sc. *veſtium*. Id autem in magnis doloribus fieri conſuevit.
56 Poſtquam vincula dilaniavit, tùm tandem flendi tempus habuit nutrix.
57 Tanquam muta.
58 Aſpicit : quod indignantes facere ſolent.
59 Myrrha dolet conatus mortis à nutrice deprehenſos & intellectos fuiſſe.
60 Revelet.
61 Aſpernata cum quadam vultus averſione.
62 Nec ſolam fidem promittere, ſed etiam auxilium.
63 Permitte.
64 Inſanus amor.
65 Carminibus & incantationibus.
66 Purgaberis.
67 [Fortuna domûs tuæ adhuc ſalva eſt, & manebit : Angl. *it goes on still.* Locutio noſtro perquam familiaris. Pont. IV. Eleg. XI.
Dum dolor in curſu eſt, dum petit æger opem.
Remed. Amor.
Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori.
Faſt. IV. *In medio curſu tempora veris erunt.*]

68 [Natæ alumnæ à nutricibus appellabantur, & illa contra ab Alumnis matres : Sic nutrix Phedræ, apud Euripidem ipſam allocuta

Θάρσει τέκνον, καὶ μὴ χαλεπῶς
Μετάβαλλε δέμας.]

Sen.

Sensimus, inquit; Amas: Et in hoc mea (pone timorem)
Sedulitas erit apta tibi: nec sentiet unquam
Hoc pater. Exsiluit gremio [69] furibunda, torumque
Ore premens, Discede, precor; miseroque pudori
Parce, ait. [70] Instanti, Discede, aut desine dixit,
Quærere quid doleam. Scelus est, quod scire laboras.
Horret anus; tremulasq; manus annisq; metuque
Tendit: & ante pedes supplex procumbit alumnæ.
Et modo blanditur; modò, si non conscia fiat,
Terret: & indicium laquei, cœptæque [71] minatur
Mortis: & officium commisso [72] spondet amori.
Extulit illa caput, lacrymisque implevit obortis
Pectora nutricis: conataq; sæpe fateri,
Sæpe tenet vocem: pudibundaque vestibus ora
Texit: &, O, dixit, felicem conjuge matrem!
[73] Hactenus: & [74] gemuit. Gelidos nutricis in artus,
Ossaq; [75] (sensit enim) penetrat tremor: albaque toto
Vertice canities rigidis [76] stetit hirta capillis.
Multaque, ut [77] excuteret [78] diros, si posset, amores,
[79] Addidit. At virgo [80] scit se non falsa moneri,
Certa mori tamen est; si non potiatur amato.
Vive, ait hæc; potiere tuo; non ausa, parente.
Dicere, conticuit: promissaque [81] numine firmat.
Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea [82] velatæ corpora [83] veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum:
Perque novem noctes Venerem tactusque viriles
In [84] vetitis numerant. Turba [85] Cenchreis in illa
Regis abest conjux: arcanaq; sacra frequentat.
Ergo legitimâ vacuus dum conjuge lectus;
Nacta gravem vino Cinyram [87] male sedula nutrix,
Nomine mentito, veros exponit amores:
Et faciem laudat. [88] Quæsitis virginis annis,

69 Parenti similis.
70 Urgenti, scil. nutrici.
71 Minatur se indicaturam patri, quod se suspendere voluerit Myrrha.
72 Promittit auxilium.
73 Sc. *locuta est*.
74 Gemitum & suspirium emisit.
75 Cognovit enim nefandum Myrrhæ amorem.
76 Erecta est.
77 Expelleret, ex animo ejiceret.
78 Turpes.
79 Dixit.
80 Cognovit ea, quæ à nutrice dicuntur, esse vera.
81 Jure jurando.
82 Habentes corpora velata & tecta.
83 Candidâ veste, quali in sacris Cereris utebantur matronæ ad significandam animi puritatem.
84 Inter vetita ac legibus prohibita.
85 [De uxore Cinyræ multa apud Grammaticos lis; vetus auctor argumentorum in Metamorphoseis *Myrrham Cinyræ & Cenchreidis filiam* esse affirmat. ita Hyginus fabulâ lviii. Smyrnam Cinyræ Assyriorum Regis & Cenchreidis filiam vocat: Apollodorus autem Metharmen Pygmalionis Cypriorum Regis filiam ei uxorem assignat, ex quâ Adonin, pluresque liberos genuerit.] 86 Ita vocabantur. *Vetabo qui Cereris sacrum Vulgarit arcanæ.* Horat. Lib. 3. Od. 2.
87 Improbitati studens. 88 A Cinyra.

89 Pars,

[89] Pars, ait, eſt Myrrhæ. Quam poſtquam adducere juſſa eſt,
Utque domum rediit, Gaude mea dixit, alumna:
Vicimus. Infelix non toto corpore ſenſit
Lætitiam virgo; [90] præſagaq; pectora mœrent.
Sed tamen & gaudet. [91] Tanta eſt diſcordia mentis.
[92] Tempus erat quo cuncta ſilent; interque [93] Trionem
Flexerat obliquo plauſtrum temone [94] Boötes.
Ad facinus venit illa ſuum. Fugit [95] aurea cœlo
Luna: tegunt nigræ [96] latitantia ſidera nubes;
Nox caret igne [97] ſuo. Primos [98] tegis, Icare, vultus;
Erigoneque pio ſacrata parentis amore.
[99] Ter pedis offenſi ſigno eſt revocata: ter omen
[100] Funereus bubo letali carmine fecit.
It tamen: & Tenebræ minuunt, noxque atra pudorem.
Nutricíſque manum lævâ tenet; altera motu
[101] Cæcum iter explorat. Thalami jam limina tangit;
Jamque fores aperit; jam ducitur [102] intus: at illi
Poplite [103] ſucciduo genua intremuêre; fugitque
Et color, & ſanguis: animuſq; relinquit euntem,
Quoque ſuo propior ſceleri, magis horret, & auſi
Pœnitet; & vellet non cognita poſſe reverti.
Cunctantem [104] longæva manu deducit: & alto
Admotam lecto cùm traderet, Accipe, dixit;
Iſta tua eſt, Cinyra. [105] Devotaque corpora junxit.
Accipit obſcœno genitor ſua [106] viſcera lecto;
Virgineoſque metus levat; hortaturque timentem.
Forſitan ætatis quoque [107] nomine, Filia, dicat:
Dicat & illa, Pater; ſceleri nè [108] nomina deſint.
[109] Plena patris thalamis excedit: & impia diro
Semina fert utero; conceptaque crimina portat.
Poſtera nox facinus geminat. Nec finis in illâ eſt.
Cùm tandem Cinyras, avidus [110] cognoſcere amantem
Poſt tot concubitus, illato lumine vidit
Et ſcelus, & natam. Verbiſque dolore retentis,
Pendenti nitidum vagina [111] deripit enſem.

89 Æqualis, & tot annos, quot Myrrha, eſt nata.
90 Sc. *malorum*.
91 Ut ſimul gauderet, & mœreret Myrrha.
92 Intempeſtam ac mediam noctem deſcribit, quæ *quòd cuncta ſileant*, *conticinium* vocatur. Sic *Triſt.* Lib. 1. *Jamque quieſcebant voces hominumque, canumque, Lunaque nocturnos alta regebat equos.*
93 Stellas ad ſolum Arcticum, qui à numero *Septentriones* vocantur. [A bobus antiquitus ita appellatas. Boves enim *Teriones* dicti, & inde *Triones*, eo quod inter arandum terram vomere proſcindebant.]
94 Sidus eſt.
95 Pulcra & nitida.
96 Ne tantum ſcelus aſpicerent.
97 Propriis ſiderum luminibus.
98 Ne tantum ſcelus aſpiceres
99 Cum ad cubiculum patris duceretur, ter pedes offendit, quod eam à tanto ſcelere revocare videbatur. Ita propè I. Triſt. *Ter limen tetigi, ter ſum revocatus*, &c.
100 Funeſtus. Eſt autem avis peſſimi ominis.
101 Obſcurum. Morem exprimit in tenebris ambulantium. 102 Intrò. 103 Languido præ metu. 104 Nutrix vetula. 105 Deteſtata, exſecrata. 106 Suam filiam. Sic Lib. 5. verſ. 18. 107 Ratione ætatis. Nam Cinyras ſenex erat. 108 Sc. *pia & omni veneratione digna*. 109 Sc. *ſemine*, i.e. ex patre gravida facta. 110 Cupidus cognoſcendi. 111 Extrahit.

Myrrha fugit, tenebris & cæcæ munere noctis
[112] Intercepta neci: latosque vagata per agros,
Palmiferos Arabas, [113] Panchæaque rura relinquit.
[114] Perque novem erravit redeuntis cornua Lunæ;
Cum tandem terrâ requievit fessa [115] Sabæâ
Vixque uteri portabat onus. Tum [116] nescia voti,
Atque inter mortisque metus, & tædia vitæ,
Est [117] tales complexa preces: O si qua [118] patetis
Numina confessis; merui, nec triste recuso
Supplicium. Sed, ne violem vivosq; superstes,
Mortuaque exstinctos, [119] ambobus pellite regnis:
[120] Mutatæque mihi vitamque necemq; negate.
Numen confessis aliquod patet. Ultima certè
[121] Vota [122] suos habuêre Deos: nam crura loquentis
Terra supervênit; ruptosque obliqua per ungues
[123] Porrigitur radix longi firmamina trunci:
[124] Ossaque robur agunt: mediâq; manente medullâ
Sanguis it in succos; in magnos brachia ramos;
In parvos [125] digiti: [126] duratur cortice pellis.
Jamque [127] gravem crescens uterum perstrinxerat arbor;
Pectoraque [128] obruerat, collumque operire parabat;
Non [129] tulit illa moram: [130] venientiq; obvia ligno
[131] Subsedit: mersitque suos in cortice vultus.
Quæ, quanquam amisit veteres cum [133] corpore sensus,
Flet tamen: & tepidæ manant ex arbore guttæ:
Est [133] honor & lacrymis: [134] stillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nullique tacebitur ævo.

112 Erepta. 113 Arabica. Vide supra vers. 309. 114 Per novem menses. 115 *Sabæi* populi sunt Arabiæ felicis, apud quos thus myrrhaque abundè nascuntur. 116 Quid cuperet ignara. 117 Apprehendit tales preces. 118 Si exauditis confitentes sua crimina. 119 Et vivorum & mortuorum. 120 Transformatæ. Optat enim, ut in aliam transformetur figuram sic, ut neque vivat, neque moriatur. 121 Ultimæ preces. 122 Propitios. 123 Propagatur, protenditur. 124 Et ossa in lignum crassius mutantur. 125 Se *eunt*. 126 Pellis in durum corticem mutatur. 127 Gravidum. Nondum enim pepererat. 128 Texerat, operuerat. 129 Non potuit exspectare, ut cortex collum caputque operiret: sed crescenti cortici caput submittens occurrit, faciemque occultavit. 130 Succrescenti. 131 Submisit se. 132 Cum carne. 133 Pretium. 134 De Myrrha sic alibi:

Myrrha patrem, sed non ut filia debet, amavit:
Et nunc obducto cortice pressa latet.
Illius lacrymis, quas arbore fundit adorâ,
Ungimur, & Dominæ nomina gutta tenet.

Adonis

Adonis à Venere amatus. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Ex Myrrhæ & Cinyræ incesto concubitu, ob iram Veneris conceptus est infans, qui versa Myrrha in arborem sui nominis nascitur, Adonisque cognominatur: quem non minus Venus dilexit, quam puella patrem Cinyram dilexerat, beneficio Cupidinis.

AT [1] malè conceptus sub robore creverat [2] infans:
Quærebatq; viam; quo se, genitrice relicta,
[3] Exsereret: mediâ gravidus tumet arbore venter,
[4] Tendit onus matrem: nec habent sua verba dolores:
Nec Lucina potest parientis voce vocari
Nitenti tamen est similis; curvataque crebros
Dat gemitus arbor: lacrymisq; cadentibus humet.
Constitit ad ramos mitis Lucina dolentes:
Admovitque manus: & verba [5] puerpera dixit
Arbor agit [6] rimas; & fissa cortice vivum
Reddit [7] onus; vagitq; puer: quem mollibus herbis
Naides impositum, [8] lacrymis unxêre parentis:
Laudaret faciem [9] Livor quoque. Qualia namq;
Corpora nudorum tabula pinguntur [10] Amorum,
Talis erat. Sed nè faciat discrimina cultus,
Aut huic adde leves, aut illis deme pharêtras.
Labitur occultè, fallitque volatilis ætas:
Et nihil est annis velocius. Ille [11] sorore
Natus [12] avoque suo, qui conditus arbore nuper,
Nuper erat genitus; modò formosissimus infans;
Jam juvenis, jam vir, jam se formosior ipso est:
Jam placet & Veneri, matrisq; ulciscitur [13] ignes:
Namq; [14] pharetratus dum dat puer oscula matri,
[15] Inscius [16] exstanti [17] destrinxit arundine pectus.
Læsa manu natum Dea reppulit, [18] altius actum
Vulnus erat specie: primoque fefellerat ipsam.
Capta viri formâ non jam [19] Cythereïa curat
Littora; non alto repetit [20] Paphon æquore cinctam,

1 Scelerate.
2 Adonis.
3 Egereret.
4 Extendit ac distentam reddit.
5 Puerperio profutura vel quæ puerperæ dolores levarent.
6 Scinditur atque aperitur.
7 Puerum vivum.
8 Myrrha stillata è cortice; ut supra vers. 501.
9 Invidia. Eximia autem est maxime facies, quæ ab invidis quoque laudatur.
10 Cupidinum qui nudi cum Pharetris pinguntur.
11 Myrrha, cujus pater Cinyra.
12 Cinyra cujus filia Myrrha.
13 Amores furoresque Myrrhæ matris. Nam iratâ Venere, Myrrha patrem suum amaverat.
14 Cupido pharetrâ ornatus.

15 Invitus 16 Rasit, vulneravit leviter. 17 Extra pendenti sagittâ. 18 Altius quam videbatur. 19 Cythera est Ægei maris insula. Veneri sacra, unde ipsa Venus Cytherëa dicitur. 20 Vide quæ nos supra ad vers. 290. & 107.

Pisco-

Piſcoſamque [21] Cnidon, [22] gravidumve [23] Amathunta metalli.
Abſtinet & cœlo: *Cœlo præfertur Adonis.*
[24] Hunc tenet: huic comes eſt: aſſuetaq; ſemper in umbrâ
Indulgere ſibi, formamque augere colendo,
Per juga, per ſilvas, dumoſaq; ſaxa vagatur
Nuda genu, [25] veſtem ritu ſuccincta Dianæ;
Hortaturq; canes; [26] tutæq; animalia prædæ,
Aut [27] pronos lepores, aut [28] celſum in cornua cervum,
Aut agitat damas: A fortibus abſtinet apris.
Raptoreſq; lupos, armatoſq; unguibus urſos
Vitat & armenti ſaturatos cæde leones.
Tu quoque, ut hos timeas, (ſi quid prodeſſe monendo
Poſſit,) Adoni, monet. *Fortiſq; [29] fugacibus eſto,*
Inquit: in audaces non eſt audacia tuta.
[30] Parce meo, juvenis, temerarius [30] eſſe periclo:
Neve feras, quibus arma dedit Natura, laceſſe;
Stet tibi nè magno tua gloria. Non movet ætas,
Nec facies, [31] nec quæ Venerem movêre, leones,
Setigeroſque [32] ſues, oculoſq; [33] animoſque ferarum.
[34] Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri:
Impetus eſt fulvis & vaſta leonibus ira:
Inviſumq; mihi genus eſt. Quæ cauſſa, roganti;
Dicam, ait; & veteris monſtrum mirabere culpæ.
Sed labor inſolitus jam me laſſavit: & ecce
Opportuna ſua blanditur populus umbrâ:
Datq; torum ceſpes. Libet hac requieſcere tecum,
Et requievit, humo: preſſitq; & gramen, & [35] ipſum.
Inque ſinu juvenis poſita cervice renidens
Sic ait: ac mediis interſerit oſcula verbis.

21 Eſt hæc peninſula Cariæ, Veneri ſacra. 22 Abundantem. 23 Vide quæ nos ſupra ad verſ. 220. 24 Adonin. 25 Habens veſtem ſuccinctam, i. ſubtractam uſque ad genua. [Voſſius in Catullum, p. 221. hunc verſum legi monet *Nyſigenûmve ſtem ritu ſuccincta Dianæ*: num ferri poſſit hæc lectio, viderint alii: mihi ſane duriuſcula videtur emendatio: nam dum Venus Adonidi placere ſtudet, ſe potius Dianæ comitibus, venatricibus Nymphis, quam Mænadibus adjunxiſſe videtur.] 26 Ordo eſt. Et agitat animalia prædæ tutæ, (i. e. feras fugaces, quæ ſine magno periculo poſſint capi) aut lepores &c. 27 In fugam. 28 Eminentem cornibus. 29 Adverſus fugaces feras. 30 Noli eſſe. 31 Ætas, forma, pulcritudo, quibus ego moti ſum nihil feras movent. 32 Apros. 33 Iram & rabiem. 34 Sic enim omnia poterunt apri dentibus, ut fulmen illis ineſſe videatur. 35 Adonin: illum enim ſedêre coëgit.

Hippomenes

Hippomenes in leonem, & Atalanta in leænam. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Atalanta Schœnei filia, cùm de conjugio oracula sciscitata esset, monita est ut nulli jungeretur. Quia verò omnium virginum pernicissima erat, petentibus procis (formosissima enim erat) legem posuit, ne eos aspernari videretur, ejus conjugem futuram, qui se cursu pedum antecessisset. Quam cùm Hippomenes Megarei filius ex progenie Neptuni, intenso amore diligeret, nec morem certaminis expavesceret, (nam victi proci occidebantur) Venerem in malis habuit auxilio. Nam ex Damaso agro (qui est in insula Cypro) ei tria mala aurea donavit, ut in cursu projiceret virgini. Futurum enim ut eorum cupiditate ejus tardaretur impetus, ea dum peteret. Cujus monitu Hippomenes consecutus victoriam, postea ingratus adversus Deam cognitus est. Itaque impulsu ejusdem Deæ, matris Deûm lucum dum transgrediuntur, quem Echion terræ filius sacraverat, non tenuerunt cupiditatem: quin adversus religionem in sacrato concubuere solo. Quam ob causam à Dea in leones sunt conversi: unde Deûm matri ex illo leones sunt subjecti.

FOrsitan audieris [1] aliquam certamine cursus
Veloces superâsse viros. Non fabula [2] rumor
Ille fuit; superabat enim. Nec dicere possis
Laude pedum, formæne bono præstantior esset.
Scitanti [3] Deus huic de conjuge, Conjuge, dixit,
Nil opus est, Atalanta, tibi. Fuge conjugis usum.
Nec tamen effugies [4] teque ipsa viva carebis.
Territa [5] sorte Dei per opacas [6] innuba sylvas
Vivit: & instantem turbam violenta [7] procorum
[8] Conditione fugat: Nec sum [9] potiunda, nisi, inquit,
Victa prius cursu. [10] Pedibus contendite mecum.

1 Quandam.
2 Ille rumor non fuit falsus.
3 Apollo.
4 Tuâ formâ adhuc viva privaberis. Nam in læænam fuit mutata.
5 Oraculo, responso Apollinis.
6 Innupta virgo.
7 Juvenum ipsam uxorem petentium.
8 Duram illis proponendo conditionem à petendis nuptiis suis deterret.
9 Habenda.
10 Cursu mecum certate.

[11] Præmia veloci conjux thalamique dabuntur;
Mors pretium tardis: ea lex certaminis esto.
Illa quidem [12] immitis: sed (tanta potentia formæ est)
Venit ad hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes cursus spectator iniqui:
Et, Petitur cuiquam per tanta pericula conjux?
Dixerat: ac nimios juvenum damnârat amores.
Ut faciem, & [13] posito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, si fœmina fias;
Obstupuit: tollensq; manus, Ignoscite, dixit,
Quos modò [14] culpavi: nondum mihi præmia nota,
Quæ peteretis, erant. Laudando [15] concipit ignem:
Et, [16] nè quis juvenum currat velociùs, optat,
[17] Invidiâque timet. Sed cur certaminis hujus
Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit:
[18] *Audentes Deus ipse juvat.* Dum talia secum
Exigit Hippomenes; [19] passu volat alite virgo.
Quæ quanquam Scythicâ non segniùs ire sagittâ
[20] Aönio visa est juveni; tamen ille [21] decorem
Miratur magis & cursus facit ipse decorem.
Aura [22] refert oblata citis [23] talaria plantis:
Tergaquè jactantur crines per eburnea, quæque
Poplitibus suberant picto [24] genualia limbo:
Inque puellari corpus candore ruborem
Traxerat. Haud aliter, quàm cùm super atria velum
Candida purpureum simulatas inficit umbras.
Dum notat hæc [27] hospes; [28] decursa novissima meta est:
Et tegitur festâ victrix Atalanta coronâ.
Dant gemitum victi; [29] penduntque ex [30] fœdere pœnas:
Non tamen eventu juvenum deterritus horum
Constitit in medio; vultuque in virgine fixo,
Quid facilem [31] titulum superando quæris inertes?
Mecum confer, ait. Seu me fortuna potentem
Fecerit; à [32] tanto non indignabere vinci:
Namque mihi genitor Megareus, Onchestius illi;
Est Neptunus avus; pronepos ego regis aquarum:
[33] Nec virtus citra genus est. Seu vincar, habebis
Hippomene victo magnum & memorabile nomen.
Talia dicentem [34] molli [35] Schœneia vultu

11 Qui me vicerit cursu, ei ultro ac libens cedam in matrimonium.
12 Crudelis.
13 Depositâ veste.
14 Accusavi, damnavi.
15 In amorem incidit.
16 Amore enim Atalantæ captus Hippomenes timebat, ne quis ante se victor evaderet.
17 Et Hippomenes timet, & simul aliis invidet, ne quis velocius currendo Atalanta potiatur.
18 *Audentes fortuna juvat*, Virg. Ter. *Fortes fortuna adjuvat.*
19 Cursu veloci.
20 Aönia pars est Bœotiæ. Hinc *juvenis Aönius*, pro *Hippomene* Bœotico.
21 Pulcritudinis.
22 [Reducit tunicam talarem.]
23 Alata calceamenta, πέδιλα.
24 Periscelides.
25 Mutat umbras, easq; purpureo colore tingit, radii enim solares per corpus diaphanum colore aliquo prius imbutum transeuntes, illo ipso colore tinguntur, & omnia corpora ab eis illuminata inficiunt.
27 Hippomenes.
28 Ad ultimam metam discursum est. 29 Persolvunt, dant. 30 Lege, conditione 31 Gloriam facile partam. 32 Tam generoso. 33 A virtute majorum non degenero. 34 Miti ac mansueto. 35 Atalanta Schœnei regis filia.

Aspicit

Aspicit: & dubitat, Superari, an vincere malit.
[36] Atque ità; Quis Deus hunc formosis, inquit, iniquus
[37] Pendere vult? caræque jubet [38] discrimine vitæ
Conjugium petere hoc? [39] Non sum me judice tanti.
[40] Nec formâ tangar. Poteram tamen hac quoque tangi.
[41] Sed quòd adhuc puer est; non me movet ipse, sed ætas.
Quid, quòd inest virtus, & mens [42] interrita leti?
[43] Quid, quòd [44] ab æquorea numeratur origine quartus?
Quid, quod amat, tantique putat connubia nostra,
Ut percat; si me Fors illi dura negarit?
[45] Dum licet, hospes, abi; thalamosque relinque cruentos.
Conjugium crudele meum est: Tibi nubere [46] nulla
Nolet: & optari potes a sapiente puella.
Cur tamen est mihi cura tui, tot jam antè peremtis?
[47] Viderit: intereat: quoniam tot cæde procorum
Admonitus non est; agiturque in tædia vitæ.
Occidet hic igitur, voluit quia vivere mecum?
Indignamque necem pretium patiatur amoris?
[48] Non erit invidiæ victoria nostra ferendæ.
Sed non culpa mea est. Utinam desistere velles!
Aut, quoniam es demens, utinam velocior esses!
At quàm [49] virgineus puerili vultus in ore est!
Ah, miser Hippomene, nollem tibi visa fuissem!
Vivere dignus eras. Quòd si felicior essem;
Nec mihi conjugium fata [50] importuna negarent;
Unus eras, [51] cum quo sociare cubilia possem
Dixerat: utque [52] rudis, primoque [53] Cupidine [54] tacta,
Quid facit ignorans, amat, & non sentit amorem.
Jam solitos poscunt cursus populusque paterque;
Cùm me sollicita [55] proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes. Cytherea comprecor, ausis
Adsit, ait, nostris; &, quos [56] dedit, adjuvet [57] ignes.
Detulit [58] aura preces ad me non invida blandas:

36 Sc. secum ait. Est enim hæc sequens affectuum lucta & deliberatio, non vocis coram admonitio.
37 [Impendere, discrimini objicere. Sumtum à lancis examine unde *pendere tributum, vectigal pœnam* & similia. Ita noster lib. VIII. de Scylla Nisi *Altera jamdudum succensa Cupidine tanto Pendere gauderet, quodcunque obstaret amori.* Ita enim optimus codex, non *Perdere*. Heins.]
38 Periculo.
39 Ut tam formosus juvenis debeat perire.
40 Nec pulcritudine moveor.
41 Sc. *tangor*, i. moveor.
42 Quæ nullo mortis timore terretur.
43 Anaphora.
44 A Neptuno æquoris, i. maris Deo.
45 Dum potes, recede, ó Peregrine. Apostrophe ad Hippomenen.
46 Omnis virgo tibi nubere cupiet.
47 Sc. *Hippomenes ipse*.
48 Invidia victoriam nostram perferre non poterit.
49 Virgini conveniens.
50 Difficilia, quæ exorari non possunt.
51 Cui nubere vellem.

52 Imperita amoris. 53 Amore. 54 Percussa. 55 Hippomenes Neptuni pronepos. 56 Mihi injecit. 57 Amores. 58 Velisque benignior & Hippomeni favens.

Motaque sum, fateor. 59 Nec opis mora longa dabatur.
60 Est ager, indigenæ 61 Tamasenum nomine dicunt;
Telluris Cypriæ pars optima: quem mihi prisci
Sacravêre senes: templisque accedere dotem
Hanc jussere meis. Medio viret arbor in arvo
62 Fulva comam, fulvo ramis crepitantibus auro.
63 Hinc tria forte meâ veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu: nullique videnda, nisi ipsi,
Hippomenen adii; docuique, 64 quis usus in illis.
Signa tubæ dederant; cùm 65 carcere pronus uterq;
66 Emicat, & summam celeri pede 67 libat arenam.
68 Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canæ 69 stantes percurrere aristas.
Adjiciunt animos juveni clamorque favorque;
Verbaque dicentum. Nunc, nunc 70 incumbere tempus,
Hippomene: propera. Nunc viribus utere totis.
Pelle moram: Vinces. Dubium 71 Megareïus heros
Gaudeat, an 72 virgo magis his Schœneïa dictis.
73 O quoties, cùm jam posset transire, morata est;
Spectatosque diu vultus invita reliquit!
74 Aridus e lasso veniebat anhelitus ore:
75 Metaque erat longe. Tum denique de tribus unum
76 Fœtibus arboreis proles 77 Neptunia misit.
Obstupuit virgo; nitidique cupidine pomi
Declinat cursus; 78 aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes. Resonant spectacula 79 plausu.
Illa moram celeri, 80 cessataque tempora 81 cursu
82 Corrigit: atque iterum juvenem post terga relinquit.
Et rursus pomi jactu 83 remorata secundi,
Consequitur, transitque virum. Pars ultima cursûs
Restabat: Nunc, inquit, 84 ades 85 Dea muneris auctor:
Inque latus campi, quò tardius illa rediret,
Jecit ab obliquo nitidum 86 juveniliter aurum.

59 Nec longa auxilii mora mihi concedebatur, cum ipsum oporteret illicò inire cursum.
60 Describit agrum nomine *Tamasenum*, unde Venus tria aurea poma, quæ Hippomeni tradidit, se sumsisse ait.
61 [Potius *Tamaseum*, id est Ταμασεῖον: Ταμασὸς πόλις Κύπρου. τὸ ἐθνικὸν Ταμασίτης, καὶ Ταμασεῖος Stephano Heinsius.]
62 Fulvas & aureas frondes habens. Aurea enim mala ferebat.
63 Illinc, ex agro Tamaseo,
64 Quæ utilitas.
65 Carceribus, i. circo, ex quo equi emittebantur ad cursum.
66 Exsilit.
67 Leviter tangit.
68 Hyperbole Poëtica, quâ summâ Hippomenis Atalantæque velocitas declaratur.
69 Erectas aristas. *Aristæ* ab *arendo* sunt dictæ, quòd primæ in spicis arescant.
70 Incumbendi.
71 Hippomenes. Vide suprà vers. 605. *Namque mihi Megareus pater est*, &c. 72 Atalanta Schœnei filia. 73 Hinc quoque colligit Venus, Atalantam Hippomenis amore fuisse captam. 74 Siccus ac difficilis. Quod significat Hippomenen lassum fuisse. 75 Ad quam currentes pervenire debebant. 76 Pomis. 77 Hippomenes, Neptuni pronepos. Vide vers. 606. 78 Aureum pomum. 79 Eorum, qui Hippomeni favebant. 80 Quibus Atalanta à cursu instituto cessaverat. 81 Velocitate cursus. 82 Resarcit, reparat. 83 Retenta, retardata. 84 Auxilio sis. 85 Venus quæ mihi hoc dedisti munus. 86 Fortiter; ut juvenem decebat; quo innuit Hippomenen longe pomum jecisse.

An peteret, virgo visa est dubitare: [87] coëgi
Tollere; & adjeci sublato pondera malo:
[88] Impediique oneris pariter gravitate moràque.
Neve meus sermo cursu sit tardior illo,
Præterita est virgo: [89] duxit sua præmia victor.
Dignane, cui grates ageret, [90] cui thuris honorem
Ferret, Adoni, fui? Nec grates [91] immemor egit:
Nec mihi thura dedit. Subitam convertor in iram:
[92] Contemtique dolens, [93] nè sim spernenda futuris,
Exemplo caveo: meque ipsam exhortor [94] in ambos.
Templa Deûm matri, quæ quondam clarus [95] Echion
Fecerat ex voto nemorosis abdita silvis
Transibant: & iter longum requiescere suasit.
Illic concubitus intempestiva cupido
Occupat Hippomenen, à [96] numine [97] concita nostro.
Luminis exigui fuerat prope templa [98] recessus,
Speluncæ similis, nativo pumice tectus;
Religione sacer priscâ: quò multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra Deorum,
Hunc [99] init; & vetito [100] temerat sacraria [101] probro.
[102] Sacra retorserunt oculos: [103] turritaq; Mater,
An Stygiâ [104] fontes, dubitavit, [105] mergeret undâ.
Pœna levis visa est. Ergò [106] modò lævia [107] fulvæ
Colla jubæ velant: digiti curvantur in ungues:
Ex humeris armi fiunt: [108] in pectora totum
Pondus abit: summæ cauda [109] verruntur arenæ.
[110] Iram vultus habet: pro verbis murmura reddunt:
Pro thalamis celebrant silvas; aliisque timendi
Dente premunt domito [111] Cybeleia fræna leones.
Hos [112] tu, care mihi, cumque his genus omne ferarum,
[113] Quæ non terga fugæ, [114] sed pugnæ pectora præbent,
Effuge: nè virtus tua sit damnosa [115] duobus.

87 Numine meo.
88 Sc. cursum.
89 Hippomenes victor duxit Atalantam uxorem.
90 Cui sacrificaret thure.
91 Ingratus.
92 Me esse contemtam ægrè ferens.
93 Ne contemnar à posteris.
94 Contrà ambos, Hippomenen & Atalantam.
95 Unus ex Cadmi sociis.
96 Instinctu numinis mei.
97 Commota, stimulata.
98 Locus secessui aptus.
99 Ingreditur, intrat.
100 Violat.
101 Coïtu.
102 Simulacra Deorum.
103 Cybele, Deorum mater, dicta *Turrigera*, vel *Turrita*, quod, ut Poëta noster alibi inquit, *primis turres urbibus illa dedit*, atque idcirco corona è turribus cincta depingitur.
104 Nocentes, Hippomenen atque Atalantam.
105 Ad inferos demitteret.
106 Paulo antè mollia, ac sine ullis pilis.
107 Hinc leonum præcipua colligitur generositas.
108 Leones enim pectus reliquo corpore crassius habent. 109 Trahuntur. 110 Facies leonum præ se fert iram: Trucem enim habent aspectum. 111 Nam Cybeles, matris Deorum, currum à leonibus trahi fingunt Poëtæ. 112 Mi Adoni. 113 Quod non fugit. 114 Sed repugnat, ac resistit. 115 Et mihi & tibi.

Adonis in Anemonen, & Minthe Nympha in Mentham herbam.
Fab. XII. & XIII.

ARGUMENTUM.

Adonis supradictus, monitus à Venere quam vim feræ haberent, non obtemperavit. Igitur in venatione ab apro interimitur: cujus cruor ejusdem Deæ numine in florem purpurei coloris conversus est. Sic & olim Minthe Nympha in herbam mentham Proserpinæ Cereris filiæ odio mutata est, quòd cum Dite patre conjuge suo concubuisset.

[1] ILla quidem monuit; [2] junctisque per aera cygnis
Carpit iter: [3] sed stat monitis contraria virtus.
Fortè [4] suem latebris vestigia certa secuti
[5] Excivêre canes; silvisque exire parantem
Fixerat obliquo [6] juvenis Cinyreius ictu.
Protinus excussit [7] pando venabula rostro,
Sanguine tincta suo: trepidumque, & [8] tuta petentem
[9] Trux aper insequitur: totosque sub inguine dentes
[10] Abdidit; & fulva [11] moribundum stravit arenâ.
Vecta levi currû, medias Cytherêa per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis.
Agnovit longè gemitum morientis: & albas
Flexit aves illuc. Utque æthere vidit ab alto
Semanimem, inque suo jactantem sanguine corpus;
Desiluit: pariterque sinus, pariterque capillos
[12] Rupit; & [13] indignis percussit pectora palmis.
Questaque cum fatis, At non tamen omnia vestri
Juris erunt, inquit: Luctus [14] monumenta manebunt
Semper, Adoni, mei: repetitaque mortis imago
[15] Annua plangoris peraget simulamina nostri.
At cruor in florem mutabitur. [16] An tibi quondam
Fœmineos artus in olentes vertere menthas,
Persephone, licuit? nobis Cinyreius heros
Invidiæ mutatus erit? Sic fata, cruorem

1 Venus.
2 Currus Veneris ab oloribus trahi fingitur.
3 Sed fortitudo Adonidis Veneris admonitionibus est adversa.
4 Aprum.
5 Excitarunt.
6 Adonis Cinyræ filius ex Myrrha.
7 Recurvo.
8 Sc. *loca*.
9 Terribilis.
10 Abscondit.
11 Morientem.
12 Dilaniavit, laceravit.
13 Indigno. Nomen pro adverbio.
14 Signa; Est autem Apostrophe ad Adonim.
15 Simulacra. Nam singulis quibusque annis *Adonia*, i. sacra in Adonis honorem celebrabantur, in quibus Adonis plangebatur, ac luctus Veneris referebatur.
16 Minthe Nympha fuit, quæ in herbam mentham, Proserpinæ, Cereris filiæ, odio mutata est, quòd cum Plutone marito suo concubuisset.

Nectare

Nectare odorato spargit: qui tactus ab illo
Intumuit; sic ut pluvio [17] pellucida cœlo
Surgere bulla solet. Nec [18] plenâ longior horâ
Facta mora est; cùm flos è sanguine [19] concolor ortus.
Qualem, quæ lento celant sub cortice granum,
[20] Punica ferre solent: Brevis est tamen usus in illo.
Namque malè hærentem, & nimia levitate caducum
Excutiunt îdem, qui [21] præstant nomina venti.

17 Translucida, quæ ex aqua nasci solet, statimque evanescere.
18 Perfectâ horâ.
19 Ejusdem cum sanguine coloris, qui est purpureus.
20 Se. *mala.*
21 Anemone enim flos dictus, ἀπὸ τῶ ἀνέμου: ac si vocatus esset *flos venti.*

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER XI.

Orpheus à Bacchis diſcerptus, & ſerpens in lapidem.

Fab. I.

ARGUMENTUM.

Orpheus Oeagri fluminis & Calliopes Muſæ filius, cùm habuiſſet conjugem nomine Eurydicen, & cùm ſine ea ab inferis, lege accepta à Plutone, ad ſuperos rediiſſet, ne talem dolorem in altera experiretur, puerilem amorem primus inſtituit. Quam ob cauſam Threſſæ mulieres inſtinctæ, in abditis locis ſolitudinem agentem, propter deſiderium conjugis, interfecerunt: ſeparatumque caput ejus à reliquo corpore cum lyra in amnem Hebrum præcipitaverunt: per quem in mare delatum, & hinc in inſulam Lesbum, cùm hic hæſiſſet in littore, ſerpenſque morſu ſanguinem lamberet, priuſquam vultum ejus appeteret, ab Apolline, Jovis & Latonæ filio, duratus in lapidem eſt.

1 Orpheus Thracius.

CArmine dum tali ſilvas, animoſque ferarum,
1 Threïcius vates, & ſaxa ſequentia ducit

Ecce

Ecce [2] Nurus Ciconum tectæ [3] lymphata [4] ferinis
Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
Orphea percussis sociantem carmina nervis.
E quibus una, levem jactato crine per auram,
En, ait, En hic est nostri contemtor: & [5] hastam
Vatis [6] Apollinei [7] vocalia misit in ora.
Quæ foliis [8] præsuta [9] notam sine vulnere fecit.
Alterius telum lapis est: qui missus in ipso
Aëre [10] concentu victus vocisque lyræque est;
Ac veluti [11] supplex pro tam furialibus ausis,
[12] Ante pedes jacuit, sed enim temeraria crescunt
[13] Bella: modusque abiit: [14] insanaque regnat [15] Erinnys:
Cunctaque tela forent cantu [16] mollita; sed ingens
Clamor, & inflato [17] Berecynthia tibia cornu,
Tympanaq; plaususq; & [18] Bacchêi ululatus
[19] Obstrepuêre sono citharæ. Tum denique saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.
Ac primùm [20] attonitas etiamnum voce canentis
Innumeras volucres, anguesq; agmenq; ferarum,
[21] Mænades Orphêi [22] titulum rapuêre [23] theatri:
Indè cruentatis vertuntur in Orphea dextris:
Et [24] coëunt, ut aves; si quando luce vagantem
[25] Noctis avem cernunt: [26] structoq; utrimque theatro
Ceu [27] matutinâ cervus periturus arenâ,
Præda canum est: vatemq; [28] petunt, & fronde virenti
Conjiciunt thyrsos, non hæc [29] in munera factos.
Hæ glebas, illæ dereptos arbore ramos,
Pars [30] torquent silices. Neu desint tela furori;
Fortè boves presso [31] subigebant vomere terram:
Nec procul hinc multo [32] fructum sudore parantes
Dura [33] lacertosi fodiebant arva coloni.
[34] Agmine qui viso fugiunt, operisque relinquunt
[35] Arma sui: vacuosque jacent dispersa per agros
[36] Sarculaque, [37] rastrique graves, longique [38] ligones.

2 Bacchantes Thraciæ. De Ciconibus vide supra Lib. 10. vers. 2.
3 Furentia.
4 Ferarum pellibus.
5 Thyrsum involutum pampinis, &c.
6 Orphei.
7 Optimam vocem emittentia.
8 Præfixa tecta.
9 Signum.
10 Harmoniâ.
11 Tanquam veniam petiturus
12 Orphei.
13 Furores.
14 Ab effectu, quòd furia homines insanos furiososque reddat.
15 Discordiæ Dea.
16 Mitigata sic, ut Orpheo nunquam nocêre potuissent.
17 Quali in Berecyntho Phrygiæ monte utebantur in sacris Cybeles, Matris Deorum.
18 De Bacchanalibus diximus supra ad Fab. 7. Lib. 3. in quibus Bacchantes gerentes thyrsos & pampinis hederaque coronatæ per sylvas, montes, & nemora furibundæ saltabant; dissono clamore, ululatu, tibiarum & cymbalorum cantu omnia replebant. Ita & hic. 19 Contra citharæ sonum strepuerunt. 20 Stupefactas suavitate cantus Orphei. 21 Bacchæ, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, i. à furendo, dictæ. 22 Gloriam. 23 Spectaculi ab Orpheo congregati. 24 Congregantur, conveniunt. 25 Noctuam. 26 Sensus est, non aliter ac cervus dilaceratur à canibus in Amphitheatro Rom. in quo edebantur depugnantium bestiarum matutina spectacula. 27 Matutino tempore in arena. 28 Aggrediuntur, invadunt. 29 Ad hos usus. 30 Jaciunt. 31 Arabant. 32 Frumentum. 33 Magna & valida brachia habentes. 34 Baccharum furentium. 35 Instrumenta. 36 Crates dentatas, quibus segetes herbis purgantur. 37 Instrumenta dentata. glebis confringendis idonea. 38 Instrumenta rustica ad exstirpandas herbarum radices accommodata.

Quæ

Quæ postquam rapuêre [39] feræ, cornuque minaci
[40] Divellêre boves; ad vatis [41] fata recurrunt:
Tendentemque manus, atque illo tempore primùm
[42] Irrita dicentem, nec quicquam voce moventem,
Sacrilegæ perimunt: perque os (prô Jupiter!) illud
Auditum saxis, intellectumque ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
[43] Te mœstæ volucres, Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidi silices, tua carmina sæpe secutæ
Fleverunt silvæ: positis te frondibus arbos
Tonsa comam luxit: lacrymis quoq; flumina dicunt
Increvisse suis: [44] obscuraque carbasa [45] pullo
Naïdes & Dryades, passosq; habuêre capillos.
Membra jacent diversa locis. Caput, [46] Hebre, lyramq;
Excipis; & (mirum) medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra, [47] flebile lingua
Murmurat exanimis: [48] respondent flebile ripæ.
Jamque mare invectæ [49] flumen populare relinquunt;
Et [50] Methymnææ [51] potiuntur littore Lesbi:
Hic ferus expositum peregrinis anguis arenis
Os petit & sparsos stillanti rore capillos.
Tandem Phœbus adest; morsusque inferre parantem
Arcet; & in lapidem rictus serpentis apertos
Congelat; & patulos (ut erant) indurat hiatus.
Umbra [52] subit terras: &, quæ loca viderat antè,
Cuncta recognoscit. Quærensque per arva piorum
Invenit Eurydicen, cupidisque amplectitur ulnis.
[53] Hîc modo conjunctis [54] spatiantur passibus ambo:
Nunc præcedentem sequitur, nunc prævius anteit:
[55] Eurydicenque suam jam tutò respicit Orpheus.

39 Crudeles, furantes.
40 Dilaceravêre.
41 Orphei exitium.
42 Ille, qui mox sylvas, animosque ferarum, immò saxa sequentia traxerat, tunc primum dixit verba nil proficientia.
43 Apostrophe ad Orpheum querimoniæ ac commiserationis plena.
44 Pullas ac nigras vestes.
45 Pullo, i. nigro colore: quo utebantur in luctu.
46 Thraciæ fluvius.
47 Anaphora.
48 Resonant.
49 Fluvium patrium. *Hebrus* enim Thraciæ fluvius est.
50 *Methymna* urbs est Lesbinis, optimo vino insignis.
51 Sic Virg. 1. Æn. *Egressi optatâ potiuntur Troës, arenâ.*
52 Inferos petit.
53 Illic apud inferos.
54 Obambulant.
55 Quam antea respiciens amiserat. Vide Lib. 10. versi 57.

Thraciæ

Thraciæ mulieres in arbores.
Fab. II.

ARGUMENTUM.

Thraciæ matronæ, quæ cædi interfuerant Orphei, à Libero ulciſcente æmulum ſcientiæ ſuæ, in arbores varias abierunt.

[1] NON impunè tamen ſcelus hoc ſinit eſſe [2] Lyæus:
Amiſſoque dolens [3] ſacrorum vate ſuorum,
Protinus in ſilvis [4] matres [5] Edonidas [6] omnes,
Quæ fecere nefas, torta radice ligavit.
Quippe pedum digitos, in quantum quæque ſecuta eſt,
[7] Traxit: & in ſolidum [8] detruſit acumine terram.
Utq; ſuum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
Crus ubi commiſit volucris, ſenſitque teneri;
[9] Plangitur; ac [10] trepidans adſtringit vincula motu:
Sic, ut quæque ſolo defixa cohæſerat harum,
[11] Exſternata fugam fruſtra tentabat, at illam
[12] Lenta tenet radix, exſultantemq; [13] coërcet.
Dumque ubi ſint digiti, dum pes ubi quærit, & ungues,
Aſpicit in teretes lignum [14] ſuccedere ſuras.
Et conata femur [15] mœrenti plangere dextrâ;
Robora percuſſit. Pectus quoque robora fiunt:
Robora ſunt humeri; porrectaque brachia veros
Eſſe putes ramos; & [16] non fallare putando.

1 Thraciæ mulieres, quæ Orphei cædi interfuerunt, omnes à Baccho, cædem Orphei ægrè ferente, in arbores fuerunt mutatæ.
2 Bacchus. Cur autem ſic dictus ſit, vide ſuprà Lib. 4. verſ. 11.
3 Nam Orpheus in Bacchum pulcherrimos ſcripſerat hymnos.
4 Mulieres.
5 Thracias, ita dictas ab Edono Thraciæ monte.
6 Et quæ fecerunt, & quæ viderunt nefas.
7 Extendit, atque in radices arborum mutavit.
8 Fixit.
9 Jactat alas, & à ſe ipſa percutitur.
10 Quantò enim magis trepidant, tantò magis vinculo aſtringuntur aves.
15 Conſternata, perterrefacta.
12 Flexibilis.
13 Continet exultare volentem.
14 Succreſcere.
15 Ipſa mœrens, i. triſtis.
16 Reverà enim rami erant.

Midas

Midas & aurea Pactoli arena. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Liber pater Thracia digressus cùm Tmolum montem Ciliciæ, comitatus Bacchis, peteret, Silenus ei aufugit: quem Phryges captum ad Midam regem adduxerunt. Agnitus ab eo, exceptus est, & Libero advenienti redditus. Quod ob beneficium, optandi Deus veniam ei dedit, si quid vellet, à se peteret. Ille, ut quæque contigisset, aurum fierent. Quod ei inutile fuit. Cui Deus petenti ut restitueretur, jussit ut ad flumen Pactolum perveniret, ibique se lavaret, & sic rediret in pristinum statum. Vis autem illa aurum efficiendi à Mida in fluvium transiit. Unde aureas arenas habere memoratur.

NEC satis hoc Baccho est. [1] Ipsos quoque deserit agros:
Cumq; [2] choro meliore, [3] sui vineta [4] Tymoli,
[5] Pactolonque petit: quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.
Hunc assueta cohors Satyri, Bacchæque [6] frequentant:
At [7] Silenus abest: titubantem annisq; meróq;
Ruricolæ cepere Phryges: vinctumq; coronis
Ad regem duxêre [9] Midan: cui Thracius Orpheus
[10] Orgia [11] tradiderat cum [12] Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnovit socium comitemque sacrorum,
Hospitis adventu festum [13] genialiter egit
Per bis quinq; dies, & junctas ordine noctes.
Et jam stellarum sublime [14] coëgerat agmen
[15] Lucifer undecimus, [16] Lydos cùm lætus in agros
[17] Rex venit; & [18] juveni Silenum reddit alumno.
[19] Huic [20] Deus optanti gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium, gaudens [21] altore recepto.

1 Thraciæ. 2 Clientum, & Bacchantum, quam quæ Orpheum discerpserant. 3 A se amati. 4 Est Tmolus Lydiæ mons, de quo vide supra, Lib. 6. vers. 15. 5 Fluvium Lydiæ, aureis arenis abundantem. 6 Celebrant. 7 Quis Silenus sit diximus supra Lib 4. vers. 25. 8 Vacillantem. 9 Gordiæ bubulci filium, Phrygiæ regem ditissimum, ideoque fictus est omnia, quæcunque tangeret, in aurum transmutare. 10 Bacchi sacrificia. 11 Quem docuerat. 12 Atheniensi. 13 Voluptuose ac lætè. 14 Congregaverat. Significat autem undecimum diem advenisse. 15 *Lucifer* stella est, quæ adveniente die ultima desinit lucêre, ideòque a Poëtis alias stellas congregare dicitur. 16 In Lydiam. 17 Midas. 18 Baccho. 19 Midæ. 18 Baccho. 19 Midæ. 20 Bacchus. 21 Sileno nutriore.

Ille

[22] Ille [23] malè uſurus donis, ait, Effice, quicquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis: nocituraq; munera [24] ſolvit
Liber; & indoluit, quòd non meliora petîſſet.
Lætus abit; gaudetq; malo [25] Berecynthius heros:
Pollicitamq; [26] fidem tangendo ſingula [27] tentat.
Vixque ſibi credens, [28] non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam: virga aurea facta eſt:
Tollit humo ſaxum: ſaxum quoque palluit auro:
Contigit & glebam: contactu gleba potenti
Maſſa fit. Arentes [29] Cereris decerpſit ariſtas:
Aurea meſſis erat. Demtum tenet arbore pomum:
[30] Heſperidas donâſſe putes. Si poſtibus altis
Admovit digitos; poſtes [31] radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis [32] Danaën eludere poſſet.
[33] Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens
Omnia. Gaudenti menſas [34] poſuêre miniſtri
Exſtructas dapibus, nec toſtæ frugis egentes.
Tum vero, ſive ille ſuâ Cerealia dextrâ
[35] Munera contigerat; Ceralia dona [36] rigebant.
Sive dapes avido [37] convellere dente parabat,
Lamina fulva dapes admoto dente nitebant.
Miſcuerat puris [38] auctorem muneris undis,
[39] Fuſile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, [40] diveſque, [41] miſerque
Effugere optat opes: &, quæ [42] modò voverat, odit.
Copia nulla famem relevat: ſitis arida guttur
Urit, & inviſo [43] meritus [44] torquetur ab auro.
Ad cœlumq; manus, & ſplendida brachia tollens,
[45] Da veniam, [46] Lenæe pater; peccavimus, inquit:
Sed miſerere, precor, [47] ſpecioſoq; eripe damno.
[48] Mite Deûm numen Bacchus peccâſſe fatentem
[49] Reſtituit, pactamque fidem [50] data munera [51] ſolvit.
Neve malè optato maneas circumlitus auro,
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus [52] amnem;
Perque jugum montis labentibus obvius undis
Carpe viam; donec venias ad fluminis ortus.
Spumiferoque tuum fonti, qua plurimis exit,
Subde caput: corpuſque ſimul, ſimul elue crimen.
Rex juſſæ ſuccedit aquæ. Vis aurea tinxit

22 Midas.
23 In ſuum malum & perniciem: parum enim abfuit quin fame periret Midas.
24 Perſolvit, præſtitit.
25 Midas rex Phrygiæ, in qua Berecynthus mons.
26 Veritatem promiſſam.
27 Experitur.
28 Humili.
29 Frumenti. Metonymia.
30 Nam Heſperides hortos habuiſſe dicuntur, in quibus arbores aurea poma ferentes.
31 Fulgere.
32 Erat inſtar aurei imbris, in quem Jupiter verſus Danäen eluſit.
33 Nam maxima quæque ſibi pollicebatur Midas.
34 Appoſuêre.
35 Panes.
36 Panes duri fiebant. Nam in aurum convertebantur.
37 Mandere.
38 Bacchum. Metonymice pro Vino.
39 Liquidum, ac fuſum, & liquefactum.
40 Quia auro abundabat.
41 Quia auro frui non poterat.
42 Voto paulò ante concupiverat.
43 Quia propter avaritiam illud à Baccho petierat.
44 Cruciatur.
45 Ignoſce.
46 Bacche: ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, i. à torculari.
47 Quod pulchrum & bonum videtur: cùm alioqui damnum ſit grave.
48 Mitis Bacchus.
49 In priſtinum ſtatum reduxit.
50 Ob fidem, quam præ ſe tulerat, Silenum reſtituendo: ſive, quod aliis placet, eadem fide, qua dederat.
51 Reſolvit, & irrita fecit.
52 Intelligit Pactolum Lydiæ fluvium ex Tmolo monte Sardes opp. præterfluentem.

Flumen,

Flumen, & humano de corpore 53 cessit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venæ
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.

53 Transivit. Causam naturalem Poëta fabulæ accommodat, ut solet: est enim Pactolus fluvius aureas vehens arenas, quales multi alii dicuntur.

Midæ aures in asininas. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Pan cùm Tmolum montem Lydiæ frequentans fistula se oblectaret, elatus gloria agrestium Nympharum, Apollinem in certamen devocavit. Indice ergo Tmolo, qui montis illius Deus erat, cùm Apollini victoria esset adjudicata, Midæ regi supradicto, qui auri efficiendi potestate amissa, opes perosus in silvis habitans, Pana pastorum Deum colens sequebatur, assidenti sola displicuit. Quam ob causam Apollo, ob eamque stultitiam quam & supra gesserat in Liberi patris voluntate, iratus, aures ejus asininæ ut essent sempiterno effecit, quibus ejus stoliditas appareret, nulliusque esset judicii indicaretur.

[1]Ille [2] perosus opes, silvas & rura colebat,
[3] Panaq; montanis habitantem semper in antris
[4] Pingue sed ingenium mansit: nocituraque, [5] ut ante,
Rursus erant domino stolidæ præcordia mentis.
[6] Nam freta prospiciens latè riget arduus alto
Tmolus in adscensu, clivoque extentus utroque
Sardibus hinc, illinc parvis finitur [7] Hypæpis.
Pan ibi dum teneris jactat sua carmina Nymphis,
Et leve [8] ceratâ modulatur arundine carmen;
Ausus Apollineos præ se contemnere cantus,
Judice sub [9] Tmolo certamen venit ad impar.
Monte suo senior judex consedit; [10] & aures
Liberat arboribus. Quercu coma cærula tantùm
Cingitur; & pendent circum cava tempora glandes.
Isque [11] Deum pecoris spectans, In judice, dixit,
Nulla mora est. Calamis agrestibus insonat ille:
Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)
Carmine [12] delinit. Post hunc [13] sacer ora retorsit

1 Midas.
2 Odio habens opes, quibus pene fame fuerat confectus.
3 Pastorum numen, sed è plebe Deus.
4 Tardum, stupidum.
5 Quando optavit, ut quicquid contingeret aurum fieret.
6 Tmoli montis descriptio.
7 *Hypæpa* urbs est Lydiæ.
8 Cerâ junctâ.
9 Sicuti fluviis, ac fontibus, ita & montibus sua numina tribuunt Poëtæ.
10 Et arbores ab auribus removet.
11 Pana.
12 Demulsit Midæ aures. 13 Legendum hic puto. *Post hunc sacer ora retorsit Tmolus ad os Phœbi*, ut sit sensus *Tmolus sacer convertit se, audito Pane, ore & vultu ad canentem Phœbum*. Non, ut alii. *Post hunc sacer ora resolvit, Tmolus*, &c.

Tmolus ad os Phœbi: vultum sua silva secuta est.
Ille caput flavum lauro [14] Parnaside [15] vinctus,
[16] Verrit humum, [17] Tyrio saturata murice [18] pallâ:
[19] Instructamq; lyram gemmis & [20] dentibus Indis
Sustinet à læva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis status ipse fuit. Tum [21] stamina docto
Pollice [22] sollicitat: quorum dulcedine captus
Pana jubet Tmolus citharæ submittere [23] cannas.
Judicium sanctique placet sententia montis
Omnibus. [24] Arguitur tamen, atque injusta vocatur
Unius sermone Midæ. Nec [25] Delius aures
Humanam [26] stolidas patitur retinere figuram;
Sed [27] trahit in spatium, villisque albentibus implet;
[28] Instabilesque imo facit, & [29] dat posse moveri.
Cætera sunt hominis. Partem damnatur in unam:
Induiturque aures [30] lente gradientis aselli.

14 Parnasiâ, quâ Parnasus abundat.
15 Habens flavum caput coronatum.
16 Innuit pallam Apollinis syrma habuisse, quod per terram traheretur.
17 Tyriâ purpurâ.
18 Veste mulieri syrma habente quâ & citharædi utuntur.
19 Ornatam.
20 Ebore.
21 Chordas.
22 Tangit, percutit.
23 Tibiam ex cannis confectam.
24 Reprehenditur.

25 Apollo. 26 Aures omni carentes judicio. 27 Protrahit, producit, ac longas efficit. 28 Mobiles, quales sunt asininæ. 29 Et concedit facultatem seipsas movendi. 30 Tardè euntis.

Cannæ vocales. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Midas deformitatem quidem suam celare volebat; sed eam vidit famulus tonsor. Qui cùm eam nec eloqui auderet, nec reticere posset; humum effodit, in eaque immurmurat Midam asini aures habere. Foveam deinde replet. Ibi cnatæ sunt arundines, quæ vento agitatæ, Midæ deformitatem indicarunt, verba inibi à famulo immurmurata referentes.

[1] ILle quidem celat, turpique onerata pudore
Tempora purpureis tentat [2] velare [3] tiaris.
Sed, solitus longos [4] ferro resecare capillos,
Viderat hoc famulus. Qui cùm nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens [5] efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit; humumque
Effodit: &, domini quales conspexerit aures,
[6] Voce refert parvâ; terræque immurmurat [7] haustæ.
Indiciumque suæ vocis tellure [8] regestâ

1 Midas.
2 Celare occultare.
3 Tegminibus capitis regum Orientis.
4 Forcipe. Metonymia.
5 Vulgare.
6 Murmure.
7 Effossæ.
8 Rejectâ.

Obruit ; & scrobibus tacitus discedit 9 opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cœpit : &, ut primùm pleno maturuit anno,
10 Prodidit agricolam. Leni nam motus ab Austro
11 Obruta verba refert ; 12 dominique coarguit aures.

9 Repletâ foveâ.
10 Indicavit eum, qui illam effoderat terram.
11 Quæ talia erant : *Midas rex asini aures habet.*
12 Et Midæ regis aures convincit esse asininas.

Apollo & Neptunus auxiliares Laömedonti in Troja condenda. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Inter Sigæum Rhœteumque promontoria, quo loco ara Jovis Panomphæi Phrygibus est consecrata, Laömedon Capys filius cùm glium poneret, Apollo & Neptunus in homines versi, operas suas æstimati ad exstruendum murum addixerunt. Quibus perfectis, pactum aurum Laömedon negavit. Neptunus perfidia regis offensus in agros ejus mare misit, omnesque fructus obruit. Supra quam pænam coëgit eum Hesionem filiam marinæ prostituere belluæ. Qua liberata ab Hercule, rursus in fraude cognitus : equos enim quos ob salutem virginis pactus erat, ei abnegavit. Ideoque ille expugnato Ilio Hesionem abreptam Telamoni, qui socius militiæ fuerat, copulavit.

[1] ULtus abit Tmolo; liquidumque per aëra vectus
Angustum citrà pontum [2] Nepheleïdos Helles
Laomedonteis 3 Latoïus adstitit 4 arvis.
5 Dextera Sigei, Rhœtæi læva profundi
Ara [6] Panomphæo vetus est sacrata Tonanti.
Indè novæ primùm moliri mœnia Trojœ
Laömedonta videt : 7 susceptaq; magna labore
Crescere difficili ; nec opes exposcere parvas :
Cumque [8] Tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam ; Phrygioque 9 tyranno
Ædificant muros, pacto pro mœnibus auro.

1 Ordo est. Latoïus ultus (sc. judicium Midæ) abit Tmolo, & vectus per aëra liquidum, &c.
2 Nepheles filiæ. *Helle* fuit Athamantis & Nepheles filia ac soror Phryxi, à qua, in mari submersâ, *Hellespontus* fuit cognominatus.
3 Apollo Latonæ filius.
4 Trojanis.
5 Ara sacrata Jovi Panomphæo, sita est inter duo Trojæ promontoria, à dextra Sigeum, à sinistra Rhœtæum. 6 Jovi ita dicto, quod omnium vocibus colatur, ex πᾶν & ὀμφὴ, vel, quod omnium voces audiat. 7 Inceptà grandio. 8 Neptuno.
9 Laomedonti :

[10] Stabat opus: pretium [11] rex [12] inficiatur; & addit
Perfidiæ cumulum falſis perjuria verbis.
Non impunè feres,[13] rector maris inquit: & omnes
Inclinavit aquas ad avaræ littora Trojæ.
Inque freti formam terras convertit; opeſq;
Abſtulit agricolis; & fluctibus obruit arva.
Pœna neque hæc ſatis eſt: Regis quoque filia [14] monſtro
Poſcitur æquoreo. Quam dura ad ſaxa revinctam
[15] Vindicat Alcides: promiſſaque mnnera [16] dictos
Poſcit equos: tantique operis mercede negatâ,
[17] Bis perjura capit ſuperatæ mœnia Trojæ.
Nec pars militiæ [18] Telamon ſine honore receſſit:
Heſioneque data potitur. Nam conjuge [19] Peleus
Clarus erat [20] Diva, nec [21] avi magis ille ſuperbit
Nomine, quam [22] ſoceri, [23] ſiquidem Jovis eſſe nepoti
Contigit haud uni: [24] conjux Dea contigit uni.

10 Erectum erat.
11 Laomedon.
12 Negat. Nam *inficiari* & *inficias ire* eſt negare.
13 Neptunus.
14 Ceto.
15 Liberat.
16 Pactos, promiſſos. Pactus autem erat Hercules equos è ſemine Solis equorum progenitos.
17 Nam bis Laomedon juſjurandum violavit: primum policitus ſolvere mercedem Neptuno & Apollini pro ædificatis Trojæ mœnibus: deinde Herculi, pro liberata & recepta Heſione. Unde Horatius *domum perjuram* dixit. Sic Neptunus etiam apud Virg. 5. Æn. *Perjuram Trojam* appellavit: *Cuperem cùm vertere ab imo Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.* 18 Æaci filius, qui ex Heſione, Laomedontis filia, Teucrum genuit. 19 Frater Telamonis, Æaci filius, nepos Jovis, ſolus ex hominibus Deam uxorem ducere meruit. 20 Thetide, ex qua Peleus Achillem genuit. 21 Jovis. 22 Nerei. Nam Thetis Nerei filia fuit. 23 Nam multis contigit eſſe Jovis nepotibus. 24 Uxor Dea ſoli Peleo obvenit. [Neſcio an hoc verè dictum ſit: niſi Venus, Anchiſi pellex tantum ſit dicenda, eó quod Martis erat conjux]

Thetis in varias ſiguras. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Proteus cùm Thetidi prædixiſſet, ſi vellet jugalis fieri, quod filium parente ſuo fortiorem procrearet; Jupiter, quamvis incenſus pulcritudine Nymphæ, id ſibi ne accideret, concubitum ejus refugit, & in ſucceſſionem conjugii Peleum nepotem dedit: quem illa refugiens, modo in volucrem, modo in arborem, interdum in tigrim conversa cùm eluderet; Peleus Neptunum oravit, ut opem ſibi ferret: qui cum Proteo preces ejus commendaret; ille emergens è mari, Peleo mandavit, ut quieſcenti Thetidi meridiano calore inſidiaretur, eamque vinculis illigaret, & quamvis in mille figuras converteretur, ne dimitteret, donec in priſtinam rediiſſet formam. Sicque illa potitus, Achilleſque Græcorum fortiſſimus natus eſt.

NAmque senex, Thetidi Proteus, Dea, dixerat, undæ,
Concipe: mater eris [1] juveni, qui fortibus actis
[2] Acta patris vincet; majorque vocabitur illo.
Ergò nè quicquam mundus Jove majus haberet,
[3] Quamvis [4] haud tepidos sub pectore senserat ignes
Jupiter, æquoreæ Thetidis connubia vitat:
In suaque [5] Æaciden succedere vota nepotem
Jussit; & amplexus in [6] virginis ire marinæ.
Est sinus [7] Hæmoniæ curvos [8] falcatus in arcus:
[9] Brachia [10] procurrunt. Ubi, si foret altior unda,
Portus erat: summis inductum est æquor arenis.
Littus habet solidum, quòd nec vestigia [11] servet;
Nec [12] remoretur iter; nec opertum [13] pendeat algâ.
[14] Myrtea silva subest bicoloribus [15] obsita baccis.
Est specus in medio; natura factus, an arte,
Ambiguum; magis arte tamen; quò sæpe venire
Frænato Delphine sedens, [16] Theti nuda solebas.
Illîc te Peleus, ut somno vincta jacebas,
[18] Occupat: &, quoniam precibus tentata repugnas;
Vim parat, innectens ambobus colla lacertis.
Quòd nisi venisses variatis sæpe figuris
[19] Ad solitas artes; [20] auso foret ille potitus.
Sed modò tu volucris; (volucrem tamen ille tenebat)
Nunc gravis arbor eras: hærebat in arbore Peleus.
Tertia forma fuit maculosæ tigridis: illâ
Territus Æacides à corpore brachia solvit.
Isque Deos pelagi, [21] vino super æquora fuso,
Et pecoris fibris, & fumo thuris adorat.
Donec [22] Carpathius medio de gurgite vates,
Æacide, dixit [23] thalamis potiêre petitis.
Tu modò, cùm gelido sopita quiescet in antro,
Ignaram laqueis vincloque [24] innecte tenaci.
Nec te decipiat [25] centum mentita figuras:
Sed [26] preme quicquid erit: dum, quod fuit antè, [27] reformet.
Dixerat hæc Proteus: & condidit æquore vultum,

2 Achilli.
3 Patri Pelei.
4 Quanquam Thetidis amore Jupiter teneretur.
5 Vehementes amores.
6 Peleum Æaci filium Jovi nepotem, ut supra, vers. 218. Natus autem erat Æacus Jovi Ægina, vel Europa, ut alii volunt.
7 Thetidis.
8 Thessaliæ. Describit autem specum, in quo Thetys fessa requiescere solebat.
9 In similitudinem falcis figuratur.
10 Eminentia promontoria.
11 In mare protenduntur.
12 Custodiat.
13 Retardet.
14 Suspensum.
15 Sylva myrtis consita illi adjacet finui.
16 Consita.
17 Apostrophe ad Thetyn.
18 Invadit.
19 Ad consuetas tibi transformationes.
20 Re tentata, & concubitu appetito.
21 Ritu Deos marinos invocantium.
22 Proteus, qui in Carpathio habitat mari, à *Carpatho* insula dicto.
23 Nuptiis optatis.
24 Connecte, colliga. 25 Mutata in centum falsas figuras. Numerus finitus pro infinito. 26 Comprime, ac retine. 27 Dum in suam veram formam redeat.

Admisitque

Admiſitque [28] ſuos in verba noviſſima fluctus.
Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat [cto
[29] Heſperium [30] temone fretum: cùm pulcra reli-
[31] Nereïs ingreditur [32] conſueta cubilia [33] ponto.
Vix bene virgineos Peleus invaſerat artus;
Illa novat formas: [34] donec ſua membra teneri
Sentit: & in partes diverſas brachia tendit.
Tum demum ingemuit: Neque, ait, ſine [35] numine vincis:
[36] Exhibita eſtque Thetis. Confeſſam amplectitur heros,
Et potitur votis; [37] ingentique implet Achille.

[28] In marinas undas.
[29] Curru. Pars pro toto. Currus autem Solis, cùm tendit ad occaſum, deſcendere videtur.
[31] Thetis Nerei filia.
[32] Solitam ſpeluncam.
[33] Mari.
[34] Donec ſe ligatam eſſe animadvertit.
[35] Auxilio numinis alicujus & Dei.

[36] Et in figuram Thetidis eſt mutata. [37] Semine, ex quo magnus Achilles eſt natus.

Chione ab Apolline & Mercurio compreſſa, & Dædalion in accipitrem. *Fab.* VIII.

ARGUMENTUM.

Peleus fratre Phoco interemto profugus, Trachina ad Ceyca Luciferi filium venit, ſuſceptuſque ab eo mœrente, cauſſam mœroris ab ipſo audivit. Huic Ceyci namque frater erat Dædalion, habens filiam Chionem ſpecioſiſſimam: quæ cùm ab Apolline & Mercurio amaretur, à Mercurio per quietem compreſſa eſt: item ab Apolline in anum verſo. Horum altero Autolycum furaciſſimum, qui ex albis nigra, & ex nigris alba fecit, procreatum ferunt: ex Apolline verò Philammona ſtudioſiſſimum citharæ. Hæc etiam gloriata eſt, quòd cùm talibus concubuiſſet Deis: Dianæque ſe pulcritudini prætulit. Itaque Dea confeſtim, ut debuit, procacem ejus linguam ſagitta trajecit: atque ex eo vulnere eſt ſubito interemta. Qua calamitate Dædalion affectus, cùm ſe eodem rogo vellet conſumi, neque eum proximi paterentur, furiiſque inſtinctus montem Parnaſum petiiſſet & ſe præcipitaſſet, antequam radicem montis contingeret, ab Apolline in volucrem accipitrem eſt converſus.

FElix & nato, felix & conjuge Peleus;
Et cui, ſi demas jugulati crimina [1] Phoci,

[1] Fratris ab eo occiſi.
[2] Ad felicitatem facientia.

[2] Omnia

[2] Omnia contigerant. Fraterno sanguine sontem,
Expulsumque domo patriâ Trachinia [3] tellus
Accipit. Hîc regnum sine vi, sine cæde tenebat
Lucifero genitore [4] satus, patriumque nitorem
Ore ferens Cëyx; illo qui tempore mœstus,
[5] Dissimilisque sui, [6] fratrem lugebat ademtum.
Quò postquam [7] Æacides fessus curâque viâq;
Venit; & intravit paucis comitantibus urbem;
Quosque greges pecorum, quæ secum armenta trahebat,
Haud procul à muris sub opacâ valle reliquit.
Copia cùm facta est adeundi prima [8] tyranni,
[9] Velamenta manu prætendens supplice, qui sit,
Quoque satus memorat. Tantùm [10] sua crimina celat.
[11] Mentitusque fugæ caussam petit urbe vel agro,
Se juvet. [12] Hunc contrà placido [13] Trachinius ore
Talibus alloquitur: [14] Mediæ quoque commoda plebi
Nostra [15] patent, Peleu; nec [16] inhospita regna tenemus.
Adjicis [17] huic animo momenta potentia, clarum
Nomen, avumque Jovem. Nec tempora perde precando.
Quod petis, omne [18] feres. Tuaque hæc pro parte videto,
Qualiacunque vides. Utinam [19] meliora videres!
Et flebat. Moveat quæ tantos caussa dolores,
Peleusque comitesque rogant. Quibus ille profatur.
Forsitan hanc volucrem, rapto quæ vivit, & omnes
Terret aves, semper pennas habuisse putetis.
[Vir fuit: [20] & tanta est animi constantia, quantum]
Acer erat, belloq; ferox, ad vimque paratus,
Nomine Dædalion; [21] illo genitore creatus,
Qui vocat Auroram, cœloque [22] novissimus exit.
Culta mihi pax est; pacis mihi cura [23] tenendæ
Conjugiique fuit: fratri fera bella placebant,
[Illius virtus reges, gentesque subegit:

2 Ad felicitatem facientia.
3 Thessaliæ regio. Vide infra vers. 627.
4 Cëyx Phosphori, i. Luciferi, fuit filius, & maritus Halcyones.
5 Nam præ se quandam hilaritatem antea ferre consueverat, quæ tunc in tristitiam fuerat mutata.
6 Dædalionem in accipitrem mutatum.
7 Peleus, Æaci filius.
8 Regis Cëycis.
9 Ramum olivæ, qui ab externis pacem adferentibus gestabatur. Virg. 8. Æn. *Tum pater Æneas puppi sic fatur ab altâ, Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.* Et 11. Æn. *Jamque oratores aderant ex urbe Latinâ, Velati ramis oleæ, veniamque rogantes,* &c.
10 Phoci fratris cædem.
11 Veram dissimulat & falsam fugæ caussam refert.
12 Peleum.
13 Cëyx rex Trachinis vel Trachinidis.
14 Infimæ.
15 Parata sunt. Hac autem oratione Cëyx se in omnes benignissimum esse ostendit. 16 Inhospitalia. 17 [Ita noster Pont. IV. Eleg. XIII.

Quanta potes præbe nostræ momenta saluti.]

18 Habebis, accipies. 19 Feliciora. 20 [Et hunc versum, & sequentes versus uncis infra inclusos, tollendos esse censet, *Heinsius.*] 21 Creatus illi mecum communi genitori Lucifero, qui Auroram præcedere solet. 22 Ultimus. Ita fere de Lucifero loquentem Poëtam vide Lib. 2. vers. 5. 23 Conservandæ.

Quæ

Quæ nunc [24] Thisbêas [25] agitat mutata columbas.]
Nata erat huic [26] Chione: quæ dotatissima formâ
Mille procis placuit, bis septem nubilis annis.
Fortè revertentes Phœbus, [27] Majâque creatus,
[28] Ille suis [29] Delphis, [30] hic [31] vertice Cyllenæo,
Vidêre [32] hanc pariter, pariter [33] traxêre calorem.
Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo;
Non [34] tulit [35] ille moras, virgâque [36] movente soporem
[37] Virginis os tangit. Tactu jacet illa potenti:
Vimque [38] Dei patitur. Nox cœlum sparserat astris;
[39] Phœbus anum simulat; præceptaque gaudia sumit.
Ut sua maturus complevit tempora venter;
[40] Alipedis de stirpe Dei [41] versuta propago
Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne:
Qui facere assuêrat, [42] patriæ non degener artis,
[43] *Candida de nigris, & de candentibus atra.*
Nascitur è Phœbo (namque est enixa gemellos)
Carmine vocali clarus, citharaque Philammon.
Quid peperisse duos, & Dîs placuisse duobus;
Et forti genitore, & [44] progenitore Tonanti
Esse satam prodest? *An obest quoque gloria multis?*
Obfuit huic certè. Quæ se præferre Dianæ
Sustinuit; faciemque Deæ culpavit. At [45] illi
Ira ferox mota est: [46] Factisque placebimus, inquit.
Nec mora; [47] curvavit cornu: nervoque sagittam
Impulit; & meritam trajecit [48] arundine linguam.
Lingua tacet: nec vox [49] tentataque verba [50] sequuntur:
Conantemque loqui cum sanguine vita reliquit.
Quem (misera ô Pietas!) ego tum patruoque [51] dolorem
Corde tuli, fratrique pio solatia dixi.
Quæ pater haud aliter, quam cautes murmura Ponti,
Accipit: & natam [52] delamentatur ademtam.

24 Synecdochice hic intellige Columbas Thisbæas pro quibusvis columbis. Est vero Thisbæ oppidum Bœotiæ, columbis frequens.
25 Vexat, persequitur. Accipitres enim maximè columbas infestam.
26 Quæ fortasse hoc nomen accepit à nive, græcè χιών.
27 Mercurius.
28 Phœbus.
29 Sc. *revertens.*
30 Mercurius.
31 Cyllene, Arcadiæ monte, ubi Mercurius ipse natus esse fingitur. Sæpius supra.
32 Chionem.
33 Una ambo cœperunt amare.
34 Passus est.
35 Mercurius.
36 Inducente somnum, i. e. caduceo, de quo diximus Lib. 1. vers. 671.
37 Chiones.
38 Mercurii.
39 Dii, Deæque, cùm aliquem aliquamve decipere volebant, vel ne agnoscerentur, se in anum mutabant: ut hic, & alibi: *Pallas anum simulat falsosque in temporo canos Addit.* Et infrà: *Innitens baculo, positis per tempora canis Assimulavit anum.* Virg. *Alecto torvam faciem, & furialia membra Exuit: in vultus sese transformat aniles: Et frontem obscœnam rugis arat: induit albos Cum vittâ crines.* 40 Mercurii, talaria alata in pedibus, gestantis. 41 Astuta, callida, quæ nigrum in candida vertere sciat. 42 Κακᾶ κόρακος κακὸν ᾠόν. Similis Mercurio, ejus patri. Horat. *Callidum quidquid placuit jocoso Condere furto.* 43 Hoc de astutis dici solet. 44 Avo Jove, qui Luciferi pater est. 45 Dianæ. 46 Est hic Sarcasmus, ac si Diana irata diceret ironice: si non forma certé, facto placebo. 47 Flexit arcum ex cornu confectum Metonymia. 48 Sagitta ex arundine & calamo factâ. 49 Quæ Chione emittere conata est. 50 Sc. *linguam.* 51 [*Patruo* dicitur pro corde forti vel duro; sic apud Horatium *ne sis Patruus mihi.* Heins.] 52 Valdè lamentatur: ut *Deamare* valdè amare dicimus.

Ut

Ut verò 53 ardentem vidit; quater 54 impetus illi
In medios fuit ire rogos: quater inde repulsus
Concita membra fugæ mandat: similisque juvenco
Spicula 55 crabronum pressâ cèrvice gerenti,
Quà via nulla, ruit. Jam tum mihi currere visus
Plus homine est: 56 alasque pedes sumsisse putares.
[Effugit ergò omnes; veloxque 57 cupidine leti]
58 Vertice Parnasi potitur. Miseratus Apollo,
Cùm se Dædalion 59 saxo misisset ab alto,
Fecit 60 avem, & 61 subitis pendentem sustulit alis;
62 Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos,
Virtutem antiquam, 63 majores corpore vires.
Et nunc accipiter, 64 nulli satis æquus in omnes
Sævit aves; aliisque dolens fit caussa dolendi.

53 Jam elatam se. & rogo impositam. 54 Voluit sese in ignem conjicere. 55 Vesparum, maximè juvencos infestantium. 56 Jam enim in accipitrem verti cœptus erat. 57 Cupiditate mortis [damnat hunc versum Heinsius.] 58 In verticem Parnassi ascendit. 59 Monte. 60 Accipitrem. 61 Subitò natis. 62 Rostrum aduncum. 63 Majores, quam ut illi tam parvo corpori conveniant. 64 Rapto enim vivit accipiter.

Lupus in lapidem. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Anetor pastor armentorum, quæ Peleus ad Cëyca perduxerat, indicat à lupo, cui obsisti nequiret, custodem interimi. Qui ut intellexit Psamathes Nereidis Phoci matris ira id sibi accidere, quòd Phocus ea ætate Æaco genitus à se interiisset, & id precibus potius, quam ultione esse sedandum, suppliciter ab ea petit, ne ultra prosequeretur admissum. Quæ aliquando Thetidis sororis mota precibus, ne amplius fera armenta petens sæviret, in saxi eam figuram vertit.

1 QUæ dum 2 Lucifero genitus miracula narrat
De 3 consorte suo; 4 cursu festinus anhelo
Advolat armenti custos 5 Phocêus Anetor.
Heu 6 Peleu, Peleu, magnæ tibi nuncius adsum
Cladis, ait! Quodcunq; ferat, jubet edere Peleus:
7 [Pendêt & ipse metu 8 trepidat Trachinius Heros]
10 Ille refert: Fessos ad litora curva juvencos
Appuleram, 11 medio cùm Sol altissimus orbe

1 Lupi, qui Pelei armenta laceraverat, Metamorphosin in saxum describit Poëta. 2 Cëyx. 3 Fratre Dædalione. 4 Festino cursu anhelans. 5 Oriundus è regione Phocide. 6 Conduplicatio subitum malum nuncianti maximè conveniens. 7 Sollicitus est. 8 Tremit. 9 Cëyx. Vide supra vers. 283. 10 Anetor, pastor armentorum, quem Peleus ad Cëyca perduxerat. 11 *Jamque dies medius rerum contraxerat umbras, Et sol ex æquo meta distabat utraque,* Lib. 3. Periphrasis meridiei.

Tantum respiceret, quantum superesse videret.
Parsque boum fulvis genua inclinârat arenis,
Latatumque jacens [12] campos spectabat aquarum:
Pars [13] gradibus tardis illuc errabat, & illuc;
Nant alii, celsoque exstant super æquora collo.
Templa mari [14] subsunt, nec marmore clara, nec auro;
Sed trabibus densis, lucoque umbrosa vetusto.
[15] Nereïdes Nereusq; tenent. Hos navita templi
[16] Edidit esse Deos, dum retia littore siccat.
Juncta palus [17] huic est densis obsessa [18] salictis,
Quam [19] restagnantis fecit maris unda paludem.
[20] Indè fragore gravi strepitans loca proxima terret
Bellua vasta lupus, silvisque palustribus exit,
Oblitus & spumis & spisso sanguine [21] rictus
Fulmineos; rubrâ suffusus lumina flammâ.
Qui, quanquam sævit pariter rabieque, fameq;
Acrior est rabie. Neque enim jejunia curat
Cæde boum, diramque famem satiare sed omne
Vulnerat armentum, sternitque hostiliter omne.
Pars quoque de nobis [22] funesto saucia morsu,
Dum [23] defensamus, [24] leto est data. Sanguine littus
Undaque prima rubent, [25] demugitæque paludes.
Sed mora damnosa est, nec res dubitare [26] remittit:
Dum superest aliquid, cuncti coëamus, & arma,
[27] Arma capessamus, conjunctaque tela feramus.
Dixerat [28] agrestis. Nec Pelea damna movebant:
Sed memor [29] ádmissi [30] Nereïda colligit orbam
Damna [31] sui inferias exstincto [32] mittere Phoco.
Induere arma viros, violentaque sumere tela
Rex jubet [33] Oetæus; cum quîs simul ipse parabat
Ire. Sed Halcyone conjux excita tumultu
Prosilit, &, nondum totos ornata capillos,
Disjicit hos ipsos: colloque infusa mariti,
Mittat ut auxilium sine se, verbisque precatur
Et lacrymis; animasque duas ut servet [34] in una.
[35] Æacides [36] illi; [37] Pulcros, Regina, piosq;
Pone metus: [38] plena est promissi gratia vestri:

12 Æquor.
13 Passibus.
14 Adsunt, juxta mare sunt.
15 Sacrum est illud templum (est enim hic enallage numeri) Nymphis marinis, Nerei filiabus, & ipsi Nereo.
16 Dixit.
17 Sc. luco.
18 Salicibus.
19 Æstuantis. Eleganter autem describit locum luporum latebris accommodatum.
20 Ex ea palude.
21 Rictus infectos habens, ita dictos ab ardenti oris afflatu. Sic sæpius de apri dentibus noster, Lib. 8. *Fulmen ab ore venit.* Et Lib. 10. *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.*
22 Mortali letifero.
23 Defendere conamur.
24 Interfecta.
25 Mugitu boum sauciorum repletæ.
26 Permittit.
27 Anadiplosis exhortationi accommodata.
28 Pastor.
29 Commissi, & fraternæ cædis.
30 Psamathen, Nerei filiam, quæ in illo tempore colebatur.

31 [*Damna sui* pro sua damna: Sic Lib. IX. *Captus amore mei*, pro meo.] 32 Velle referre inferias filio suo Phoco cæde boum. 33 Cëyx, qui & Trachinius ante dictus est, ab urbe Trachine, quam Hercules in Thessalia sub Oeta monte condidit. 34 Halcyones vitam à Cëycis vita pependisse exitus declarat. Illo enim in mari submerso, ipsa quoque dolore vitam finiit. 35 Peleus, Æaci filius, sc. *inquit*. 36 Halcyoni. 37 Laudabiles, utpote pro mariti salute. 38 Perfecta atque cumulata.

Non

Non placet arma mihi contra nova monstra moveri ;
39 Numen adorandum pelagi est. Erat ardua turris
Arce focus 40 summa ; 41 fessis loca grata carinis.
Adscendunt illùc, stratosque in littore tauros
Cum gemitu aspiciunt, vastatoremque cruento
Ore 42 ferum, longos infectum sanguine villos.
43 Indè manus tendens 44 in 45 aperti littora ponti,
Cæruleam Peleus 46 Psamathen, ut finiat iram,
Orat ; opemque ferat. Nec vocibus illa rogantis
47 Flectitur 48 Æacidæ. Thetis hanc pro conjuge supplex
Accepit veniam. 49 Sed enim irrevocatus ab acri
Cæde lupus perstat, dulcedine sanguinis asper ;
Donec inhærentem laceræ cervice juvencæ
50 Marmore mutavit. Corpus, præterq; colorem,
Omnia servavit : Lapidis color indicat illum
Jam non esse lupum, jam non debere timeri.
Nec tamen hæc profugum consistere Pelea terrâ
Fata sinunt : 51 Magnetas adit vagus exsul, & illic
Sumit ab 52 Hæmonio 53 purgamina cædis Acasto.

39 Psamathe Nympha maris, quam ego orbavi filio Phoco. 40 Pharos, seu ignita turris noctu lucens, quæ in usum navium erat accensa. 41 Illam enim nautæ aspicientes in portum naves dirigebant, seque terræ propinquos esse cognoscebant. 42 Lupum Pelei boves dilacerantem. 43 Ab illa turri. 44 Versus littora. 45 Maris latè patentis. 46 Nympham, Nerei filiam, matrem Phoci, à Peleo occisi. 47 Movetur. 48 Pelei precantis : illi enim fuerat irata, ideòque precibus illius nihil movebatur. 49 Sed enim lupus ferox imperterritus yerstat in acri cæde dulcedine sanguinis allectus. 50 In marmor. 51 Thessaliæ populos, equorum domitores clarissimos. 52 Rege Thessaliæ, Peliæ filio. 53 Expiationem.

Cëyx & Halcyone in halcedones.
Fab. X.

ARGUMENTUM.

Cëyx Luciferi filius, prodigiis agitatus, Miletum ad oraculum Apollinis, quoniam Delphos Phorbas cum Phlegyis infestabat, contendit : conjugique Halcyonæ Æoli filiæ, tardanti profectionem ob desiderium, affirmavit, intra alterum mensem se reversurum. Quod ut non posset præstare, naufragio vitam amisit : cujus adventum cùm illa desideraret non respondentem tempori destinato, & indies gravissimo luctu afficeretur ; misericordia Junonis, quam suis precibus fatigabat, per quietem Somnus Deus filium dictum Morphea, imitatorem figurarum humanarum, Trachina ad Halcyonem dimisit : quæ per eum conjugem comperit intersisse. Excusso ergo sopore,

pore, lumen inferri jussit. Novissime ad littus decurrit ubi illum dimiserat. Et ut naufragi exanime corpus fluctuare proximo littore perspexit, in figuram volucris Æoli cessit: quæ ab ejus nomine vocatur. In eandem speciem corpus Cëycis est versum. Hæ volucres hiberno tempore per septem dies in mare nidum ponunt, pullosque, qui casus suorum majorum deplorent, in littore exponunt.

INterea [1] fratrisq; sui, [2] fratremq; secutis
Anxia prodigiis [3] turbatus pectora Cëyx,
Consulat ut sacras hominum oblectamina [4] sortes,
Ad [5] Clarium parat ire Deum: nam templa [6] profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica [7] Phorbas.
Consilii tamen antè sui, fidissima, certam
Te [8] facit, Halcyone. [9] Cui protinus intima frigus
Ossa [10] receperunt; buxoque simillimus ora
Pallor [11] obit: lacrymisq; genæ maduere profusis.
[12] Ter conata loqui, ter fletibus ora [13] rigavit:
Singultuque [14] pias interrumpente querelas,
Quæ mea culpa tuam, dixit, carissime, mentem
[15] Vertit? ubi est, quæ cura mei prius esse solebat?
Jam potes Halcyone [16] securus abesse relictâ.
Jam via longa placet. Jam sum tibi carior absens.
At (puto) per terras iter est, tantumq; dolebo;
Non etiam metuam; curæque timore carebunt.
Æquora me terrent, & ponti [17] tristis imago.
Et laceras nuper tabulas in littore vidi;
Et sæpe in [18] tumulis [19] sine corpore nomina legi.
Neve tuum fallax animum fiducia tangat;
Quòd socer [20] Hippotades tibi sit; qui carcere fortes
Contineat ventos; &, cùm velit, æquora [21] placet.
Cùm semel emissi tenuerunt æquora venti;
Nil illis vetitum est; incommendataque [22] tellus
Omnis, & omne fretum. Cœli quoque nubila vexant;
Excutiuntque [23] feris [24] rutilos concursibus ignes.
Quo magis hos novi, (nam novi, & sæpe paternâ

1 Cujus filia Chione Dianæ sagittâ subitò fuerat interfecta.
2 In accipitrem mutatum.
3 Solicitum ac turbatum animum habens.
4 Ut consulat oracula, quæ homines anxios & sollicitos expediant curis.
5 Ad templum Apollinis Clarii. Est autem Claros Joniæ civitas, juxta Colophonem, oraculo Apollinis nobilis.
6 Sacrilegus.
7 Non poterat Cëyx adire oracula Delphica, quia Phorbas Thessalus, Lapithæ filius, templum Delphicum spoliare aggressus fuerat, una cum Phlegyis, Thessaliæ populis ferocibus & sacrilegis.
8 Facit te certiorem. Sic supra Lib 6. *Matrem certam fecère ruinæ.* Virg. *Anchisen facio certum.* Apostrophe ad Halcyonem. 9 Quæ statim tremere cœpit. 10 Conceperunt, traxerunt. 11 Occupat. 12 *Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit Lingua, ter in primo destitit ore sonus.* 13 Madefecit. 14 A pio amore provenientes. 15 Convertit, mutavit. 16 Sine ullâ mei curâ. 17 Aspera facies maris. 18 Sepulcris 19 Erant enim Cenotaphia, i inania sepulcra. 20 Æolus Hippotæ Trojani nepos: filius fuit Jovis ex Segesta Hippotæ filia. 21 Mitigat. 22 Omnis terrarum orbis sine ullo respectu ab illis ventis concutitur. 23 Ex concursu nubium fulmina generantur. 24 Fulmina.

Parva [25] domo vidi) magis hoc reor esse timendos.
Quòd tua si [26] flecti precibus sententia nullis,
Care, potest, conjux; nimiumq; es certus eundi;
Me quoque tolle simul. Certe jactabimur una:
Nec, nisi quæ patiar, metuam: pariterque feremus
Quicquid erit: pariter super æquora lata feremur.
Talibus [27] Æolidos dictis lacrymisq; movetur
Sidereus [28] conjux: neque enim minor [29] ignis in ipso est.
Sed neque [30] propositos pelagi dimittere cursus,
Nec vult Halcyonen in partem adhibere pericli:
Multaq; respondit timidum solantia pectus:
[31] Nec tamen idcirco caussam probat; addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem:
Longa quidem nobis omnis mora: sed tibi juro
Per patrios [32] ignes (si me modo fata remittent)
Antè reversurum, [33] quàm Luna bis impleat orbem.
His ubi promissis spes est admota [34] recursus;
Protinus eductam navalibus [35] æquore tingi,
Aptariq; suis [36] pinum jubet armamentis.
Qua rursus visa, [37] veluti præsaga futuri,
Horruit Halcyone: lacrymasq; emisit obortas:
Amplexusque dedit: tristiq; miserrima tandem
Ore, Vale, dixit: [38] collapsaque corpore tota est.
Ast juvenes, [39] quærente moras Ceyce, reducunt
[40] Ordinibus geminis [41] ad fortia pectora remos:
[42] Æqualique ictu scindunt freta. Sustulit [43] illa
Humentes oculos; stantemque in puppe recurvâ,
Concussaque manu dantem sibi signa maritum
Prima videt: redditque notas. Ubi [44] terra recessit
Longiùs, atq; oculi nequeunt cognoscere vultus;
Dum [45] licet, insequitur fugientem [46] lumine pinum.
Hæc quoque ut haud poterat spatio submota videri;
Vela tamen spectat summo [47] fluitantia malo.
Ut nec vela videt; [48] vacuum petit anxia lectum;
Seque toro ponit. Renovat lectusq; locusq;
Halcyonæ lacrymas: & [49] quæ pars admonet absit.
[50] Portubus exierant; & moverat [51] aura [52] rudentes;

25 In ædibus Patris mei Æoli ventorum regis. Erat autem hæc Halcyone (ut videtur) Æoli filia Ceyci nupta.
26 Moveri. Virg. 2. Æn. *Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis.*
27 Uxoris suæ Halcyones Æoli filiæ.
28 Ceyx Luciferi filius.
29 Amor.
30 Propositam navigationem.
31 Non tamen probat caussam, qua uxori persuadet, ut se discedere permittat.
32 Per sidus clarissimum Luciferum, patrem meum.
33 Quam duo transeant menses.
34 Velocis reditus.
35 In æquor deduci.
36 Navem ex pinu confectam. Metonymia materiæ.
37 Tanquam præsentiens malum futurum.
38 Semimortua in terram cecidit.
39 Lacrymis enim uxoris motus discedebat invitus.
40 Nam biremis erat.
41 Gestum exprimit remigantium.
42 Id enim exigit ars remigandi. 43 Halcyone. 44 Navigantibus terræ urbesque recedere videntur, ipsi autem stare. 45 Potest. 46 Oculis. 47 Se moventia. 48 Marito carentem. 49 Nam maritus, optima pars lecti, aberat. 50 E portu egressi erant. 51 Ventus. 52 Funes nauticos, à *strepitu*, quem vento agitati emittunt, dictos. *Rudere* enim, quod asinorum est proprium, videntur.

53 Obvertit

[53] Obvertit [54] lateri pendentes navita remos:
[55] Cornuaque in summâ [56] locat arbore; totaque [57] malo
[58] Carbasa [59] deducit; venientesq; accipit auras.
Aut minus, aut certè medium non amplius æquor
Puppe secabatur; longéque erat [60] utraque tellus;
Cùm mare [61] sub noctem tumidis [62] albescere cœpit
Fluctibus; & [63] præceps spirare [64] valentiùs Eurus.
[65] Ardua, jamdudum, demittite cornua, rector
Clamat; & antennis totum subnectite velum:
Hic jubet; impediunt adversæ jussa [66] procellæ;
Nec sinit audiri vocem [67] fragor æquoris ullam.
Sponte tamen properant alii subducere remos;
Pars [68] munire latus; pars [69] ventis vela negare.
[70] Egerit hic fluctus; æquorque refundit in æquor:
Hic rapit antennas. Quæ dum sine [71] lege geruntur;
Aspera crescit [72] hyems; [73] omnique è parte feroces
Bella gerunt [74] venti; fretaque [75] indignantia [76] miscent.
Ipse pavet; [77] nec se, qui sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector; nec quid jubeatve, veteve:
Tanta mali [78] moles, totâque potentior arte est.
[79] Quippe sonant clamore viri, stridore [80] rudentes,
Undarum [81] incursu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus [82] erigitur, [83] cœlumque æquare videtur
Pontus; & inductas [84] aspergine tangere nubes.
Et modò, cùm fulvas ex imo verrit arenas
[85] Concolor est illis; Stygiâ modò nigrior undâ;
[86] Sternitur interdum, spumisque sonantibus albet.
Ipsa quoque his [87] agitur [88] vicibus Trachinia puppis:
Et modo sublimis veluti de vertice montis

53 Convertit. 54 In latus. 55 Antennarum. 56 In summitate arboris collocat & ponit. Id autem fieri solet, cùm secundus ventus flare cœperit. 57 Arbore navis. 58 Vela. 59 Detrahit. 60 Et à qua discesserat, & quam petebat Ceyx. 61 Circa, propè. 62 Album fieri: quod futuræ tempestatis signum est. Virg. 7. Æn. *Fluctus uti primo cœpit cùm albescere ponto, Paulatim attollit sese mare.* 63 Violentus. 64 Vehementius. 65 Alta. 66 Ventorum impetus. Est enim *procella* vis venti cum pluvia, dicta quòd omnia *percellat* & concutiat. 67 Strepitus. 68 Ne aqua ingrediatur. 69 Vela complicare. 70 Ejicit. Elegantissima sequitur tempestatis descriptio. 71 Ordine.

72 Tempestas. Virg. 1. Æn. *Vicit hyems.* Sic Ovid. 1. Trist. *Me mare, me venti, me fera jactat hyems.* 73 Undique, à quatuor mundi cardinibus; ab Oriente, Occidente, à Septentrione, & Meridie. 74 Alibi hoc idem dixit aliis verbis: *Nunc Notus adversa prælia fronte gerit.* 75 Tumescentia. 76 Perturbant. 77 Ipse rector & gubernator navis fatetur se nescire, quis & qualis sit rerum status, aut quid jubêre aut velle debeat. Hujusmodi sententiam alibi ita est complexus: *Rector in incerto est, nec quid fugat ve petat ve. Invenit: ambiguis ars stupet ipsa malis.* 78 Magnitudo tempestatis. 79 Nam strepunt. 80 Vir. 1. Æn. *Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum.* 81 Impulsu. 82 Extollitur. 83 Sic alibi: *Me miserum! quanti montes volvuntur aquarum! Jam jam tacturos sidera summa putes.* 84 Aspersione. Angl. *the spray of the Sea.* 85 Eundem cum ipsis arenis habet colorem. 86 Stratum videtur & æquale. 87 Agitatur. 88 Mutationibus.

[89] Despicere in valles, [90] imumque Acheronta videtur:
Nunc, ubi demissam curvum circumstetit æquor,
[91] Suspicere inferno summum de gurgite cœlum.
Sæpe dat ingentem fluctu latus [92] icta fragorem:
Nec leviùs [93] pulsata sonat, quàm ferreus olim
Cùm laceras [94] aries [95] ballistave concutit arces.
Utque solent, sumtis [96] incursu viribus, ire
Pectore in arma feri, [97] prætentaque tela leones;
Sic ubi se ventis admiserat unda coortis,
Ibat in [98] arma ratis; [99] multoque erat altior illis.
Jamque labant [100] cunei, spoliataque tegmine [101] ceræ
Rima patet; præbetque viam [102] letalibus undis.
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres:
Inque fretum credas totum descendere cœlum:
Inque plagas cœli tumefactum adscendere pontum.
Vela madent nimbis; & cum cœlestibus undis
Æquoreæ miscentur aquæ. Caret ignibus æther;
[104] Cæcaque nox premitur tenebris hyemisque suisque.
[510] Discutiunt tamen has, præbentque micantia lumen
Fulmina: fulmineis [106] ardescunt ignibus undæ.
Dat quoque jam saltus [107] intra cava texta carinæ
Fluctus: &, ut miles [108] numero præstantior omni,
Cùm sæpe assiluit [109] defensæ [110] mœnibus urbis,
[111] Spe potitur tandem; laudisque accensus amore
Inter mille viros, murum tamen occupat unus.
Sic ubi pulsârunt acres latera ardua fluctus,
[112] Vastius insurgens [113] decimæ ruit impetus undæ:
Nec priùs [114] absistit fessam oppugnare carinam;
Quàm [115] velut in captæ descendat mœnia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere [116] pinum;
Pars maris intus erat: [117] trepidant [118] haud segnius omnes,

89 Deorsum aspicere. 90 Infernum. Est enim *Acheron* unus ex inferni fluviis. Alibi hoc idem videtur significasse: *Quantæ deducto subsidunt æquore valles, Jam jam tacturas Tartara nigra putes.* 91 Sursum aspicere. 92 Unda terræ percussa. 93 Percussa. 94 Instrumentum est bellicum, quo Romani ad diruendos muros utebantur. 95 Instrumentum quoque est bellicum, quo saxa longè emittuntur. Sic alibi: *Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis, Quam grave ballista mœnia pulsat onus.* 96 Impetu. 97 Porrecta. 98 Navis instrumenta, armamenta. 99 Quam naves erant altiores. 100 Subscudes, quibus tabulæ navium inter se committuntur. 101 Picis 102 Mortiferis aquis. 104 Obscura. 105 Depellunt. 106 Splendescunt. 107 Intra concavitatem carinæ. 108 Multitudine. 109 Maximæ atque vastissimæ, seu validissimæ. 110 In muros. 111 Tandem voti fit compos, & in murum ascendit. 112 Validiùs. 113 Quæ putatur maxima. Sic noster Trist. *Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes, Posterior nono est, undecimoque prior.* 114 Desistit. 115 Similitudo est à captis urbibus sumta. Significat autem fluctus intrà navem irrupisse. 116 Novem. 117 Timent. 118 Non minùs. Pulcrâ similitudine exprimit timorem nautarum à tempestate deprehensorum.

Quàm solet urbs, aliis murum fodientibus extrà,
Atque aliis murum, trepidare, [119] tenentibus intus.
[120] Deficit ars; animique cadunt: totidemque videntur, [tes.
Quot veniant fluctus, ruere atque irrumpere mor-
[121] Non tenet hic lacrymas: stupet hic: vocat [122] ille beatos,
[123] Funera quos maneant: [124] hic votis numen adorat: [lens
Brachiaque ad cœlum, quod non videt, irrita tol-
Poscit opem: [125] subeunt illi fratresq; parensque;
Huic cum [126] pignoribus domus, & quod cuique relictum est.
Halcyone Cëyca movet: Cëycis in ore
Nulla nisi Halcyone est: &, cùm desideret unam,
Gaudet abesse tamen. Patriæ quoque vellet ad oras
Respicere, inque domum supremos vertere vultus
Verùm ubi sit nescit. Tantâ [127] vertigine pontus
[128] Fervet: & inductâ [129] piceis è nubibus umbrâ
Omne latet cœlum: duplicataque noctis imago est.
Frangitur [130] incursu nimbosi [131] turbinis [132] arbos;
Frangitur & [133] regimen: spoliisque animosa [134] superstans
Unda, velut victrix, [135] sinuatas despicit undas.
Nec levius, quàm si quis [136] Athon [136] Pindumve revulsos
Sede suâ totos in apertum everterit æquor,
[137] Præcipitata ruit: pariterque & pondere & [138] ictu, [virorum
Mergit [139] in ima ratem. Cum qua pars magna
Gurgite pressa gravi, neque in aëra reddita, fato
[140] Functa suo est. Alii partes & [141] membra carinæ
Trunca tenent. Tenet ipse manu, qua sceptra solebat, [que
Fragmina navigii Cëyx: [142] socerumq; [143] patrem-
Invocat (heu!) frustra. Sed plurima nantis in ore [que:
[144] Halcyone conjux. Illam meminitque refert-
Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus,

119 Defendentibus.
120 Tempestati ars succumbit.
121 Alius lacrymat: alius stupet attonitusque videtur.
122 Alius.
123 Qui exequiarum honore non priventur: Veteres enim fatum eorum, qui naufragio perierant, infelicissimum putabant, si corpora quoquo modo sepeliri, justaque peragi non possent. Eo quod, toto illo tempore quo eorum corpora insepulta, vel in mari vagabantur, vel supra terram projecta manebant, animæ quoque ab inferis arcebantur, citraque Avernum errare cogebantur.
124 Alius Diis vota facit. Solent enim homines, ubi spe omni se destitutos esse vident, ad Deos, atque ad vota confugere, & ad cœlum manus tollere, Idque fecisse quoque Ovidium, sævâ tempestate actum, manifestò apparet ex Eleg. 2. Lib. 1. Trist. *Dî, maris, & cœli (quid enim nisi vota supersunt?) Solvere quassatæ parcite membra ratis.* 125 In mentem veniunt. 126 Liberis. 127 Eversione, perturbatione. 128 Turbatum est. Alibi: *Et mare fervet aquis.* 120 Nigris, aquâ plenis. 130 Impetu. 131 Venti violentioris. 132 Malus. 133 Clavus. 134 Superans. 135 Insinum coacta, convoluta. 136 Macedoniæ montes. 137 Impulsa ventis. 139 Impulsu. 139 In profundum. 140 Mortua est. 141 Frusta carinæ. 142 Æolum. 134 Luciferum. 144 Nomen uxoris Halcyones.

Optat; & [145] exanimis manibus [146] tumuletur amicis.
Dum natat; absentem, quoties sinit [147] hiscere fluctus,
Nominat Halcyonen, ipsisque immurmurat undis.
Ecce super medios fluctus [148] niger arcus aquarum
Frangitur: & ruptâ [149] mersum caput obruit undâ.
Lucifer obscurus, nec quem cognoscere posses,
Illa nocte fuit: quoniamque excedere Olympo
Non [150] licuit, densis [151] texit sua nubibus ora.

[152] Æolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes: & jam, quas induat ille,
[153] Festinat vestes; jam quas, ubi venerit ille,
Ipsa gerat: reditusque sibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem Superis [154] pia thura ferebat:
Ante tamen cunctos [155] Junonis templa colebat:
Proque viro, [156] qui nullus erat, veniebat ad aras.
Utque foret sospes conjux suus, utque rediret,
Optabat; nullamque sibi præferret. At illi
Hoc de tot votis poterat contingere solum.

At [157] Dea non ultrà pro functo morte rogari
Sustinet; utq; manus [158] funestas arceat aris;
Ire, [159] meæ, dixit, fidissima nuncia vocis,
[160] Vise [161] soporiferam [162] Somni velociter aulam:
Exstinctique jube Ceÿcis imagine mittat
Somnia ad Halcyonen veros narrantia casus,
Dixerat. Induitur velamina mille colorum
Iris, [163] & arquato cœlum curvamine signans
Tecta petit jussi sub rupe latentia regis.

Est propè [164] Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, [165] ignavi domus & penetralia Somni:
[166] Quò nunquam radiis oriens mediusve cadensve
Phœbus adire potest. Nebulæ caligine mistæ
[167] Exhalantur humo: [168] dubiæque crepuscula lucis.
Non [169] vigil ales ibi cristati cantibus oris

145 Mortuus. 146 Sepeliatur. 147 Os aperire. 148 Fluctus ingens, sinuatus instar arcus. 149 Obruit & submersit. 150 Potuit. Neque enim sydera per noctem cœlum relinquere possunt, ac ne interdiu quidem, quamvis videantur. 151 Cooperuit, ne videret filium pereuntem. 152 Halcyone Æoli filia, Ceÿcis uxor. 153 Festinanter suit & conficit vestes. 154 Piè sacrificabat. 155 *Cui vincla jugalia curæ.* Virg. 156 Mortui non esse dicuntur. 157 Juno. 158 Funere mariti pollutas. Domum morte alicujus ex familia pollutum veteres purgabant thure, quod manibus funestis aris injiciebant. 159 Meorum verborum & mandatorum. 160 Ad videndum vade. Describit & Somnum Deum, & Somni aulam. 161 Soporem & sommum adferentem, atque inducentem. 162 Dei soporis. 163 [Nonius inter *arcum* & *arquum* distinguit, quod alter fornicem, alter iridem designet.] 164 Bosphoranos, ad Bosphorum Cimmerium habitantes. undè *Cimmeriæ tenebræ* proverbio dictæ. 163 Inertes, pigri ab effectu, quòd ignavos & pigros homines reddat. 166 Solis enim radii somnum avertunt, tenebræ autem alliciunt. 167 Emittuntur. 168 Crepusculi est interpretatio. Nam *crepusculum* est dubia lux. 169 Gallus. Sic Martial. *Surgite, jam vendit pueris jentacula pistor, Cristatæque sonant undique lucis aves.* Nihil autem in aula Somni Poëta fingit, quo turbari somnus possit; omnia verò apponit, quæ somnum ipsum alliciunt.

Evocat Auroram: nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior [170] anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanævè sonum reddunt convicia linguæ:
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
[171] Rivus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus [172] unda lapillis.
Ante fores antri [173] fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ: quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Janua, quæ verso [174] stridorem cardine reddat,
Nulla domo totâ; custos in limine nullus.
At medio torus est, [175] ebeno sublimis in atrâ,
Plumeus, atricolor, [176] pullo velamine tectus:
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Silva gerit frondes, ejectas littus arenas.
Quò simul intravit, manibusque obstantia [177] virgo
Somnia dimovit; vestis fulgore reluxit
Sacra domus: tardâque Deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens; iterumque iterumq; relabens
Summaq; percutiens nutanti pectora mento,
Excussit tandem sibi se: cubitoque levatus,
Quid veniat ([178] cognorat enim) [179] scitatur. [180] At illa:
Somne, quies rerum, placidissime Somne Deorum,
[181] Pax animi, [182] quem cura fugit; qui corda diurnis
Fessa ministeriis [183] mulces, reparasque [184] labori;
Somnia, quæ veras æquent imitamine formas,
[185] Herculeâ Trachine jube, sub imagine [186] regis,
Halcyonen adeant; [187] simulacraque naufraga [188] fingant.
Imperat hoc Juno. Postquam mandata peregit
Iris, abit. Neq; enim ulteriùs tolerare vaporis
[189] Vim poterat. Labique ut Somnum sensit in artus;
Effugit; & remeat per quos modò venerat arcus.
[190] At pater è [191] populo natorum [192] mille suorum

170 Gallos Capitolinum montem obsidentes Manlius clangore anseris excitatus à summa rupe dejecit. Hinc Poëta anseres canibus sagaciores vocat.
171 Oblivionis fluvius.
172 Murmure siquidem aquæ somni efficiuntur suaves.
173 Multorum seminum fertilia, quæ somnum maxime inducunt; undè & *soporiferum papaver* vocatur.
174 Strepitum faciat.
175 Ex hebeno nigro ligno confectus. *Hebenus* vel *Ebenus*, arbor est Indica, cujus lignum naturâ est nigrum ac ponderosum.
176 Nigro.
177 Iris.
178 Sc. illam *venisse*.
179 Rogat.
180 Sc. *respondit*.
181 Requies.
182 Qui enim curis premuntur, dormire non possunt.
183 Foves.
184 Ad laborem.
185 Ab Hercule conditam. Vide supra vers. 383.
186 Cëycis.
187 Imagines naufragii à Cëyce facti. 188 Effingant, exprimant. 189 [Ita Statius Thebaïd. x. qui Somni regiam describit,

---------- Corpore pigro
Strata calent, supraque torum niger adflat anhelo
Ore vapor.]

190 Somnus Deus. 191 Turbâ, multitudine somniorum. 192 Numerum finitum pro infinito posuit.

Excitat

Excitat artificem simulatoremque figuræ
[193] Morphea. Non illo jussos solertiùs alter
Exprimit incessus, vultumque modumque loquendi;
Adjicit & vestes, & consuetissima cuique
Verba. Sed hic solos homines imitatur: At alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens.
Hunc [194] Icelon Superi, mortale [195] Phobetora vulgus
Nominat. Est etiam diversæ tertius artis
[196] Phantasos. Ille in humum, saxumque, undamque, trabemque,
Quæque [197] vacant anima feliciter omnia transit.
Regibus hi, ducibusque suos ostendere vultus
Nocte solent: populos alii plebemque pererrant.
Præterit hos senior: cunctisque è fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos [108] edita, [199] Somnus
Eligit: & rursus [200] molli languore solutum
Deposuitq; caput, [201] stratoque recondidit alto.
[202] Ille volat, nullos strepitus facientibus alis,
Per tenebras: intraque moræ breve tempus in urbem
Pervenit [203] Hæmoniam: positisque è corpore pennis
In faciem Cëyeis [204] abit: formâque sub illâ
Luridus, [205] exsangui similis, sine vestibus ullis,
[206] Conjugis ante torum miseræ stetit. [207] Uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso,
Hæc ait: Agnoscis Cëyca, miserrima conjux?
An mea mutata est facies nece? respice; nosces:
Inveniesq; tuo pro conjuge conjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua [208] vota tulerunt.
[209] Occidimus. [210] Falsæ tibi me promittere noli
Nubilus Ægæo deprendit in [211] æquore navim
Auster, & ingenti jactatam [212] flamine [213] solvit:
Oraque nostra tuum frustra clamantia nomen
Implêrunt fluctus. Non hæc tibi nunciat auctor
[214] Ambiguus: non ista [215] vagis rumoribus audis;
Ipse ego fata tibi præsens [216] mea naufragus edo:
Surge age: da lacrymas; [217] lugubriaque indue: nec me
Indeploratum sub [218] inania [219] Tartara mitte.

193 *Morpheus* ἀπὸ τῆς μορφῆς, i. à *forma* dicitur *formæ simulator*.
194 *Icelos* similis, exponitur. Homer. ἴκελος.
195 Terrefactorem, à φοβέω, terrefacio.
196 Imaginator: φαντάζομαι enim imaginor significat.
197 Carent.
198 Jussa Iridis Thaumantis filiæ.
199 Somni Deus.
200 Suavi sapore.
201 Lecto.
202 Morpheus.
203 Urbem Thessaliæ, n. Trachina. Thessalia autem & Thracia a Poëtis Græcis sæpenumero confundebantur: id quod Latinis postea sollemne fuit, quò Græcos melius imitarentur.
204 Convertit se in figurum Cëyeis.
205 Pallido, ob amissum sanguinem.
206 Halcyones.
207 Humida.
208 Tuæ preces.
209 Mortui sumus.
210 Deceptæ.
281 Unde hæc mediterranei maris pars sic dicta sit, inter Scriptores non convenit. Alii ab *Ægeo*, Thesei patre, alii ab *Ægeone*. Sunt qui ab *Ægea* Amazonum regina ita denominant. Plinius à [illegible], capræ speciem referente, atque ita ab αἴξ αἰγὸς, &c. nunc vulgo *Archip*[illegible] dicitur. 212 Vento. 213 Dissolvit, resolvit. 214 Dubius. 215 Incertis. 216 Meam mortem mea infortunia. 217 Vestes lugubres, 218 Vacua: neque enim animæ, ut quæ sunt incorporeæ, occupant locum. 219 Locum apud inferos profundissimum.

Adjicit

Adjicit his vocem Morpheus; quam conjugis illa
Crederet esse sui: fletus quoque fundere veros
Visus erat: [120] gestumque manus Cëycis habebant.
[Ingemit Halcyone lacrymans, [121] motatque lacertos
Per somnum: corpusque petens amplectitur auras.
Exclamatque, Mane. Quò [222] te rapis? Ibimus unà.]
Voce sua specieque viri turbata soporem
[223] Excutit: & primò [224] si sit circumspicit [225] illic,
Qui modò visus erat. Nam moti voce ministri
Intulerant lumen. Postquam non invenit usquam;
Percutit ora manu: laniatque à pectore vestes:
Pectoraque ipsa ferit. Nec crimen solvere curat;
Scindit: & [226] altrici, quæ luctus caussa, roganti,
Nulla est Halcyone, nulla est, ait: occidit unà
Cum Cëyce suo. [227] Solantia tollite verba.
Naufragus interiit. Vidi, agnovique; manusque
Ad discedentem, cupiens retinere, tetendi.
Umbra fugit: sed & umbra tamen manifesta, virique
Vera mei. Non ille quidem, si quæris, habebat
[228] Assuetos vultus: nec quo priùs ore [228] nitebat.
Pallentem, nudumque, & adhuc [230] humente capillo,
Infelix vidi. Stetit hoc miserabilis ipso
Ecce loco: & quærit vestigia si qua supersint.
[231] Hoc erat, hoc animo quod divinante timebam;
Et nè, me fugiens, ventos sequerêre rogabam?
At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoque duxisses. Tecum fuit utile, tecum
Ire mihi. [232] Neque enim de vitæ tempore quicquam
Non simul egissem: nec mors discreta fuisset.
[233] Nunc absens pereo, jactor nunc fluctibus [234] absens;
Et, sine me, me pontus habet: crudelior ipso
Sit mihi mens pelago; si vitam [235] ducere nitar
Longiùs; & tanto pugnem superesse dolori.
Sed neque pugnabo: nec te, miserande, relinquam:
Et tibi [236] nunc saltem veniam comes. Inq; [237] sepulcro,

220 [Gesticulationem. *Gestus* enim propriè manuum motus. Ita noster Lib. VI. de Niobe, *Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus, Nec Pes ire potest*: ineptè Minellius, ut solet, qui *Gestum* hîc pro habitu & compositione corporis acceptum esse voluit.]
221 Emittit.
222 Fugis. [Tres autem hos versus uncis inclusos ut spurios damnat Heinsius, & insequenti versu, *Voce sui* pro *suâ*, ex optimis membranis legendum admonet; quam lectionem ([illegible] istis versibus sublatis) veram esse quilibet per se videat.]
223 Expellit.
224 An.
225 Ubi visus fuerat maritus.
226 Nutrici, quam Poëtæ sæpe fœminis nobilibus addunt.
227 Auferte verba consolatoria, & nolite me consolari.
228 Solitos, i. hilares ac lætos.
229 Splendebat.
230 Madido.
231 Apostrophe Halcyones ad maritum querelarum plena. 232 Omne vitæ meæ tempus tecum traduxissem, tecumque fuissem[illegible]33 Se cùm Cëyce marito periisse ait Halcyone, quamvis absens fuerit, q[illegible]tuam quoque animam in Cëycis corpore fuisse vult videri. 234 Corpore, non animo. 235 Producere. 236 Postquam tu periisti. 237 Inani, i. e. Cenotaphio.

Si non urna, tamen junget nos [238] littera: si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor [239] prohibet; verboque intervenit omni
Plangor: & attonito gemitus è corde trahuntur.
Mane erat: egreditur tectis ad littus: & illum
Mœsta locum repetit, de quo spectarat [240] euntem.
Dumque, [241] Moratus ibi; dumque, [242] Hîc retinacula solvit,
Hoc mihi discedens dedit oscula littore, dicit,
[Dumque [243] notata oculis [244] reminiscitur [245] acta, [246] fretumque]
Prospicit; in liquidâ spatio distante [247] tuetur
Nescio quid, quasi corpus, aqua; primóque, quid illud
Esset, erat dubium. Postquam pauló appulit unda;
Et, quamvis aberat, [248] corpus tamen esse liquebat;
Qui foret, ignorans, quia naufragus, omine mota est:
Et, tanquam ignoto lacrymam daret, Heu miser, inquit,
Quisquis es, [249] & si qua est conjux tibi! fluctibus actum
Fit propius corpus. Quod [250] quò magis illa [251] tuetur,
[252] Hoc minus, & minus est amens sua. Jamque propinquæ
[253] Admotum terræ, jam quod cognoscere posset,
Cernit: erat conjux. Ille est, exclamat: & [254] unà
Ora, comas, vestem lacerat: tendensque trementes
Ad [255] Cëyca manus, Sic, ô carissime conjux,
Sic ad me, miserande, redis? ait. Adjacet undis
Facta manu [256] moles: quæ primas æquoris iras
Frangit; & incursus quæ [257] prædelassat aquarum.
Insilit [258] huc: mirumque fuit [259] potuisse; [260] volabat:
Percutiensque levem modò natis aëra pennis,

238 Epitaphium Marmori inscriptum. 239 Vetat, Sc. loqui. 240 Maritum discedentem. 241 Verba hæc sunt Halcyones, loca illa in quibus nuper Cëyx jam navigaturus, eique valedicturus, constiterat, iterum repetentis. 242 Funes, quibus naves ad terram ligantur ac retinentur. 243 Suis oculis animadversa. [Damnat hunc versum Heinsius.] 244 In memoriam revocat Halcyone. 245 A Cëyce. 246 Mare. 247 Aspicit, videt. 248 Cadaver. 249 Sc. *heu & misera!* 250 Quantò. 251 Aspicit. 252 [*Esse meum*, vel *suum* locutio apud Poëtas satis frequens Ang. *Scarce ones self.* Sic noster Lib. III. v. 688.

Restabam solus. Pavidum, gelidumque trementi
Corpore, vixque meum firmat Deus.

Vixque meum, Vix mentis rationisve compotem. Sic Lib. VIII. v. 35.

Vix sua, vix sanæ Virgo Nysëia compos
Mentis erat.

Sua, & *sanæ mentis compos*: Synonyma sunt, seseque mutuó explicant.] 253 Appulsum. 254 Et simul cum exclamatione. 255 Ad Cëycis cadaver. 256 Murus maximus, quo portus ab undarum incursu tutus reddebatur. 257 Lassos ac debiles reddit, antequam in portum perveniant. 258 Illuc, i. in illam molem manu factam. 259 Insilire 259 Jam enim in avem fuerat conversa.

[261] Stringebat summas ales miserabilis undas.
Dumque volat; mœsto similem, plenumque querelæ
Ora dedêre sonum tenui crepitantia rostro.
[Ut vero [262] tetigit mutum & sine sanguine corpus;
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oscula rostro.]
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undæ
Tollere sit visus, populus dubitabat: at ille
Senserat. Et tandem, Superis miserantibus, ambo
[263] Alite mutantur. Fatis obnoxius îsdem
Tunc quoq; mansit amor, nec conjugiale solutum
Fœdus in alitibus. Coëunt, fiuntque parentes:
[264] Perque dies placidos hiberno tempore septem
[265] Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis.
Tum via tuta maris: ventos custodit, & arcet
Æolus egressu: [266] præstatque nepotibus æquor.

261 Radebat, leviter attingebat. 262 [Hos quoque tres versus intelineari manu positos esse censet Heinsius. *Recentibus alis* in secundó versu otiosum: nam antea *modo natis pennis* usus est: Gronovius quoque testatur se hunc ipsum & tertium versum margini adscriptas in suo codicè invenisse.] 263 In alites. 264 Halcyones (ut ajunt) fœtus suas edunt brumâ, placido mari tunc & navigabili. Faciunt autem septem antè brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt. Quibus quidem 14. diebus mare maximè fit tranquillum: undè & *Halcedonia* pro tranquillitate accipiuntur. 265 *Incubare* propriè dicuntur aves, dùm ova fovent. 266 Accommodat, ac tutum reddit æquor Halcyonum pullis.

Æsacus in mergum. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Æsacus natus Priami, Alyxothoe, Cebreni amnis filiæ, sub monte Ida furtim editus, urbanum apparatum, consultumque cum silvis & labori postposuisset, incidit in conspectum Hesperies Nymphæ, cujus captus pulcritudine, dum fugientem persequitur, caussa interemtus ejus exstitit. Confusa enim timore, per ignorantiam serpentem calce pressit: cujus morsu stricta concidit. Ejus desiderio Æsacus, ne diutius dolorem sentit, è monte in subjectum pelagus se præcipitavit: qui priusquam mergeretur, in avem cessit. Hæc æquora amat, nomenque Mergi *tenet, qui* amne mergitur illo.

Hos aliquis senior circum freta lata volantes
Spectat: & ad finem servatos laudat amores.
[1] Proximus, aut idem, si fors tulit, Hic quoque, dixit,
Quem mare carpentem [2] substrictaque crura gerentem
Aspicis, (ostendens spatiosum guttura mergum)

1 Vel aliquis proximus, i. e. adstans prope hunc senem, vel ipse senior. 2 Subtilia.

Regia

Regia progenies. Et, si descendere ad ipsum
Ordine perpetuo quæris, sunt hujus origo
Ilus, & Assaracus, raptusque Jovi Ganymedes
Laomedonque senex, [3] Priamusque novissima Trojæ
Tempora sortitus. Frater fuit Hectoris [4] iste:
Qui, nisi sensisset primâ [5] novà fata juventâ,
Forsitan inferius non Hectore nomen haberet:
Quamvis est [6] illum [7] proles enixa Dymantis.
Æsacon umbrosa furtim peperisse sub Idâ
Fertur [8] Alexirhoe [9] Granico nata bicorni.
Oderat hic urbes: nitidaq; remotus ab aulâ
Secretos montes, & inambitiosa colebat
Rura: nec Iliacos cœtus, nisi rarus, adibat.
Non agreste tamen, nec inexpugnabile Amori
Pectus habens, silvas [10] captatam sæpe per omnes
Aspicit [11] Hesperien patria Cebrenida ripâ,
Injectos humeris siccantem Sole capillos.
Visa fugit Nymphe: veluti perterrita fulvum
Cerva lupum, longeque [12] lacu deprensa [13] relictos
Accipitrem [14] fluvialis anas. Quam Troïus [15] hecto
Insequitur: celeremque metu celer [16] urget amore.
Ecce latens herbâ [17] coluber fugientis adunco
Dente pedem [18] stringit; [19] virusque in corpore linquit.
Cum vita [20] suppressa fuga est. Amplectitur amens
Exanimem: clamatque, Piget, piget esse secutum:
Sed non hoc timui: nec erat mihi vincere [21] tanti.
Perdidimus miseram [22] nos te duo. Vulnus ab angue,
A me caussa data est. Ego sim sceleratior illo,
Ni tibi morte mea mortis solatia mittam.
Dixit: & è scopulo, quem rauca [23] subederat unda,
[24] Se dedit in pontum. [23] Tethys miserata cadentem
Molliter excepit: nantemque per æquora pennis
Texit: & optatæ non est data [26] copia mortis.
Indignatur amans invitum vivere cogi;
Obstarique animæ [27] misera de sede volenti
Exire. Utque novas humeris assumserat alas,
[28] Subvolat: atque iterum corpus [29] super æquora mittit.

3 Quo rege ruit Ilium.
4 Æsacus.
5 Transformationem.
6 Hectorem.
7 Hecuba Priami uxor.
8 Nympha fuit hæc, ex quâ Priamus Venere non legitima Æsacon suscepit.
9 Fluvio Phrygiæ.
10 Quam capere tentaverat.
11 Cebreni fluvis Troadis filiam. [Hic autem obiter corrigamus Argumentum vetus hujus Fabulæ: *Alyxothoe, Cebreni amnis filiæ* legendum *Alexirhoë, Granici amnis filiæ*: Menda primum in textum irrepserunt, & exinde librariorum inscitiâ in Argumentum: res per se patet.]
12 Gurgite.
13 Nam in lacu capi non possunt, cùm, advolante accipitre, se mergant.
14 Fluvios incolens.
15 Æsacus.
16 Impellit.
17 Serpens.
18 Mordet.
19 Venenum.
20 Repressa.
21 Ut tu perires.
22 Ego, & serpens.
23 Subroserat.
24 Injecit Sc. se Æsacus in mare. 25 Dea marina Nerei & Doridis filia. 26 Facultas moriendi. 27 Misero corpore. 28 Sursum volat. 29 In mare.

Pluma

Pluma levat casus. Furit Æsacos, inque profundum
[30] Pronus abit, letique viam sine fine retentat.
[31] Fecit amor maciem: longa [32] internodia crurum,
Longa manet cervix: caput est à corpore longè.
Æquor amat: [33] nomenque manet, quia mergitur, illi.

30 In caput. Eleganter Mergi naturam describit Poëta.
31 Amor, quem morte finire cupiebat, illum fecit macilentum.
32 *Internodium* id dicitur spatii, quod est inter duos nodos. Nodosa autem crura mergus habere videtur.
33 A mergendo enim *Mergus* à Latinis fuit appellatus. Angl. *a Didapper*.

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER XII.

Serpens in saxum, & cerva pro Iphigenia supposita. *Fab.* I, & II.

ARGUMENTUM.

Agamemnon Atrei & Europes filius, dux Achivorum cùm in Aulide Jovi sacra ministraret, conspexit draconem in arbore, quæ impendebat aræ, lapsum ad nidum volucris: cujus octo pullis consumtis ab eodem serpente, novissime circumvolantem matrem devoravit; deinde conversus in saxum est. Quorum prodigio Calchas Thestoris filius augur respondit, per novem annos in Troade dimicaturos: decimo autem Ilio eos potituros. Fertur autem portus Bœotiæ hic esse, ubi mille naves adversis tempestatibus stetissent. Morantibus enim Achivis, respondetur à Calchante, non antè classes posse moveri, quam Iphigeniam pater immolasset. Quæ cum pro re communi ad aram esset applicata, inter sacrificium obductis nubibus à Diana rapta est, in finesq; Tauricos translata, & pro ea supposita cerva.

1 In quo nomen sine corpore erat inscriptum.

NEscius assumtis Priamus pater Æsacon alis
Vivere, lugebat: [1] tumulo quoque nomen habenti

2 Inferias

[2] Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Defuit officio 3 Paridis præsentia tristi:
4 Postmodo qui raptâ 5 longum cum conjuge bellum
Attulit in patriam: conjuratæque sequuntur
Mille rates, gentisque simul [6] commune Pelasgæ.
Nec dilata foret vindicta; nisi æquora sævi
7 Invia fecissent venti; Bœotaque tellus
[8] Aulide piscosa puppes 9 tenuisset ituras.
Hîc patrio de more Jovi cum sacra parâssent;
Ut vetus accensis [10] incanduit ignibus ara;
Serpere [11] cæruleum [12] Danaï vidêre draconem
In [13] platanum: cœptis [14] quæ stabat proxima sacris
Nidus erat volucrum bis quattuor arbore summâ:
Quas simul, & matrem circum sua [15] damna volantem,
Corripuit serpens; avidaque recondidit alvo.
Obstupuêre omnes. At veri providus augur
[16] Thestorides, Vincemus, ait: gaudete, Pelasgi.
Troja cades; sed erit nostri mora longa laboris.
[17] Atq; novem volucres in belli digerit annos.
[18] Ille, ut erat, virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis: & servat serpentis imagine saxum.
[19] Permanet Aöniis [20] Nereus violentus in undis:
Velaq; [21] non transfert: Et sunt, qui parcere Trojæ
Neptunum credant; [22] quia mœnia fecerat urbi.
At non Thestorides. [23] Nec enim nescitve, tacetve
Sanguine virgineo placandam [24] virginis iram

2 Sacrificia fecerat (*inferiæ* dicuntur ea sacrificia, quæ *inferis* & mortuis fiunt) i. e. justa solverat primum exstruendo cenotaphio dein variis liquoribus rite in tumulum infundendis. 3 Paris defuit, i. e. non exsequiis Æsaci fratris. Nam in Græciam ad rapiendam Helenam navigarat: quam Venus pollicita erat cùm judex electus super trium Dearum pulcritudine, Junonis, Palladis, & Veneris, pro Venere ipsâ sententiam tulit. Ortâ enim inter illas Deas contentione de pulcritudine, Alexander qui Paris fuit cognominatus, Priami filius, judex fuit constitutus: cui quidem cùm Juno totius Asiæ regnum, Pallas verò ipsum invictum in bellis fore: Venus autem Helenam, mulierum omnium pulcherrimam pollicceretur: pro Venere, ut Helenâ potiretur, judicavit. 4 Posteà. 5 Decem enim annos duravit. 6 Populus totius Græciæ. Pelasgia regio Græciæ; Poëtæ vero Pelasgos pro quibusvis Græcis usurpant. 7 Innavigabilia. 8 Ex Aulide Agamemnon, placatâ Dianâ, Trojam cum classe profecturus solvit. Est vero Aulis Bœotiæ portus. 9 Retinuisset, remorata fuisset. 10 Calefacta fuit. 11 Nigrum. 12 Græci: à *Danao* rege. 13 Arborem latè spargentem ramos, umbræ tantum gratiâ expetitam. 14 Quæ imminebat sacrificiis cœptis. 15 Pullos, quos cum maximo suo damno devorari à dracone videbat. 15 Ille inclytus vates Calchas Thestoris filius,

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ᾽ ἄριστος,
Ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα, πρό τ᾽ ἐόντα. Hom. Il. α.

17 Atque Calchas distribuit novem volucres & aves in novem belli annos. 18 Draco. 19 Agamemnon ad bellum Trojanum proficiscens, cùm apud Aulidem reliquos Græciæ Principes exspectaret, imprudens Dianæ cervam occidit. Quare Diana irata in tantam tempestatem mare excitavit, ut Græcorum classis indè solvere non posset. Cùm autem etiam peste laborarent, consultus Calchas respondit, Dianæ iram Agamemnonio sanguine esse placandam. Tandem igitur Agamemnonis quoque consensu adducta Iphigenia ad aras, ut immolaretur, à Diana dicitur fuisse sacerdoti subrepta, ac illius loco cerva supposita. 10 Tempestas in mari Bœotiæ Græcorum classem remoratur. 21 E Græcia ad Trojam 22 Nam unà cum Apolline muros urbis Trojæ ædificavit Neptunus. 23 Et scit, & ait virginis sanguine Dianam esse placandam. 24 Dianæ.

Esse Deæ. Postquam pietatem publica [25] caussa,
[26] Rexque patrem vicit; castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris;
Victa [27] Dea est: nubemq; oculis objecit; & inter
Officium turbamq; sacri, vocesq; precantum,
Supposita fertur mutâsse [28] Mycenida cervâ.
Ergò ubi, qua decuit, lenita est cæde Diana;
Et pariter [29] Phœbus, pariter maris ira recessit:
Accipiunt ventos à [30] tergo mille carinæ:
Multaq; perpessæ [31] Phrygia potiuntur arenâ.
[32] Orbe locus medio est inter terrasq; fretumq;
Cœlestesque plagas, [33] triplicis confinia mundi;
Unde, quod est [34] usquam, quamvis [35] regionibus [36] absit,
Inspicitur; penetratq; cavas vox omnis ad aures.
Fama [37] tenet, summaque domum sibi [38] legit [39] in arce
[40] Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & [41] nullis inclusit limina portis.
Nocte dieq; patent. Tota est ex aure sonanti:
Tota fremit: vocesq; refert: iteratq; quod audit.
Nulla quies intus, nullaq; silentia parte.
Nec tamen est clamor, sed parvæ murmura vocis:
[42] Qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
Esse solent: qualemve sonum, cùm Jupiter atras
[43] Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenent: [44] veniunt lève vulgus, euntq;
Mistaq; cum veris passim [45] commenta vagantur
Millia rumorum: [46] confusaque verba volutant.
E quibus hi [47] vacuas implent sermonibus auras
Hi narrata ferunt alio: [48] mensuraque ficti
Crescit; & auditis aliquid novus adjicit auctor.
[49] Illîc Credulitas, illîc temerarius Error,
Vanaq; Lætitia est, [50] consternatiq; Timores,
Seditioque repens, dubioque auctore Susurri.
[51] Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure videt; totumque [52] inquirit in orbem.

25 Utilitas. 26 Officium regis pietatem & animam patris devicit. 27 Diana placata est. 28 Iphigeniam Mycenæam. *Mycenæ* urbs est Peloponnesi. 29 Dianæ. 30 A puppi. 31 Littore Trojano. 32 Discribit Famæ ædes. 33 In tres partes divisi, cœlum, mare, & terram. 34 Aliquo in loco. 35 Regionum multarum spatio. 36 Distet. 37 Habitat. 38 Elegit. 39 In arcis summitate. 40 Et innumerabiles & infinitos ingressus. 41 Januæ ædium Famæ semper patent, nec unquam clauduntur, cùm nullæ insint portæ [Alii *ex ore* quod non displicet. Virgil. *Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.* Heinsi.] 42 Qualia esse solent murmura ab undis pelagi venientia. 43 Crepare & strepere fecit. 44 Synthesis. 45 Ficta. Sic Virg. 4. Æn. *Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.* 46 Obscura, quæ difficulter percipi possunt. 47 Otiosas. 48 Sic Virg. ibid. *Fama malum, quo non aliud velocius ullum, Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.* 49 Famæ comites enumerat Poëta. 50 Ab effectu, quòd consternatos atque perturbatos homines reddant. 51 Fama omnia, quæcunque in mundo aguntur, videt. 52 De iis, quæ in toto orbe aguntur.

Cygni & Achillis certamen, & Cygnus in avem. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Cùm fama per orbem Grajorum adventus ad expugnandum Ilium isset, & in Troade classes apparuissent; primus in congressu bellantium Protesilaus Iphicli filius ab Hectore est interemtus. Dehinc novissime Cygnus Neptuni filius, qui nullo telo interimi poterat, ab Achille occisus est: cùm enim diu in certamine victoriæ contentio esset, & frustra in eum tela eminus Achilles jaceret, Menete Lycio prius interemto, stricto ense persequens præcipitatum supra saxum eliso gutture pressit. Qui priusquam spoliaretur armis ab eo, Neptunus ejus parens in volucrem ejusdem nominis contulit, ne nominis aboleretur perpetuitas.

[1] FEcerat hæc notum, [2] Graias cum milite forti
Adventare [2] rates: neque inexspectatus in armis
[3] Hostis adest. Prohibent aditu, littusque tuentur
Troës: & Hectoreâ primus fataliter hastâ
[4] Protesilaë [5] cadis: commissaq; prælia magno
[6] Stant Danaïs: [7] fortesque animæ, neque [8] cognitus Hector.
Nec Phryges exiguo, quid [9] Achaïa dextera possit,
Sanguine senserunt & jam Sigæa [10] rubebant
Littora: jam leto [11] proles Neptunia Cygnus
Mille viros [12] dederat. Jam curru stabat [14] Achilles:
Troïaque [15] Peliacæ sternebat cuspidis ictu
Agmina: perque acies aut Cygnum aut Hectora quærens,
Congreditur Cygno. Decimum dilatus in annum

1 Divulgaverat hæc fama. 2 Græcas naves. 3 Hostes adveniunt. 4 Apostrophe. Fuit hic *Protesilaus* Iphicli filius, ac Laodamiæ, Acasti filiæ maritus, qui Græcorum primus in littus Troianum egredi ausus, ab Hectore fuit interfectus. Undè ait in Epist. Laodam. *Sors quoque nescio quem fato designat iniquo, Qui primus Danaum Troada tanget humum. Infelix quæ prima virum lugebis ademtum: Dii faciant, ne tu strenuus esse velis.* 5 Moreris, interficeris. 6 Constant magno pretio: quia fortissimum virum amiserunt. 7 Strenui homines, sc. *constant magno.* 8 Sc. *constat magno.* Q. d. Et Hector non cognitus, magno constat Græcis: si enim cognitus fuisset, facilè illum vitasset Protesilaus. 9 Græcorum vires valeant. 10 Sanguine. 11 Cycnus Neptuni filius, quòd dono patris nullo ferro posset vulnerari, Achillis impetum exspectare ausus est, à quo sæpius hastâ frustrà percussus, cùm ferri acies corpore illius retunderetur, tandem correptus & strangulatus est. Quem cùm Achilles spoliare vellet, arma sine corpore fuisse relicta animadvertit: nam pater Neptunus illum in avem Cygnum jam commutaverat. 12 Occiderat, interfecerat. 14 Pelei & Thetidis filius. 15 Hasta Achillis *Pelias hasta* dicta est, confecta ex arbore in monte Pelio cæsa.

Hector erat. Tum [16] colla jugo candentia pressos
Exhortatus [16] equos, currum direxit in hostem:
Concutiensque suis vibrantia tela lacertis,
Quisquis es, ô juvenis, solatia mortis habeto,
Dixit, ab Hæmonio quod sis jugulatus Achille.
Hactenus [19] Æacides. Vocem gravis hasta secuta est.
Sed quanquam certa nullus fuit error in hasta;
Nil tamen emissi profecit acumine ferri.
[20] Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu;
[21] Nate Dea, (nam te fama prænovimus) inquit
[22] Ille, Quid à nobis vulnus miraris abesse?
(Mirabatur enim) non hæc, quam cernis, [23] equinis
Fulva jubis [24] cassis, nec onus [25] cava parma sinistræ
Auxilio mihi sunt: [26] decor est quæsitus ab istis.
[27] Mars quoque ob hoc capere arma solet. Removebitur omne
Tegminis officium; tamen [28] indestrictus abibo.
Est aliquid, Non esse satum [29] Nereïde, [30] sed [31] qui
Nereaque, & natas, & totum temperat æquor.
Dixit: & hæsurum clypei curvamine telum
Misit in Æaciden: quod & æs, & proxima rupit
[32] Terga novena boum: decimo tamen orbe [33] moratum
Excutit 34 hoc 35 heros: rursusque trementia forti
Tela manu [36] torsit: Rursus sine vulnere corpus,
37 Sincerumq; fuit, nec tertia cuspis apertum,
[38] Et se præbentem valuit 39 destringere Cygnum.
Haud secùs exarsit, quam [40] Circo taurus aperto,
Cùm sua terribili petit irritamina cornu
[41] Pœniceas vestes, [42] elusaque vulnera sentit.
Num tamen exciderit ferrum considerat hastæ.
Hærebat ligno. Manus est mea debilis [43] ergo;
Quasque, ait, antè habuit vires, effudit in uno.
Nam certè valuit, vel cùm 44 Lyrnesia primus
Mœnia disjeci; vel cùm 45 Tenedonque, suoque
[46] Eëtioneas implevi sanguine Thebas;

16 Pressa & onerata jugo colla albentia habentes.
17 Sarcasmus. Annotavimus hunc locum suprà ad vers. 191. Lib. 5.
18 Thessalo.
19 Achilles Æaci nepos, sc. locutus est.
20 Tanquam hebeti & obtuso, non autem acuto
21 O Achille, fili Thetidis Deæ.
22 Cycnus, Neptuni filius.
23 Galearum cristas insigniebant heroes jubis equinis, ut ex Homero & Virgilio discimus.
24 Galea.
25 Concavum scutum.
26 Ornamento mihi sunt, non auxilio.
27 Propter decorum, ut ornatus videatur, non autem ut protegatur.
28 Ne leviter quidem vulneratus.
29 Thetide Nymphâ, Nerei filiâ.
30 Sc. *ex eo.*
31 Neptuni periphrasis.
32 Novem terga & pelles.
33 Retentum, atque remoratum est decimo tergore.
34 Telum.
35 Achilles fortis. 36 Conjecit in Cycnum. 37 Integrum. 38 Et se hastæ opponentem. 39 Vulnerare. 40 Spatioso loco, in quo equi, pugilesque exercitia, & spectacula populo dari solebant. 41 Purpureas stramento aut fœno referas, & in hominum effigies aptatas quibus objectis maximè agrestes tauri in arena irritabantur ad pugnam. [Cavendum autem est, ne quis *Phœniceas* substituendum esse censeat; ut in vulgatis legitur. Nam in *Phœniceus* secunda producitur, ut & in *Phœnices*. *Pœniceus* autem pro *Punicus*. Varro de L. L. lib. IV. *Purpura a purpure maritimo colore. Pœnicum quod a Pœnis primò dicitur allatum.*] 42 Irrita & vana. 43 Affectui & indignationi servit hæc dictio. Indignatur enim Achilles, quòd Cycnus acutâ hastæ cuspide vulnerari non possit. 44 Lyrnessus erat urbs Troadis, undè Briseida rapuit Achilles. 45 Insulam è regione littoris Trojani. 46 Regnavit Thebis Æetion Andromaches pater.

Vel

Vel cùm purpureus populari [47] cæde [48] Caycus
Fluxit; [49] opuſq; meæ bis ſenſit [50] Telephus haſtæ.
Hîc quoque tot cæſis, quorum per littus acervos
Et feci, & video, valuit mea dextra, valetque.
Dixit: &, [51] antè actis veluti malè crederet, haſtam
Miſit in adverſum Lycia de plebe Menœten:
Loricamque ſimul, ſubjectaque pectora rupit.
Quo[52] plangente gravem moribundo vertice terram,
Extrahit illud idem calido de vulnere telum:
Atque ait; Hæc manus eſt, hæc, quâ modo vicimus, haſta.
Utar in hunc [53] îſdem: ſit in hoc precor exitus idem.
Sic fatus, Cygnumque petit, nec [54] fraxinus errat:
Inque humero ſonuit [55] non evitata ſiniſtro.
Indè, velut muro [56] ſolidave à caute, repulſa eſt.
Qua tamen ictus erat, [57] ſignatum ſanguine Cygnum
Viderat, & fruſtra fuerat gaviſus, Achilles.
Vulnus erat nullum: ſanguis fuit ille Menœtæ.
Tum verò præceps curru fremebundus ab alto
Deſilit: & nitido [58] ſecurum cominus hoſtem
Enſe petens, parmam gladio, galeamq; cavari
Cernit; & in duro [59] lædi quoque corpore ferrum.
Haud tulit ulterius: Clypeoque adverſa reducto
[60] Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulſat.
[61] Cedentique ſequens inſtat: turbatque, ruitque.
Attonitoque negat requiem. Pavor occupat illum,
Ante oculoſque [62] natant tenebræ retroque ferenti
Averſos paſſus medio lapis obſtitit arvo.
[63] Quem ſuper impulſum reſupino pectore Cygnum
Vi multa vertit, terræque [64] adflixit Achilles.
Tum, clypeo genibuſq; premens præcordia duris,
Vincla [65] trahit galeæ. Quæ preſſo ſubdita mento
[66] Elidunt fauces; & reſpiramen iterque
Eripiunt animæ. [67] Victum ſpoliare parabat:
Arma relicta videt. Corpus [68] Deus æquoris albam
[69] Contulit in volucrem; cujus modò nomen habebat.

47 Occiſione populi ſui. 48 Fluvius Myſiæ, quam regionem Græci devaſtarunt, ne Trojanis ferre auxilium poſſet. 49 Vulnus, & auxilium. Telephus rex Myſiæ tranſitu prohibiturus Græcos, ad Trojam proficiſcentes, ab Achille vulneratus eſt: vulnus ubi putreſcebat, oraculo conſulto, reſponſum tulit, quærendum eſſe remedum ab eâdem haſtâ. Conciliatus ergo Achilli ærugine cuſpidis ſanatus eſt. De Telephi vulnere Ovid. alibi: *Telephus æterna conſumptus tabe periſſet, Si non, quæ nocuit, dextra tuliſſet opem.* Et Propert. *Myſus & Hæmonia juvenis quâ cuſpide vulnus Senſerat, hac ipſa cuſpide ſenſit opem.* 50 Herculis filius ex Auge Nympha, qui expoſitus, à cerva dicitur fuiſſe educatus, robuſtuſque effectus, Lyciis, vel, ut alii, Myſis imperavit. 51 Cædibus antè factis. 52 Percutiente. 53 Haſta, & manu: alii legunt *idem*, i. e. *ego idem*. 54 Haſta fraxinea. 55 A Cycno. 56 Solido lapide. 57 Inſectum. 58 Cycnum nihil timentem, quia vulnerari non poterat. 59 Hebeſcere. 60 Sæpiùs. 61 Sc. *retrò*. 62 Volitant; attonitus enim nihil proſpicere poterat. 63 Anaſtrophe eſt, pro *ſuper quem*. 64 Proſtravit. 65 Trahens ſtringit. 66 Comprimunt. 67 Cycnum. 68 Neptunus Deus maris, Cycni pater. 69 Convertit in cygnum.

Cæneus in virum invulnerabilem, & deinde in volucrem. Lapitharum cum Centauris pugna. *Fab.* IV, & V.

ARGUMENTUM.

Superato autem Cygno, inter epulas Achilles, cæterique Achivi admirantur corporis duritiem, quòd toties hasta à corpore ejus esset repulsa: quæ admiratio à Nestore sene doctissimo speciosiore exemplo infirmatur. Retulit enim sua ætate Cænin Elatei filiam fuisse, quæ propter pulcritudinem à Neptuno compressa fit; data venia ob injuriam, ut in virum mutata nullo telo interfici posset. Hic cùm Pirithoi Ixionis filii nuptiis interesset, ductâ Hippodamia, & Eurytus inter Centauros vino incitatus in nuptam novam impetum fecisset, cæteri prosiluere Lapithæ atque Centauri, nuptias frequentantes. Ideoque cùm maxima cædes esset exorta, plurimique ex utraque parte ob raptum matronarum concidissent; inviolabilis iste restabat. Ab universis, qui ex cæde reliqui fuerunt, novissime impetu facto, congestisque in eum arborum truncis, spiritum reddere coactus est. Tamen illius non immemor Deus Neptunus, à quo speciosum munus acceperat, eum in volucrem transfiguravit.

[1] Hic labor, hæc requiem multorum pugna dierum
Attulit: & positis pars utraque substitit armis.
Dumque vigil Phrygios servat custodia muros;
Et vigil [2] Argolicas servat custodia [3] fossas:
Festa dies aderat; quâ Cygni victor Achilles
Pallada vittatæ placabat sanguine [4] vaccæ.
Cujus ut imposuit [5] prosecta calentibus aris;
Et Dîs [6] acceptus penetravit in æthera [7] nidor;
[8] Sacra tulêre suam: [9] pars est data cætera mensis.
Discubuêre [10] toris proceres; & corpora tostâ

1 Descripturus Poëta duplicem Cænei mutationem, (nam ex fœmina in virum, & ex viro in avem est mutatus) sacrificia convivia que Græcorum Principum, præliumque Lapitharum cum Centauris in Pirithoi nuptiis prænarrat. 2 Græcas. 3 Castrorum. 4 [Victimas vittis cingi notissimum. Statius *Vittatâ genitrix placata Juvenca est.*] 5 Prosectas hostiarum carnes. 6 Gratus. 7 Odor propriè tostarum carnium. Ita Homer. Iliad. α. Κνίσση δ' οὐρανὸν ἷκεν, &c. 8 Sacrificia suam habuêre portionem. 9 Homer. Iliad. α. Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα, &c. 10 In lectis stratis: veteres enim tribus lectis discumbebant.

Carne replent: vinoque levant curasque, sitimque.
Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longaque [11] multifori delectat tibia buxi:
Sed noctem sermone trahunt: [12] virtusq; loquendi
Materia est. Pugnas referunt hostisq; suamq;
Inque vices adita atque [13] exhausta pericula sæpe
Commemorare juvat. Quid enim loqueretur Achilles?
Aut quid apud magnum potiùs loquerentur Achillem?
Proxima præcipuè domito victoria Cygno
In sermone fuit. Visum mirabile cunctis;
Quòd juveni corpus nullo penetrabile telo,
[14] Invictumque ad vulnera erat, ferrumque [15] terebat.
Hoc ipsum Æacides, hoc mirabantur [16] Achivi.
Cùm sic Nestor ait: Vestro fuit unicus ævo
Contemtor ferri, nulloque [17] forabilis ictu
Cygnus. At ipse olim patientem vulnera mille
Corpore non læso [18] Perrhæbum Cænea vidi:
Cænea [19] Perrhæbum; qui factis [20] inclytus [21] Othryn
Incoluit: quoque id mirum magis esset in illo;
Fœmina natus erat. Monstri novitate moventur,
Quisquis adest: narretque rogant: quos inter Achilles,
Dic ego, (nam cunctis eadem est [22] audire voluntas)
O [23] facunde senex, ævi prudentia nostri;
Quis fuerit Cæneus, cur in [24] contraria versus;
Qua tibi militiâ, cujus certamine pugnæ
Cognitus; à quo sit victus, si [25] victus ab ullo est.
Tum senior: Quamvis obstet mihi tarda vetustas;
[27] Multaque me fugiant primis spectata sub annis;
Plura tamen memini: nec, quæ magis hæreat illa,
Pectore res nostro est, inter bellique [28] domiq;
Acta tot. Ac si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere; Vixi
Annos bis centum: nunc [29] tertia vivitur ætas.

11 Multa foramina habentis. Hæc autem oblectamenta otiosorum & delicatorum sunt, non fortium atque bellicosorum. 12 Fortitudo. 13 Ex pugnata, ac superata. 14 Et insuperabile atque expers vulneris erat. 15 Hebetabat, retundebat. 16 Græci. 17 Penetrabilis. 18 Cænis Elati Lapithæ filia fuit, cui Neptunus cum vim intulisset, optionem ei concessit, ut quicquid vellet peteret, se enim omninò concessurum. Puella in virum fortissimum transmutari qui à nullo vulnerari posset, petiit. Id illi concessit Neptunus, Cæneusque vocatus, nulli Deorum neque sacrificabat neque supplicabat, sed suæ tantum hastæ, cui etiam peregrinos ad se venientes sacrificare cogebat. Quâ impietate iram Jovis in se concitavit. Nam in pugnâ à Centauris in nuptiis Pirithoi excitatâ, multos hostium cùm interfecisset, neque ipse cujusquam ferro vulnerari posset, à Centauris tandem, conjectis arboribus, fuit oppressus, atque à Neptuno in avem mutatus. 19 Sunt Perrhæbi Thessaliæ populi. 20 Præclarus. 21 Thessaliæ montem. 22 Audiendi. 23 Nestor, qui tria sæcula vixisse dicitur, fuit Græcorum facundissimus. Homer. Iliad. α. Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. 24 Ex fœminâ in virum mutatus. 25 Benè dubitat Achilles, an ab ullo sit victus Cæneus, cum invulnerabilis esset. 26 Quamvis memoriam meam senectus impediat, multorumque sim oblitus, plura tamen recordor. 27 Et multorum, sim oblitus. 28 Et pacis. 29 Tertium sæculum. Vide quæ modo diximus supra ad vers. 178.

Clara decôre fuit proles [30] Elateïa Cænis
[31] Thessalidum virgo pulcherrima; perque propinquas,
Perque tuas urbes (tibi enim [32] popularis, Achille)
[33] Multorum frustra votis optata procorum.
Tentâsset Peleus thalamos quoque forsitan illos;
Sed jam aut contigerant illi connubia [34] matris;
Aut fuerant promissa, tuæ. Nec Cænis in ullos
Denupsit thalamos: [35] secretaque littora carpens
[36] Æquorei vim passa Dei est. [37] Ita Fama ferebat.
Utque novæ Veneris Neptunus gaudia cepit;
[38] Sint tua vota licet, dixit, [39] secura repulsa;
Elige quid [40] voveas. Eadem hoc quoque Fama ferebat.
Magnum, Cænis ait, [41] facit [42] hæc injuria votum,
Tale pati jam posse [43] mihi. Da fœmina ne sim:
Omnia [44] præstiteris. [45] Graviore novissima dixit
Verba sono: poteratque viri vox illa videri:
Sicut erat. Nam jam voto Deus [46] æquoris alti
[47] Annuerat: [48] dederatque super; ne saucius ullis
Vulneribus fieri, ferrove occumbere posset.
Munere lætus abit: studiisque virilibus ævum
Exigit [49] Atracides, Peneïaque [50] arva pererrat.
[51] Duxerat Hippodamen [52] audaci Ixione [53] natus:
[54] Nubigenasque [55] feros, positis ex ordine mensis,
Arboribus tecto discumbere jusserat antro.
[56] Hæmonii proceres aderant; aderamus & ipsi:
Festaque [57] confusa resonabat regia turbâ.
Ecce canunt [58] Hymenæon: & [59] ignibus atria fumant:
[60] Cinctaque adest virgo matrum nuruumque catervâ,
Præsignis facie. [61] Felicem diximus illâ

30 Vide supra ad vers. 172.
31 Thessalarum.
32 Ex eodem, quo tu, ô Achille, populo fuit.
33 Nulli enim nubere unquam voluit.
34 Thetidis.
35 Et per secreta littora ambulans.
36 Neptuni maris Dei.
37 Sic dicebatur ab omnibus, Cænim à Neptuno fuisse compressam.
38 Secure potes omnia, quæcunque vis, optare: nullam enim feres repulsam.
39 Nullam timentia repulsam.
40 Optes.
41 Efficit, ut magna petere audeam.
42 Quâ mihi virginitatem eripuisti.
43 Talem violentiam ne pati possim, concede.
44 Videberis mihi præstitisse.
45 Majori voce: jam enim in marem fuerat mutata. Marium enim voces, quam fœminarum, solent esse graviores. 46 Maris profundi. 47 Concesserat id, quod optaverat. 48 Et insuper concesserat. 49 Cæneus ita dictus ab Atrace urbe Thessaliæ non procul à fluvio Peneo. 50 Per quæ Peneus fluvius labitur. 51 Pirithous, Ixionis filius, Hippodamiam uxorem duxit, ad cujus nuptias Centauros, Lapithasque invitavit. Sed Centauri, imprimisque Eurytus, vino calens, vim novæ nuptæ afferre cum vellet, maximam excitavit pugnam: in qua cùm multi utrimque cecidissent, Lapithæ tandem superiores evaserunt. 52 Ixion audax dicitur, quod Junonem de stupro appellare ausus fuerit. Jupiter verò, re cognita, objecit ei nubem Junoni similem, ex quâ Centauri nati esse feruntur, caput quidem humanum, pedes verò equinos habentes. Vide quæ de pœna Ixionis diximus ad Lib. IV. vers. 461. 53 Pirithous, Ixionis filius. 54 Vide versum superiorem. 55 Feroces. 56 Thessali Principes. 57 Variorum populorum. 58 Carmen nuptiarum. Hymen nuptiarum præses: de quo sæpius supra. 59 Thure aris injecto: in nuptiis enim erant exstructæ aræ, & sacra fiebant. 60 Circumdata multitudine matronarum. 61 *Signatæ tabulæ, dictum feliciter.* Juvenal.

Conjuge Pirithoum: quod pænè [62] fefellimus omen.
Nam tibi, sævorum sævissime Centaurorum
Euryte, quàm vino pectus, tam [63] virgine visa
Ardet: & ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus eversæ turbant convivia mensæ:
Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis.
[64] Eurytus Hippodamen, alii, quam quisque probarant,
Aut poterant, rapiunt: captæque erat urbis imago.
Fœmineo clamore [66] sonat domus. Ocyùs omnes
Surgimus: & primus, [67] Quæ te vecordia, Theseus,
Euryte, [68] pulsat, ait; qui me vivente [69] lacessas
Pirithoum, violesque [70] duos ignarus in uno?
Neve ea magnanimus frustra memoraverit heros;
[71] Submovet instantes: raptamque [72] furentibus aufert.
[73] Ille nihil contrà: neque enim defendere verbis
Talia facta potest: sed [74] vindicis ora protervis
Insequitur manibus, generosaque pectora pulsat.
Fortè fuit juxtà signis [75] exstantibus asper
[76] Antiquus crater, quem [77] vastum vastior ipse
Sustulit [78] Ægides; adversaque misit in ora.
Sanguinis ille [79] globos pariter, cerebrumque, merumque,
Vulnere & ore vomens, madida resupinus arenâ
[80] Calcitrat. Ardescunt germana cæde [81] bimembres:
Certatimque omnes uno ore, Arma, arma, [82] loquuntur.
[83] Vina dabant animos: & primâ pocula pugnâ
Missa volant, [84] fragilesque cadi, curvique lebetes:
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus, aptæ.
Primus [85] Ophionides Amycus [86] penetralia donis
Haud timuit spoliare suis; & primus ab æde
[87] Lampadibus densum rapuit funale coruscis:
Elatumque altè, veluti qui candida tauri,
Rumpere [88] sacrifica molitur colla securi,
[89] Illisit fronti Lapithæ Celadontis: & ossa
Non cognoscendo confusa reliquit [90] in ore.
Exsiluêre oculi; [91] disjectisque ossibus oris
Acta retro naris, medioque infixa palato est.
Hunc pede convulso mensæ [92] Pellæus [93] acernæ

62 Falsum effecimus propter eam, quæ secuta est, rixam. 63 Hippodamiâ.
64 Sc. *rapiebat*.
66 Resonat, strepit.
67 Theseus partes Pirithoi suscipit, cui amicitiâ tantâ conjunctus erat, ut inter paria amicorum primi numerarentur.
68 Vexat.
69 Ad iram provoces.
70 Erat enim Pirithous Thesei intimè amicus, & quasi alter idem.
71 Repellit.
72 Centauris.
73 Eurytus.
74 Thesei, qui novam nuptam à Centaurorum injuria liberat.
75 Eminentibus.
76 Vetus.
77 Maximum.
78 Theseus Ægei filius.
79 Quid? Ovidiusne novit sanguinem constare ex globulis? Sed rideo. Tu tyro intellige hic prorumpentis cruoris vim.
80 Calcibus terram percutit. 81 Centauri, qui & hominis & equi membra habebant.
82 Clamant.
83 Alibi dicit: *Vina parant animos*.
84 Vasa vinaria, quibus vinum conditur.
85 Ophionis filius. 86 Sacraria, vel interiores ædium partes. 87 Lucernis coruscantibus & lucentibus. 88 Sacrificiis dicatâ. 89 Intorsit, cum impetu misit. 90 In facie, quæ propter omnium confusionem cognosci non poterat. 91 Divisis, dissipatis. 92 Pella urbs est Macedoniæ. 93 Ex acere confectæ.

94 Stravit

[94] Stravit humi Belates, dejecto in pectora mento:
Cumque atro miſtos [95] ſputantem ſanguine dentes,
Vulnere Tartareas geminato [96] mittit ad umbras.
Proximus ut ſteterat, ſpectans altaria vultu
Humida terribili, Cur non, ait, utimur iſtis?
Dumque ſuis Gryneus [97] immanem ſuſtulit aram
Ignibus, & medium Lapitharum jecit in agmen:
Depreſſitque duos, Brotean & Orion: Orio
Mater erat Mycale: quam deduxiſſe [98] canendo
Sæpe reluctanti conſtabat cornua Lunæ.
Non impunè feres, teli modo copia detur,
Dixerat Exadius. Telique habet inſtar, in altâ
Quæ fuerant pinu, votivi [99] cornua cervi.
[100] Figitur huic duplici Gryneus in lumina [101] ramo:
Eruiturque oculos. Quorum pars cornibus hæret:
Pars fluit in barbam; concretaque ſanguine pendet.
Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris
[102] Primitium torrem: dextraque à parte Charaxi
Tempora perfringit fulvo protecta capillo.
Correpti rapida, veluti ſeges arida, flammâ
Arſerunt crines: & vulnere ſanguis inuſtus
Terribilem ſtridore ſonum [103] dedit; ut dare ferrum
Igne [104] rubens plerumque ſolet, quod forcipe curvâ
Cùm faber [105] eduxit, [106] lacubus demittit. At illud
Stridet: & in repida ſubmerſum [107] ſibilat undâ.
Saucius hirſutis avidum de crinibus ignem
Excutit: inque humeros limen tellure revulſum
Tollit, [108] onus plauſtri: quod nè [109] permittat in hoſtem,
[110] Ipſa facit gravitas. Socium quoque [111] ſaxea moles
Oppreſſit ſpatio ſtantem propiore Cometem.
[112] Gaudia nec retinet Rhœtus: Sic comprecor, inquit,
Cætera ſit fortis caſtrorum turba tuorum;
[113] Semicremoque novat repetitum ſtipite vulnus:
[114] Terque quaterque gravi juncturas [115] verticis ictu
Rupit: & in liquido [116] ſederunt oſſa cerebro
Victor ad Evagrum, Corythumque, Dryantaque tranſit.
E quibus ut prima [117] tectus [118] lanugine malas
Procubuit Corythus; Puero quæ gloria [119] fuſo
Parta tibi eſt? Evagros ait. Nec dicere Rhœtus

Plura

94 Proſtravit.
95 Exſpuentem.
96 Interficit. Sic & alibi: *Mittere me Stygias ſi jam voluiſſet ad undas Cæſar, in hoc veſtrâ non eguiſſet ope.*
97 Maximam.
98 Incantando: ergo Mycale fuit Theſſala venefica.
99 Arripit Exadius cornua cervi, Dianæ devota, è pinu, in qua fixa erant.
100 Lumina figuntur, i. oculi eruuntur.
101 Ramoſis cornibus cervi.
102 Præcipuæ magnitudinis.
103 Edidit, emiſit.
104 Candens.
105 Extraxit ex igne.
106 In lacus.
107 Sibilare videtur.
108 Magnitudinem ſaxi oſtendit.
109 Immittat, jaciat.
110 Ipſum pondus.
111 Saxi, magnitudo.
112 Rhœtus præ ſe fert lætitiam de Cometæ morte conceptam.
113 Semicremato.
114 Sæpius. Numerus finitus pro infinito. 115 Capitis. Pars pro toto. 116 Depreſſa fuerunt, deſcenderunt in cerebrum.
117 Tecta & coopertas habens maxillas.
118 Barbâ.
119 Strato, interfecto.

Plura finit: rutilasque ferox in aperta loquentis
[120] Condidit ora viri, perque os in pectora, flammas.
Te quoque, sæve Drya, circum caput igne rotato,
Insequitur: [121] sed non in te quoque constitit idem
Exitus. Assiduæ successu cædis ovantem,
Qua juncta est humero cervix, [122] sude figis obustâ.
Ingemuit, duroque sudem vix osse revellit
Rhœtus; & ipse suo madefactus sanguine fugit.
Fugit & Orneus, Lycabasque, & saucius [123] armo
Dexteriore Medon, & cum Pisenore Thaumas,
Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeros; accepto nunc vulnere tardiùs ibat:
Et Pholus, & Melaneus & Abas prædator aprorum:
Quique [124] suis frustra bellum dissuaserat augur
Astylos. Ille etiam metuenti vulnera Nesso,
Ne fuge; ad [125] Herculeos, inquit, servaberis arcus.
At non Eurynomus, Lycidasque, & Arêos, & Imbreus
Effugêre necem: quos omnes dextra Dryantis
[126] Perculit adversos. Adversum tu quoque, quamvis
Terga fugæ dederas, vulnus, Crenæe, tulisti.
Nam grave [127] respiciens inter duo lumina ferrum,
Quà naris fronti [128] committitur, accipis, [129] imæ.
In tanto fremitu [130] ductis sine fine jacebat
Sopitus vinis, & inexperrectus [131] Aphidas:
Languentique manu [132] carchesia mista tenebat,
Fusus in [133] Ossææ villosis pellibus [133] ursæ.
Quem procul ut vidit frustra nulla arma moventem,
Inserit [134] amento digitos, Miscendaque, dixit,
[135] Cum Styge vina bibas, Phorbas. Nec plura moratus
In juvenem torsit jaculum: ferrataque collo
[136] Fraxinus, ut casu jacuit resupinus, adacta est.
[137] Mors caruit sensu: plenoque è gutture fluxit,
Inque [138] toros, inque ipsa niger carchesia sanguis.
Vidi ego Petræum conantem evellere terrâ
Glandiferam quercum: quam dum complexibus ambit;
Et quatit huc illuc, [139] labefactaque robora jactat,

120 Conjecit. 121 Nam Dryas Centauros, ipsumque imprimis Rhœtum in fugam convertit. 122 Præusto palo. 123 Humero. 124 Centauris. 125 Nam Nessus, cùm Deïaniræ, Herculis uxori, vim afferre vellet, ab Hercule ipso sagittâ, Hydræ veneno tinctâ transfixus est. 126 Percussit. 127 Fugiens igitur accepit vulnus. 128 Conjungitur. 129 Infimæ frontis parti. 130 [Sine fine haustis. Seneca Thyeste *Satur est, capaci ducit argento merum.*] 131 Alii legunt *Aphypnas.* Quis vero neget Poëtam Græca voce ad somniculosum hominem allusisse. 132 Vas vinarium. 133 In Ossa monte natæ, aut captæ. 134 Loro, quo jaculatores utuntur, ut longius hastas emittant. 135 Cum aqua Stygis paludis. 136 Hasta ex fraxino præfixa ferro. 137 Sopitus enim ac ebrius erat. 138 Lectum & ursæ pellem, aut etiam in pulpas pectoris, sive armos: ut de anteriore parte Centauri intelligatur. Sed primus sensus potior videtur. 139 Labefactam quercum.

140 Per costas.
141 Retinentia.
142 Fortitudine.
143 Gloriam.
144 Centauri nomen.
145 Quod per media tempora penetravit.
146 Præcipiti, & altò montis vertice.
147 Pirithoum.
148 Suisque ilibus cooperuit fractam ornum.
149 Mittere nitentem.
150 Antè aggreditur.
151 Theseus.
152 Propter brachium fractum.
153 Otium habet.
154 Se ipsum.
155 Clava nodis plena, vel è robore nodoso.
156 Longâ.
157 Eminentem.
158 Ulteriùs.
159 Dumeto. Sic Lib. 1. *Motos in arundine ventos*, i. in arundineto.
160 Conatu.
161 Refugit.
162 Se à Pallade admonitum fuisse Theseus credi volebat.
163 Avellet.
164 Significat Crantorem Peleo obsidem ab Amyntore fuisse datum.
165 Dissipatum.
166 Indignatione.
167 Quas n. ira dabat.
168 Costas, quæ ita compositæ sunt, ut cratem efficere videantur.

Lancea Pirithoi [140] costis immissa Petræi
Pectora cum duro [141] luctantia robore fixit.
Pirithoi [142] virtute Lycum cecidisse ferebant:
Pirithoi cecidisse Chromin. Sed uterque minorem
Victori [143] titulum, quàm [144] Dictys, Helopsque dederunt.
Fixus Helops jaculo, [145] quod pervia tempora fecit;
Et missum à dextra lævam penetravit in aurem:
Dictys ab [146] incipiti delapsus acumine montis,
Dum fugit instantem trepidans [147] Ixione natum,
Decidit in præceps: & pondere corporis ornum
Ingentem fregit; [148] suaq; induit ilia fractæ.
Ultor adest Aphareus: saxumque è monte revulsum
Mittere conatur. [149] Conantem stipite querno
[150] Occupat [151] Ægides, cubitique ingentia frangit
Ossa: nec ulteriùs dare corpus [152] inutile leto
Aut [153] vacat, aut curat: tergoq; Bianoris alti
Insilit, haud solito quenquam portare, nisi [154] ipsum:
Opposuitque genu costis: prensamque sinistrâ
Cæsariem retinens, vultum, minitantiaque ora
[155] Robore nodoso, præduraque tempora, fregit.
Robore Nedymnum, jaculatoremque Lycotan
Sternit, & [156] immissa protectum pectora barbâ
Hippason, & summis [157] exstantem Riphea silvis;
Tereaque, Hæmoniis qui prensos montibus ursos
Ferre domum vivos, indignantesque solebat.
Haud tulit utentem pugnæ successibus [158] ultrà
Thesea Demoleon: solidoque revellere [159] dumo
Annosam pinum magno [160] molimine tentat.
Quod quia non potuit, præfractam misit in hostem.
Sed procul à telo Theseus veniente [161] recessit,
Pallados admonitu. [162] Credi sic ipse volebat.
Non tamen arbor iners cecidit: nam Crantoris alti
[163] Abscidit jugulo pectusque humerumque sinistrum.
Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille:
Quem Dolopum rector bello superatus Amyntor
Æacidæ dederat [164] pacis pignusque fidemq;
Hunc procul ut fœdo [165] disjectum vulnere Peleus
Vidit, At inferias, juvenum gratissime Crantor,
Accipe, ait. Validoque in Demoleonta lacerto
Fraxineam misit, [166] mentis quoque [167] viribus, hastam.
Quæ [168] laterum cratem perrumpit: & ossibus hærens

Intre-

Intremuit. Trahit ille manu sine cuspide lignum:
Id quoq; vix sequitur. Cuspis pulmone retenta est.
Ipse dolor vires animo dabat. [169] Æger in hostem
[170] Erigitur : pedibusque [171] virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galea clypeoque sonantes.
Defensatque humeros : prætentaque sustinet arma :
Perque armos uno [172] duo pectora perforat ictu.
Ante tamen leto dederat Phlegræon, & Hylen
Eminus: Hiphinoum [173] collato Marte, Claninque.
Additur his Dorylas: qui tempora tecta gerebat
Pelle lupi, sævique vicem præstantia teli
[174] Cornua vara boum multo rubefacta cruore.
Huic ego, nam vires animus dabat, Aspice, dixi,
[175] Quantum concedant nostro tua cornua ferro:
Et jaculum [176] torsi. Quod cùm vitare nequiret,
Opposuit dextram passuræ vulnera fronti.
Affixa est cum fronte manus. Fit clamor : at illum
[177] Hærentem Peleus, & acerbo vulnere victum
(Stabat enim propior) mediam ferit ense sub alvum.
Prosiluit, [178] terraque ferox sua [179] viscera traxit :
Tractaque calcavit : calcataque rupit : & illis
Crura quoque impediit ; & inani concidit alvo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, [180] forma [181] redemit,
Si modo [183] naturæ formam concedimus illi.
Barba erat incipiens : barbæ color [182] aureus : aureaque
Ex humeris medios coma dependebat in armos.
Gratus in ore vigor : cervix, humerique, manusque,
Pectoraque artificum [184] laudatis proxima signis;
Et qua parte viri est : neque equi [185] mendosa sub illa
Deteriorque viro facies. [186] Da colla, caputque ;
Castore dignus erit. Sic tergum [187] sessile, sic stant
Pectora [188] celsa [189] toris: totus pice nigrior atrâ.
Candida cauda tamen: color est quoque cruribus albus.
Multæ illum [190] petiêre [191] sua de gente ; sed una
[192] Abstulit [193] Hylonome : qua nulla decentior inter

169 Indignatus & vulneratus.
170 Concitatur.
171 Peleum.
172 Et equi & hominis : erat enim Demoleon Centaurus.
173 Cominus & ense percutiens.
174 Panda, aperta.
175 Quanto sint inferiora nostro ense.
176 Cum impetu jeci.
177 Attonitum.
178 Per terram.
179 Intestina.
180 Pulchritudo.
181 Servavit, liberavit à cæde.
182 Fulvus.
183 Siquidem formæ laus in Centauream cadat naturam. Centauri enim, cùm sint ex parte homines, non videntur esse posse formosi.
184 Statuis non vulgaribus, sed approbatis simillima.
185 Turpis.
186 Quod si adderes collum & caput equinum, dignus foret equus quo Castor veheretur.
187 Latum, aptumque ad sedendum.
188 Eminentia, alta.
189 Propter toros, & eminentes carnes.
190 Appetiverunt.
191 Centaurorum genere.

192 Habuit, potita est. 193 Id est sylvam depascens.

[194] Semiferos altis habitavit fœmina silvis.
Hæc & blanditiis, & amando, & amare fatendo
Cyllaron una tenet. [195] Cultus quoque quantus in illis
Esse potest membris; ut sit coma pectine lævis:
Ut modò [196] rore maris, modò se violave rosave
Implicet: interdum [197] candentia lilia gestet:
Bisque die lapsis [198] Pagasææ vertice silvæ
Fontibus ora lavet: bis flumine corpora tingat.
Nec, nisi quæ deceant electarumque ferarum
Aut humero, aut lateri [199] prætendat [200] vellera [201] lævo.
Par amor est illis: [202] errant in montibus unà.
Antra simul subeunt, & tum [203] Lapitheïa tecta
Intrarant pariter; pariter fera bella gerebant.
[204] Auctor in incerto est: jaculum de parte sinistrâ
Venit; & inferius, quam collo pectora subsunt,
Cyllare, te fixit: parvo cor vulnere læsum
Corpore cum toto post tela educta [205] refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus:
Impositâque manu vulnus fovet; oraque ad ora
Admovet: atque animæ fugienti obsistere tentat.
Ut videt exstinctum: dictis, quæ clamor ad aures
[206] Arcuit ire meas, telo, [207] quod inhæserat illi,
[208] Incubuit: moriensque suum complexa maritum est.
[209] Ante oculos stat & ille meos: qui sena leonum
[211] Vinxerat inter se connexis vellera nodis
Phæocomes, hominemque simul protectus equumq;
[212] Codice qui misso, quem vix [213] juga bina [214] moverent
Juncta, [215] Phonolenidana summo vertice fregit.
Fracta [216] volubilitas capitis latissima: perque os
Perque cavas nares, oculosque, auresque cerebrum
Molle fluit. Veluti concretum [217] vimine querno
Lac solet; utve liquor rari sub pondere cribri
[218] Manat; & exprimitur per densa foramina spissus.
Ast ego, dum parat hunc armis [219] nudare jacentem,
(Scit tuus hoc [220] genitor) gladium spoliantis in ima

194 Centauros. 195 Ornatus. 196 Rore marino, herbâ suavis odoris. 197 Alba. 198 Sylvæ vicinæ Pagasis, urbi Thessaliæ, quæ fontibus abundat, undè & nomen habet: πηγὴ enim *fons* dicitur. 199 Opponat. 200 Pelles. 201 Sinistro. Dextrum enim erat nudum. 202 Vagantur. 203 Domum Pirithoi Lapitharum regis, seu potius antrum, in quo nuptiæ celebrabantur; sic enim supra: *Arboribus tecto discumbere jusserat antro.* 204 Ignoratur quis jaculum miserit. 205 Frigidum factum & extinctum est. 206 Prohibuit, vetuit. 207 Quod in Cyllaro fuerat infixum. 208 Incumbens telo se transfixit. 209 Sensus est, Phæocomes, qui sena vellera leonum vinxerat nodis inter se connexis, etiam nunc videtur mihi ante oculos stare. 211 Colligaverat. 212 Trunco, vel stipite arboris. 213 Sc. equorum.
214 Nedum protraherent. 215 Phonoleni filium. 216 Rotunditas, i. e. caput rotundum. 217 Per foramina fiscellæ è viminibus quernis, vel cribri. 218 Fluit. 219 Spoliare. 220 Peleus. Nam Achillem alloquitur Nestor.

Ilia demisi. Chthonius quoque Teleboasque
Ense jacent nostro. [221] Ramum prior ille bifurcum
Gesserat; hic jaculum. Jaculo mihi vulnera fecit.
[222] Signa vides: apparet adhuc vetus ecce cicatrix.
[223] Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti:
Tunc poteram magni, si non superare, morari,
Hectoris arma meis. Illo sed tempore [224] nullus,
Aut puer, Hector erat. Nunc me mea deficit ætas.
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti;
Ampyca quid referam? qui [225] quadrupedantis Oëcli
Fixit in [226] adverso [227] cornum sine cuspide vultu.
Vecte [228] Pelethronium Macareus in pectus adacto
Stravit Erygdupum: memini & venabula condi
Inguine, Nessëis manibus conjecta, Cymeli.
Nec tu credideris tantùm cecinisse futura
Ampyciden Mopsum. Mopso jaculante biformis
Occubuit, frustraque loqui tentavit Odites,
Ad mentum lingua, mentoque ad guttura fixo.
Quinque neci Cæneus dederat, Styphelumque, Bromumque,
Antimachumque, Helimumque, securiferumque Pyracmon.
Vulnera non memini: numerum, nomenq; notavi.
Provolat [229] Æmathii spoliis armatus Halesi,
Quem [230] dederat leto, membris & corpore Latreus
Maximus, huic ætas inter juvenemque, senemque,
Vis juvenilis erat. [231] Variabant tempora cani.
Qui clypeo, galeâque Macedoniaque [232] sarissâ
Conspicuus, faciemque obversus in agmen utrumque;
Armaque concussit, certumque equitavit in orbem.
Verbaque tot fudit vacuas animosus in auras:
Et te, [233] Cæni, feram? nam tu mihi fœmina semper,
Tu mihi Cænis eris. Nec te natalis origo
Comminuit? mentemque subit, quo præmia facto,
Quaque viri falsam speciem mercede pararis?
[234] Vel quid nata vide, vel [235] quid sis passa: [236] columque,
I, cape cum calathis; & stamina pollice torque:
Bella relinque viris. Jactanti talia Cæneus
Extentum cursu missâ latus [237] eruit hastâ,
Qua vir equo [238] commissus erat. Furit ille dolore:

221 Stipitem duas in partes divisum.
222 Cicatricem vulneris accepti indicat Nestor.
223 Eleganter senis mores exprimuntur. Solent enim senes se laudare.
224 Non. Nomen pro adverbio.
225 Quatuor pedibus currentis: Centaurus enim erat.
226 In opposito ore.
227 Hastam è corno absque ferro.
228 A Pelethrono Thessaliæ monte.
229 Thessali.
230 Interfecerat.
231 Alii enim ex capillis erant albi, alii nigri.
232 Hasta Macedonia, vocatur *Sarissa*.
233 Per contemtum & cum indignatione exprobrat Cæneo concubitum Neptuni, de quo supra vers. 195. Q. d. Nequaquam patiar te meos socios interficere. *Cæneum* autem per contemtum *Cænim* vocat, ac si adhuc fœmina esset.
234 Nempe fœmina nata es.
235 Neptuni enim vim passa es.
236 Instrumentum, quo mulieres filant.
237 Aperuit.
238 Conjunctus.

Nudaque [139] Phyllêi juvenis ferit ora sarissâ.
Non secùs hæc resilit, quàm tecti à culmine grando:
Aut si quis parvo feriat cava tympana saxo.
[240] Cominus aggreditur: laterique recondere [241] duro
[242] Luctatur gladium. Gladio loca pervia non sunt.
Haud tamen effugies: medio jugulaberis ense,
Quandoquidem [243] mucro est hebes, inquit; & in latus ensem
[244] Obliquat: longaq; amplectitur ilia dextrâ.
Plaga facit [245] gemitus, ceu [246] corpore marmoris icti:
Fractaque dissiluit percusso lamina collo.
Ut satis illæsos miranti [247] præbuit artus;
Nunc age, ait Cæneus, Nostro tua corpora ferro
Tentemus. Capuloque tenus dimisit in armos
Ensem [248] fatiferum: [249] cæcamque in viscera movit,
Versavitq; manum: [250] vulnusq; in vulnere fecit.
Ecce ruunt vasto rabidi de more bimembres:
Telaque in hunc omnes unum mittuntque, feruntque.
Tela retusa cadunt. Manet imperfossus ab omni,
[251] Inq; cruentatus Cæneus Elateius ictu.
Fecerat attonitos [252] nova res. Heu dedecus ingens!
Monychus exclamat: Populus superamur ab uno,
Vixque viro. Quanquam ille [253] vir est: nos [254] segnibus actis,
[255] Quod fuit ille, sumus. Quid membra immania prosunt?
Quid geminæ vires? quid quod fortissima rerum
In nobis natura duplex [256] animalia junxit?
Nec nos [257] matre Deâ, nec nos Ixione natos
Esse reor; qui [258] tantus erat, Junonis ut altæ
[259] Spem caperet. Nos [260] semimari superamur ab hoste.
Saxa, trabesque super, totosque involvite montes:
Vivacemque animam [261] missis [262] elidite silvis:
Silva premat fauces: & erit pro vulnere pondus.
Dixit: & [263] insani dejectam viribus Austri
Forte [264] trabem nactus, [265] validum conjecit in hostem.

239 Cænei, Thessali. *Phyllos* est oppidum Thessaliæ.
240 Ense invadit Cæneum: quod, nisi propiùs accederet, facere non poterat.
241 Impenetrabili.
242 Conatur.
243 Cuspis est obtusa.
244 Obliquo ictu mittit.
245 Strepitus.
246 Tanquam marmore percusso. Erat enim Cæneus invulnerabilis.
247 Exhibuit.
248 Mortiferum.
249 Occultam, coopertam.
250 Nam cùm jam vulnus fecisset, manum versando alia vulnera faciebat.
251 Tmesis. Dicitur enim pro *Incruentatus*.
252 Novum miraculum.
253 Validus atque robustus. Correctio superioris dicti.
254 Ignavis factis.
255 Fœminæ. Nam Cæneus anteà fœmina fuerat.
256 Hominem & equum.
257 Junone. Nube potius, Ixioni pro Junone supposità.
258 Tam magnanimus. 259 Sc. *potiunda*. Hujus rei meminit Tibullus lib. 1. *Illic Junonem tentare Ixionis ausi Versantur celeri noxia membra rotâ.* 260 Semiviro. 261 Injectis sylvarum arboribus. 262 Opprimite, exprimite. 263 Maximis, furibundis. Sunt qui *insani* legunt. 264 Arborem. 265 Potentem, ut qui ferro vulnerari non poterat.

266 Ex-

[266] Exemplumque fuit; parvoque in tempore nudus
Arboris Othrys erat: [267] nec habebat Pelion umbras.
[268] Obrutus immani cumulo, sub pondere Cæneus
[269] Æstuat arboreo: congestaque robora duris
Fert humeris. Sed enim postquam super ora caputq;
Crevit onus; [270] neque habet, quas ducat, spiritus auras;
[271] Deficit interdum: modò se [272] super aëra frustra
[273] Tollere conatur, jactasq; [274] evolvere silvas.
Interdumque movet. Veluti quam cernimus [275] ecce,
Ardua si terræ quatiatur motibus Ide.
[276] Exitus in dubio est. Alii sub inania corpus
Tartara detrusum [277] silvarum mole ferebant.
[278] Abnuit [279] Ampycides: medioque ex aggere [280] fulvis
Vidit avem pennis liquidas exire sub auras:
Quæ mihi tunc primùm, tunc est conspecta supremum,
Hanc ubi [281] lustrantem leni sua castra volatu
Mopsus, & ingenti circùm clangore sonantem
Adspexit, pariterque oculis animoque secutus;
O salve, dixit, Lapithææ gloria gentis,
Maxime vir quondam, sed avis nunc [282] unica, Cæneu.
[283] Credita res auctore suo est. Dolor addidit iram:
Oppressumque [284] ægrè tulimus tot ab hostibus unum.
Nec priùs [285] abstitimus ferrum [286] exercere cruore
Quàm data pars leto, partem fuga noxque diremit.

266 *Exemplum* propriè est res, quæ nobis imitanda vel fugienda proponitur. Ille autem, in quò est aliquid imitandum, vel fugiendum, dicitur *exemplar*, i.e. â quo sumitur: unde illud contentum est, hoc verò continens. Fuit ergo Monychus *exemplum* aliis Centauris, ut in Cæneum arbores conjicerent. Aliquando sumitur pro gravi pœna, quæ potest cæteris documento esse, ne peccent. Ter. *Uterque in te exempla edent.* *Exemplum* etiam dicitur, quod in oratione adhibetur rei aut probandæ, aut ordinandæ gratiâ. 267 Sicuti mons Othrys, ita & Pelion, Thessaliæ mons, arboribus quoque spoliatus erat. 268 Oppressus maximâ lignorum congerie. 269 Angitur, anhelat. 270 Nec respirare potest. 271 Deficere, i. mori videtur. 272 Ad. 273 Erigere. 274 Excutere. 275 Hoc adverbio significat se digito ostendere Idam Phrygiæ montem. 276 Mors Cænei in dubio est. Nam alii mortuum esse contendunt, alii in aquilam mutatum. 277 Arborum pondere. 278 Negat. 279 Mopsus. Supra, vers. 456. 280 In aquilam Cæneum fuisse mutatum innuit Poëta. 281 Circumvolantem. 282 Sola, singularis. 283 Creditus est Cæneus in aquilam fuisse mutatus Mopso auctore. 284 Indignati sumus. 285 Destitimus. 286 Sævire in Centauros ob dolorem de Cænei morte conceptum.

Pericly-

Periclymenus in aquilam, & ab Hercule interfectus. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Periclymenus à Neptuno accepta poteſtate, ut ſe in varias figuras tranſverteret, cùm adverſus Herculem dimicaſſet, & eum varietate formarum vellet eludere, in aquilam transformatus eſt: quam ille advolantem ſibi, & in altitudinem ſe aëris efferentem, noviſſime ſagitta trajectam interemit.

HÆc inter Lapithas, & ſemihomines Centauros
Prælia [1] Tlepolemus [2] Pylio referente dolorem
[3] Præteriti Alcidæ tacito [4] non pertulit ore:
Atque ait; [5] Herculeæ mirum eſt [6] oblivia laudis
Acta tibi, ſenior. Certè mihi ſæpe referre
[7] Nubigenas [8] domitos à ſe pater ipſe ſolebat.
[9] Triſtis ad hæc Pylius: Quid me meminiſſe malorum
Cogis; & obductos annis reſcindere luctus?
Inque tuum genitorem odium, [10] offenſaſque fateri?
Ille quidem [11] majora fide (Dî) geſſit; & orbem
Implevit meritis; quod mallem poſſe negari:
[12] Sed neque [13] Deiphobum, nec [14] Pulydamanta, nec ipſum
Hectora laudamus. Quis enim laudaverit hoſtem?
Ille tuus genitor [15] Meſſènia mœnia quondam
Stravit: & immeritas urbes [16] Elinque, [17] Pylonque
Diruit: inque meos ferrum flammamq; penates
Impulit. Utque alios taceam, quos ille peremit;
[18] Bis ſex Nelidæ fuimus conſpecta juventus:
Bis ſex Herculeis ceciderunt, [19] me minus uno,
Viribus. Atque alios vinci potuiſſe ferendum eſt.
Mira [20] Periclymeni mors eſt: cui poſſe figuras
Sumere quas vellet, rurſuſque [21] reponere ſumtas
Neptunus dederat, Nelei ſanguinis auctor.

1 Herculis filius.
2 Neſtore ita dicto, à Pylo, oppido Meſſeniæ, in quo natus eſt: Λιγὺς πυλίων ἀγορητής. Homer. Iliad. α.
3 Prætermiſſi Herculis, patris ſui.
4 Non eſt paſſus.
5 Herculis.
6 Oblivionem eſſe factam.
7 Centauros nube genitos.
8 Devictos.
9 Neſtor mœſtus: quòd & ſe à Tlepolemo notari videret, & ea commemorare cogeretur, quæ ſibi luctus cauſa fuerant.
10 Injurias quibus me affecit.
11 Majora, quam credi debeat.
12 Hoſtes non eſſe laudandos colligit Neſtor.

13 Priami filium. 14 *Polydamas* unus è Principibus Trojanis fuit fortiſſimus: ſic vocatus, quod *multos domaret*. 15 *Meſſene* eſt Siciliæ urbs & Arcadiæ. 16 *Elis* urbs eſt Arcadiæ juxtà Olympiam. 17 Meſſeniæ urbem. Supra, v. 537. 18 Duodecim Nelei filii. *Neleus* autem Neptuni fuit filius, qui à fratre Pelia domo pulſus, Pylon, urbem in Meſſenia, condidit. 19 Me excepto. 20 Fratris mei. 21 Deponere.

22 Hic,

[22] Hic, ubi nequicquam est formas variatus in omnes,
Vertitur in faciem volucris: [23] quæ fulmina curvis
Ferre solet pedibus, divûm gratissima [24] Regi.
Viribus usus avis, pennis rostroque redunco,
[25] Hamatisque [26] viri laniaverat unguibus ora.
Tendit in hunc nimiùm certos [27] Tirynthius arcus:
Atque inter nubes sublimia membra ferentem,
Pendentemq; ferit, lateri qua jungitur ala.
Nec grave vulnus erat: sed rupti vulnere nervi
Deficiunt, motumque negant viresque volandi.
Decidit in terram, non concipientibus auras
Infirmis pennis: [28] & qua levis hæserat alæ,
Corporis affixi pressa est gravitate sagitta:
Perque latus summum [29] jugulo est [30] exacta sinistro.
Num videor debere tui præconia rebus
[31] Herculis, ô Rhodiæ [32] ductor pulcherrime classis?
Ne tamen ulterius, quàm fortia facta silendo,
Ulciscar fratres, [33] Solida est mihi gratia tecum.

Hæc postquam [34] dulci [35] Neleïus edidit ore;
A [36] sermone senis repetito munere Bacchi
Surrexêre toris. Nox est data cætera somno.

22 Periclymenus.
23 Periphrasis est aquilæ.
24 Jovi.
25 In modum hami recurvis.
26 Herculis.
27 Hercules: a *Tirynthe*, Peloponnesi urbe, sic appellatus.
28 Et levis sagitta, quæ hæserat, & affixa erat alæ, pressa & impulsa fuit gravitate corporis illi affixi.
29 Per sinistrum jugulum.
30 Expulsa.
31 Sc. *patris*.
32 O Tlepoleme inclyte dux classis quam ex insula Rhodo adversus Trojanos vixisti.
33 Firma amicitia.
34 Suavi sermone. Vide quæ diximus supra ad vers. 178. 35 Nestor Nelei filius. 36 Post sermonem Nestoris.

Mors Achillis. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Neptunus graviter ferens Cygnum filium ab Achille occidisse, & Hectorem defensorem operum, quæ ipse posuisset; ab Apolline socio laboris petit, quoniam sibi non daretur ut cominus cum eo congredi posset, ut ultor exsisteret. At ille auditis precibus ejus, immistus acie, nullique conspectus, arcum Alexandri in Achillem convertit, ut sagittam in eum dirigere posset: talumque (qui fuit in ejus corpore mortalis) percussit, & interemit.

AT [1] Deus æquoreas qui cuspide temperat undas,
In volucrum corpus nati [2] Stheneleïda versum
Mente dolet patria: sævumq; perosus Achillem
Exercet

1 Neptunus.
2 Olorem: Cygnus Stheneli Filius.

Exercet 3 memores, 4 plus quàm civiliter, iras.
Jamque ferè 5 tracto duo per quinquennia bello,
Talibus 6 intonſum compellat 7 Smynthea dictis:
O 8 mihi de fratris longè gratiſſime 9 natis,
10 Irrita qui mecum poſuiſti mœnia Trojæ;
Ecquid, ut has jamjam caſuras aſpicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia cæſa doles? ecquid (nè perſequar omnes)
Hectoris umbra 11 ſubit circum ſua Pergama 12 tracti?
Cùm tamen ille ferox, belloque cruentior ipſo
Vivit adhuc 13 operis noſtri 14 populator Achilles.
15 Det mihi ſe: Faxo, 16 triplici quid cuſpide poſſim,
Sentiat. At quoniam concurrere cominus hoſti
Non datur; occulta 17 necopinum perde ſagittâ.
Annuit: atque animo pariter patruoque ſuoq;
Delius 18 indulgens, nebula velatus in agmen
Pervenit 19 Iliacum; mediaque in cæde virorum
Rara per ignotos ſpargentem cernit Achivos
Tela Parin: faſſuſq; Deum, Quid ſpicula perdis
20 Sanguine plebis? ait. Si qua eſt tibi cura tuorum;
Vertere in 21 Æaciden, cæſoſq; ulciſcere fratres.
Dixit: & oſtendens ſternentem Troïa ferro
Corpora 22 Peliden, arcus obvertit in illum:
23 Certaque letifera direxit ſpicula dextrâ.
Quo Priamus gaudere ſenex 24 poſt Hectora poſſet,
Hoc fuit. 25 Ille igitur tantorum victor Achille,
Vinceris à timido 26 Graiæ 27 raptore maritæ?
At ſi 28 fœmineo fuerat tibi Marte cadendum;
29 Thermodontiaca malles cecidiſſe bipenni.
Jam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelaſgi
Nominis Æacides, caput inſuperabile bello,
Arſerat; armârat 30 Deus idem, idemq; cremârat.

3 Quas in memoria habebat. Ut illud Virgil. *Memorem Junonis ob iram.*
4 Hoſtiliter.
5 Protracto, producto.
6 Comatum, crinitum.
7 Apollinem, ita dictum (omiſſis aliis conjecturis) quia, cum mures Chyſen urbem Myſiæ infeſtarent, Apollo, civium precibus exauditis, animalia iſta infeſta ſagittis interfecit: cujus illi memores beneficii, templum & ſimulacrum Apollini Smyntheo poſuerunt, quod ejus linguæ dialecto muros σμίνθοι, appellentur.
8 Hac oratione Neptunus Apollinem hortatur, ut Achillem, Cygni interfectorem, ſagittâ interficiat
9 De filiis fratris mei Jovis.
10 Peritura Sequenti verſu, *arces caſuras* inquit.
11 In mentem cum quadam miſeratione venit. 12 Sc. ab Achille. 13 Neptunus & Apollo in condenda Troja Laömedonti opem tulerunt. Vide Lib. 11. Fab. 6. 14 Deſtructor. 15 Committat ſe mihi & mari. 16 Tridente. 17 Non opinantem. 18 Obſequens. 19 Trojanum. 20 Plebeios ac viles interficiendo. 21 Achillem, Æaci nepotem. 22 Achillem Pelei filium. 23 *Phœbe, graves Trojæ ſemper miſerate labores, Dardana qui Paridis direxti tela manuſque Corpus in Æacidæ.* Æneas Phœbum precatus 6. Æneid. In eam corporis partem quæ erat vulnerabilis, calcaneum nempe, quem prehendens mater eum in Stygia tinxit palude. 24 Poſt interfectum filium ſuum Hectora. 25 Apoſtrophe ad Achillem indignationem continens, quòd ab effœminato Paride fuerit interfectus. 26 Grææ mulieres Helenæ, quæ viris imperavit. 27 Paride, à quo Achilles interfectus eſt. Huc pertinet illud: *Bella gerant fortes, tu Pari ſemper ama.* 28 Imbelli. 29 Manu Amazonum accolarum fluvii Thermodontis; quarum dux Pentheſilea. Virg. Lib. 1. Æneid. [Bipennis autem Amazonum telum, quo ſemper hoſtes feriebant: Ideoq; ſemper in Nummis *Bipenniferæ* Amazones depingi ſolitæ.] 30 Vulcanus, qui rogatu Thetidos Achilli arma fabricavit, & eum mortuum combuſſit.

Jam cinis est; & de tam magno restat Achille
[31] Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem.
[32] Hæc illi mensura viro respondet: & hac est
Par sibi Pelides, nec inania Tartara sentit.
Ipse etiam, [33] ut cujus fuerit cognoscere possis,
Bella movet clypeus: [34] deq; armis arma feruntur.
Non [35] ea [36] Tydides, non audet [37] Oïleos Ajax,
Non [38] minor Atrides, non bello [39] major & ævo
Poscere, non alii: soli [40] Telamone creato
[41] Laërtaque fuit tantæ fiducia laudis.
A se [42] Tantalides onus invidiamq; [43] removit:
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit: & arbitrium litis [44] trajecit in omnes.

31 Parùm quid cineris de tanto Achillis corpore superest: quo ne urna quidem impleri potest. 32 Totus terrarum orbis mensura esse videtur gloriæ Achillis. 33 Q. d. fortissimi ac bellicosissimi illum clypeum fuisse, pro quo tantæ contentiones fuère susceptæ. 34 Propter arma Achillis bella & contentiones excitantur. Nam post mortem Achillis inter Ajacem & Ulyssem de armis ipsius Achillis gravissimæ sunt ortæ contentiones, quas libro sequenti videbimus. 35 Arma Achillis. 36 Diomedes, Tydei filius. 37 Oïlei filius. Duo Ajaces fuerunt, hic, & Telamonis filius. 38 Menelaus minor natu Atrei filius. 39 Agamemnon. 40 Ajaci, Telamonis filio: undè appellatur *Telamonius*. 41 Ulysse, Laërtis filio. 42 Agamemnon à Tantalo genus ducens. 43 A se derivavit, repulit. 44 Transmisit, transtulit.

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER XIII.

Contentio inter Ajacem, & Ulyssem: & Ajacis cruor in Hyacinthum. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Achille ab Alexandro occiso, arma cùm peterentur ab Ajace, quia frater patruelis esset; & Ulysse, qui consilio se potiorem, ac virtute judicaret: placuit principibus, ut utriusque res gesta in bello perpenderentur, & digniori propositum præmium ab universo exercitu tribueretur. Cùm itaque in conspectu omnium Ajax virtutes suas, quibus Grajos juvisset, retulisset; & Ulysses consilia sua, quibus communem rempublicam juvisset; duces quoque adduxisset; novissime signum Minervæ, quod è Troja sustulerat, ostendit. Quo Graji moti, cùm ante oratione ejusdem perculsi stuperent, ab Ajace arma abjudicata sunt, & Ulyssi data. Qua ille contumelia accensus, incubuit ensi: ex cujus cruore flos purpureus similis hyacintho natus est.

1 CONsedere 2 duces; &, 3 vulgi stante coronâ,

1 Civilem instituit concionem, in qua principes sedent, sed potissimum illi, qui dicturi sunt, ac vulgus stant. 2 Agamemnon, Menelaus, Diomedes, Nestor, Idomeneus, &c. 3 Et conventu hominum circumstante.

4 Surgit

[4] Surgit ad hos [5] clypei dominus ſeptemplicis [6] Ajax.
Utque erat impatiens iræ, [7] Sigeïa torvo
Littora reſpexit, claſſemque [8] in littore vultu:
[9] Intendenſque manus, [10] Agimus, prô Jupiter, inquit,
[11] Ante rates cauſſam; [12] & mecum confertur Ulyſſes!
At [13] non Hectoreïs dubitavit cedere flammis:
Quas ego ſuſtinui; quas [14] hac à claſſe fugavi.
Tutius eſt fictis igitur [15] contendere verbis,
Quam pugnare manu. [16] Sed nec mihi dicere promtum;
Nec facere eſt [17] iſti. [18] Quantumque ego Marte feroci,
Quantum acie valeo, tantùm valet iſte loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelaſgi,
Eſſe reor: vidiſtis enim. Sua narret Ulyſſes,
Quæ ſine teſte gerit, quorum nox conſcia ſola eſt.
[19] Præmia magna peti fateor: [20] ſed demit honorem
Æmulus Ajaci. Non eſt [21] tenuiſſe [22] ſuperbum,
[23] Sit licet hoc ingens, quidquid ſperavit Ulyſſes.
[24] Iſte tulit pretium jam nunc certaminis hujus;
Quo cùm victus erit, mecum certâſſe [25] feretur.
Atque ego, ſi virtus [26] in me dubitabilis eſſet,
Nobilitate potens eſſem, Telamone creatus:
Mœnia qui forti Trojana ſub [27] Hercule cepit:
[28] Littoraque intravit [29] Pagaſæa Colcha carinâ.

4 Ad hunc locum reſpexit; Juv. Stat. 7. *Conſedêre duces, ſurgis tu pallidus Ajax, Dicturus dubiâ pro libertate bubulco Judice.* 5 Septem boum coriis tecti. Sic infrà: *Fruſtrà Telamone creatus Geſtaſſet lævâ taurorum tergora ſeptem.* 6 Telamonis, Pelei fratris, filius, Achillis patruelis fuit. 7 Sigeum & urbs & promontorium eſt Troadis, juxta quod Græcorum claſſis ſubducta erat. 8 Sc. *ſtantem.* 9 Extendens ad claſſem. 10 Ajax oſtendere vult, arma ſibi potiùs, quam Ulyſſi, deberi; primò quidem jure ſucceſſionis ſive hæreditario, quod frater Achillis patruelis ſit, & nobiliore etiam genere natus: deinde ex merito, quoniam plura, quam ille, præclarè geſſit, ille autem quædam etiam peſſimè. Etiam illud addit, neque parem neque idoneum his armis geſtandis Ulyſſem eſſe. 11 Naves, à quibus ego ſolus Hectoris faces repuli, cùm alii Græci, & imprimis Ulyſſes, illius viri impetum non ſuſtinentes, eas deſeruerint. Cùm enim Achilles, Agamemnoni iratus propter Briſeïda ereptam, infrà tentorium ſe contineret, neque pugnare vellet, Hector cum delectâ Trojanorum juventute in hoſtium claſſem impetum fecit: quam etiam incendiſſet, niſi Ajacis virtute fuiſſet repulſus. 12 Indignationem hoc loco ſignificat. 13 Ulyſſes auſus eſt. 14 Δεικτικῶς: manum enim ad claſſem intendit Ajax, & ſic illam Græcis oſtendit. 15 Compoſitis. 16 Ita Hercu. Lib. 9 *Melior mihi dextra linguâ eſt.* 17 Ulyſſi: cum magno contemtu hoc dicit. 18 Collatio, quâ oſtendit ſe in certamine, & adverſarium Ulyſſem in eloquentia valere. 19 Arma Achillis à Vulcano fabricata. 20 Ex æmuli collatione mea fama plus detrimenti, quam victoria gloriæ eſt comparatura. 21 Obtinuiſſe. 22 Glorioſum. 23 Quamvis id, de quo contenditur, ſit maximum. 24 Si parit ignominiam celebri & inſigni certare cum ignobili & abjecto: ergo huic contrà, cum ſe longe majori decertanti gloriam pariet. Talis autem eſt Ulyſſes mecum collatus. [Utebantur autem voce *Iſte* veteres, quoties cum contemtu de aliquo loquerentur. *Heinſ.*] 25 Dicetur. Eſt enim glorioſum cum magnis viris certare, etiamſi eos vincere non poſſis. 26 Fortitudo. 27 Hercules enim Telamonem ad Trojam duxit, quæ ab iis capta eſt. 28 Colchica. Nam Telamon cum Jäſone in Colchos navigavit. 29 Argo nave, juxta Pagaſas, promontorium & oppidum Theſſaliæ, fabricatâ.

Æacus [30] huic pater est: [31] qui jura silentibus umbris
[32] Reddit, ubi [33] Æoliden saxum grave Sisyphon urget.
Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Jupiter esse suam. Sic ab Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc [34] series in caussa prosit, Achivi;
Si mihi cum magno non est communis Achille;
[35] Frater erat; fraterna peto. Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, & fraude simillimus illi,
[36] Inserit [37] Æacidis alienæ nomina gentis?
An quòd in arma prior, nulloque [38] sub indice veni,
Arma neganda mihi? [39] potiorque videbitur [40] ille,
[41] Ultima qui cepit; [42] detrectavitque furore
Militiam ficto: donec [43] sollertior [44] isto,
[45] Sed sibi inutilior, timidi [46] commenta retexit
[47] Naupliades animi, vitataque traxit in arma?
[48] Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla.
Nos inhonorati, & [49] donis patruelibus [50] orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, simus.
Atque utinam aut verus [51] furor ille, aut creditus, esset;
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
[52] Hortator scelerum! Non te, [53] Pœantia proles,
Expositum [54] Lemnos nostro cum crimine haberet.
Qui nunc (ut memorant) silvestribus abditus antris,
Saxa moves gemitu: [55] Laërtiadæque precaris,

30 Telamoni. 31 Æacus. Is enim tantâ justitiâ præditus fuisse dicitur, ut à Plutone apud inferos judex sit delectus. 32 Jus dicit. 33 Æoli filium. [Sisyphum autem potius nominat Ajax, quam alios qui pœnis apud inferos vexantur, quia inter progenitores Ulyssis Sisyphus numeratus est.] 34 Stemmatis dispositio. 35 Achilles fuit patruelis frater Ajacis. Nam Peleus & Telamon fratres fuerunt. *Patrueles* autem *fratres* dicuntur, qui è fratribus nascuntur. 36 Annumeras. 37 Achilli, & mihi, Æaci nepotibus. 38 Nullo indicante. 39 Melior, Præstantior. 40 Ulysses. 41 Qui Græcorum ducum cepit & arripuit arma, simulatâ insaniâ, inter ultimos. 42 Vitavit. 43 Prudentior, perspicacior. 44 Ulysse. 45 Nam Palamedes in se Ulyssem concitavit, cujus falsâ proditione tandem ut proditor à cuncto Græcorum exercitu fuit interfectus. Ulysses enim literas finxit à Priamo ad Palamedem datas: quibus significare videbatur Priamus, se magnum auri pondus misisse, aliudque missurum. Cùm verò literæ ad Agamemnonem fuissent perlatæ, Principesque omnes præter Palamedem convenissent, vixque illud scelus in Palamedem cadere posse cunctis videretur, Ulysses nihil temerè de tanto viro credendum dixit, nisi aurum, quod ille jam per servos corruptos in illius tentorio defodiendum curaverat, deprehenderetur. Qui igitur missi ad hoc inquirendum fuerant, cùm renunciassent inventum lapidibus Palamedes à toto exercitu, de quo optimè meritus erat, obrutus est. 46 Figmenta. 47 Palamedes, Nauplii filius. Nauplius autem, Neptuni & Amymones filius, in Eubœa regnavit. 48 Ironia indignationis plena, quâ Ajax significat Ulyssem nullâ ratione armis Achillis esse dignum, se autem esse dignissimum. 49 Armis fratris patruelis Achillis. 50 Orbati, privati. 51 Insania illa Ulyssis. 52 Virg. 2. Æn. *Scelerumque inventor Ulysses.* 53 Apostrophe ad Philoctetem Pœantis filium, cui cum Hercules moriturus dedisset arcum, & sagittas venenatas, sine quibus Trojam capi non posse oraculum responderat, (vide suprà Lib. 9. vers. 234.) una sagittarum in ejus pedem decidit, ita ut saucius, Ulysse auctore, in insula Lemno relinqueretur. Sed vide sis quem diximus locum Lib. 9. 54 Insula Vulcano dicata. 55 Ulyssi, Laërtis filio.

Quæ

Quæ meruit: quæ Dî, Dî dent non vana precēris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
(Heu!) pars una ducum, quo successore sagittæ
Herculis utuntur, fractus morboq; fameque,
[56] Velaturq; aliturq; avibus; volucresq; [57] petendo
[58] Debita Trojanis exercet spicula fatis
[59] Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulyssen.
Mallet & infelix Palamedes esse relictus.
Viveret; aut [60] certè letum sine [61] crimine haberet.
[62] Quem malè [63] convicti [64] nimiùm memor [65] iste furoris
Prodere rem Danaam finxit: fictumq; probavit
Crimen. Et ostendit, quod jam [66] præfoderat, aurum,
Ergo aut [67] exsilio vires [68] subduxit Achivis,
[69] Aut nece. [70] Sic pugnat, sic est metuendus Ulysses.
[71] Qui, licet [72] eloquio fidum quoque Nestora vincat;
Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimen
Esse rear nullum. Qui, cùm imploraret [73] Ulyssen
Vulnere tardus equi, fessusq; senilibus annis,
[74] Proditus à socio est. Non hæc [75] mihi crimina fingi
[76] Scit bene [77] Tydides: qui nomine sæpe vocatum
[78] Corripuit; [79] trepidoque fugam exprobravit amico.
Aspiciunt oculis superi mortalia justis.
En eget auxilio, qui non tulit: utq; reliquit,
Sic linquendus erat. Legem sibi dixerat ipse.
[80] Conclamat socios. Adsum; videoq; trementem,
Pallentemq; metu, & trepidantem morte futura.
Opposui [81] molem clypei; texiq; jacentem;
Servavique animam (minimum est hic laudis) inertem.
Si perstas certare, locum redeamus in illum:
Redde hostem, [82] vulnusque tuum, solitumque timorem:
Post clypeumq; late: & mecum contende sub illo,
At postquam eripui; [83] cui standi vulnera vires

56 [Pinnis avium, quas sagittis interfecit, seipsum coöperuit Philoctes. Ita Cicero ex Attio, *Philoctetam pinnarum contextu corpori tegumentum fecisse*: Ipse Philoctetes apud Attium *Configo tardus celeres stans volatiles; Pro veste pinnis membra textis contegens.*
57 Jaculando.
58 Trojano excidio destinata i. quibus Trojam perituram in fatis erat.
59 Philoctetes.
60 Saltem.
61 Proditionis insimulatione.
62 Palamedem.
63 Deprehensæ, detectæ insaniæ.
64 Illâ enim memoriâ Palamedes, optimè de Græcorum exercitu meritus, fuit interfectus.
65 Ulysses.
66 Ante defoderat in tentorio Palamedis. 67 Relinquens Philoctetem in Lemno tanquam exsulem.
68 Subtraxit, ademit.
69 Inducens exercitum ad lapidandum Palamedem. 70 Ironia. Hæc sunt ejus facinora militaria, hi terrores, fraudes, insidiæ, machinationes improbæ. 71 Nestor. 72 Eloquentiâ, facundiâ. 73 Ulyssis auxilium. 74 Ab Ulysse derelictus fuit. Qui autem socios in pugna derelinquunt, ut proditores habentur. 75 A me. 76 Probat adversarii crimen Diomedis testimonio. 77 Diomedes. 78 Objurgavit, reprehendit. 79 Timido Ulyssi. 80 Trojani, ubi vidissent Socum ab Ulysse interfectum, irruunt in eum; & periisset, nisi Ajax, monitu Menelai, inclamanti auxilium succurrisset. 81 Clypeum. 82 A Soci hasta immissum. Nam Socus latus illius hasta trajecerat. 83 Mirum dictu: qui ob vulnus à Soco acceptum consistere nequibat, à me protectus & præsentissimo periculo ereptus, etiam fugere potuit.

Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector [84] adest: secumque [85] Deos in prælia ducit,
Quaque ruit, [86] non tu tantum terreris, Ulysse;
Sed fortes etiam: [87] tantum trahit ille timoris.
Hunc ego sanguineæ successu cædis [88] ovantem
[89] Cominus ingenti resupinum pondere [90] fudi.
[91] Hunc ego [92] poscentem, cum quo concurreret, unus
Sustinui: sortemque meam [93] vovistis, Achivi:
[94] Et vestræ valuere preces. Si quæritis hujus
Fortunam pugnæ; [95] non sum superatus ab illo.
Ecce ferunt Troes ferrumque, ignemq; [96] Jovemq;
In Danaas classes. Ubi nunc facundus Ulysses?
[97] Nempe ego mille meo [98] protexi pectore puppes,
Spem vestri reditus [99] date tot pro navibus arma.
Quòd si vera licet mihi dicere; [100] quæritur istis,
Quàm mihi, major honos: conjunctaque gloria nostra est.
Atq; Ajax armis, non Ajeci arma petuntur.
[101] Conferat his [102] Ithacus Rhesum, [103] imbellemque [104] Dolona,
[105] Priamidenque [106] Helenum raptâ cum [107] Pallade captum.
Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto:
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma;
Dividite: & major pars sit Diomedis in illis.
[108] Quò [109] tamen hæc Ithaco? qui clam, qui semper inermis
Rem gerit; & [110] furtis [111] incautum decipit hostem?
[112] Ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque [113] Dulichius sub Achillis casside vertex

84 Advenit.
85 Deorum, imprimis Jovis, auxilium.
86 Emphaticè; Non tantum tu, qui es omnium timidissimus, terreris impetu Hectoris, sed etiam fortes.
87 Epiphonema seu acclamatio est.
88 Exultantem, triumphantem.
89 [Rectè *Cominus*: antea *Eminus* legebatur. Plus enim laudis erat Ajaci, quod cominus cum Hectore congressus est, quam si eminus congressus esset.]
90 Prostravi.
91 Hectorem.
92 Provocantem. Ajax Telamonius sorte se Hectori objicit: qui cùm, adveniente nocte è pugna æquali cum honore discederent, se invicem muneribus sunt prosecuti. Nam Hector Ajaci gladium, contrà Ajax Hectori baltheum dono dedit. 93 Voto optastis, ut sors mea proferretur. 94 Nam ut optaverant, sors Ajacis prima prolata est, ut cum Hectore pugnaret. 95 Pari enim gloriâ uterque ex ea pugna recessit. 96 Auxilium Jovis Hectori faventis. 97 Solus Ajax, aliis Græcorum ducibus perterritis, classem ab ignibus hostium protexit. 98 Defendi. 99 Ego dedi vobis tot naves, dùm eos capitis mei periculo conservavi: nunquid tanto merito nihil debetur? 100 Non tam illa Ajaci. quàm Ajax illis futurus est honori. 101 His gestis meis comparet Ulysses Rhesum, regem Thraciæ. qui cùm auxilio Trojanis cum candidissimis equis venisset, à Diomede & Ulysse eâ ipsâ nocte, quâ venerat ad Trojam, cum suis interfectus est. 102 Ulysses, ab Ithacâ insula in mari Iönio, in qua regnavit Ulysses. 103 Bellicosum minimè. 104 Eumedis filium. Non autem inficiatur Ajax, Ulyssem aliquid præstitisse, sed id, quantum potest, extenuat. 105 Priami filium. 106 Qui fata Trojanorum arcana Græcis revelavit. A Diomede & Ulysse captus. 107 Palladio, Trojanis fatali, quod Ulysses unà cum Diomede rapuit, *cæsis summæ custodibus arcis*. 108 Ad quid, ad quem finem, sc. *petuntur*. 109 Arma Achillis incommodo Ulyssi futura ostendit Ajax. 110 Dolis, fraudibus, insidiis. 111 Improvidum. 112 Argumentum ab inutili: quòd Achillis arma Ulyssi, homini omnium timidissimo, usui futura non sint. 113 Ulyssis caput. Pars pro toto.

Pondera tanta feret. [114] Nec non onerosa gravisque
Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis.
[115] Nec clypeus vasti cœlatus imagine mundi
Conveniet timidæ, natæque ad furta sinistræ.
[116] Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi;
Cur spolieris, erit; non, cur metuaris ab hoste.
Et fuga (qua sola cunctos, timidissime, vincis)
Tarda futura tibi est gestamina tanta [117] trahenti.
Adde, quòd iste tuus, tam rarò prælia passus,
Integer est clypeus. Nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique, quid verbis opus est? Spectemur agendo.
Arma [118] viri fortis medios mittantur in hostes.
[119] Indè jubete peti: & referentem ornate relatis.

[120] Finierat Telamone satus; vulgique secutum
[121] Ultima [122] murmur erat. Donec [123] Laërtius heros
[124] Adstitit: atque oculos paulùm tellure [125] moratos
Sustulit ad proceres; exspectatoque resolvit
Ora sono: neque abest facundis gratia dictis.

[126] Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:
[127] Tuq; tuis armis, nos te poteremur, Achille.
Quem quoniam non æqua mihi vobisq; negârunt
Fata, (manuq; simul veluti lacrymantia tersit
Lumina) quis magno meliùs succedat Achilli;
[128] Quam per quem magnus Danaïs successit Achilles?
Huic modò ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur.

114 Et Pelias hasta non potest esse non onerosa & gravis imbellibus lacertis.
115 In clypeo Achillis sculpta videbantur, & tota mundi machina, i. cælum cum sideribus suis, terra cum urbibus & populis. & ipse denique Oceanus.
116 Oneri magis, quam honori futurum.
117 Propriè dixit: illa enim trahimus, quæ gestare non possumus.
118 Achillis.
119 Ex mediis hostibus.
120 Poëtæ hæc sunt verba, usque ad illud, *Si mea*, &c.
121 Ultimam orationis partem.
122 Nam populus murmure suo Ajacis dicta approbare est visus. Murmur autem est approbationis signum.
123 Ulysses.
124 Surrexit.
125 In terram defixos. Contra fecerat Ajax: *Sigeïa torvo Littora respexit.*
126 Oratio Ulyssis, qua primum judicum benevolentiam sibi conciliat: deinde indicans Achillis mortem sibi molestissimam fuisse, eos in misericordiam adducit. Exorditur autem à suo & à communi Græcorum omnium voto. 127 [Ἀχαϊκῶς. Ita Propertius lib. II. Eleg. IX. *Cum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ.* Valerius Flaccus lib. VII. *Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro.* Heinsius.] 128 Quam is, cujus opera Achilles ad bellum Trojanum deductus est: is autem Ulysses fuit. Nam (ut ipse paulò post narrat) cùm Thetys, mater Achillis, cognosceret filium in bello Trojano periturum, illum virginis habitu ornatum Lycomedi, Scyri insulæ regi, unà cum filiabus ipsius educandum commendavit, ut tantisper apud eum in virgineo habitu lateret, donec Troja foret deleta. Cùm verò sine Achille Troja capi non posset, nec usquam inveniretur, Ulysses mercibus, quibus fœminæ capiuntur, gladium scutumque ac galeam immiscens, ad Lycomedem se contulit, ubi mercibus illis expositis, Achilles gladium ac scutum, alia negligens, tractare cœpit: ex quo cognitus ad bellum Trojanum fuit deductus.

Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi,
Profuit [129] ingenium: [130] meaque hæc facundia, si qua est
Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est,
[131] Invidia careat: [132] bona nec sua quisq; recuset.
Nam *Genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,*
Vix ea nostra voco. Sed enim, quia rettulit Ajax
[133] Esse Jovis pronepos, nostri quoq; sanguinis auctor
Jupiter est: totidemque gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius [134] illi,
Jupiter [135] huic; neq; in his quisquam [136] damnatus, & exsul.
Est quoq; per matrem [137] Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. Deus est in utroq; parente.
Sed neq; materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi quòd pater est fraterni sanguinis [138] insons,
Proposita arma peto: Meritis expendite caussam.
Dummodo quòd fratres Telamon Peleusq; fuerunt,
Ajacis meritum non sit: nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honos spoliis quæratur in istis.
Aut si proximitas primusque requiritur hæres;
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius [139] illi.
Quis locus Ajaci? [140] Phthian [141] Scyronve ferantur.
Nec minùs est isto [142] Teucer patruelis Achilli.
Num petit ille tamen, num sperat ut auferat arma?
[143] Ergò operum quoniam nudum certamen habetur;
Plura quidem feci, quàm quæ comprendere dictis
In promtu mihi sit. Rerum tamen ordine ducar:
[144] Præscia venturi [145] genitrix Nereïa leti
[146] Dissimulat cultu natum. Deceperat omnes,

129 Ingenii acumen, vel calliditas, solertia. 130 Amolitur à se Ulysses arrogantiæ suspicionem, simulque ad id respondet: *Quamtumque ego Marte feroci, Inque acie valeo, tantùm valet iste loquendo.* 131 Non sit mihi apud vos invidiæ. Nam Ajax in invidiam Ulyssis eloquentiam adducere conatus est, cùm dixit, *Tutius est igitur fictis contendere verbis, Quam pugnare manu.* 132 Propria, vel naturâ data, vel industriâ comparata. Q. d. Sed liceat cuique ea agnoscere, & suo loco illis gloriari. 133 Se esse pronepotem Jovis. Constructio Græca. 134 Laërti. 135 Arcesio. 136 Sicut Peleus, Achillis pater, & Telamon Ajacis pater. Peleus enim Phocum fratrem disco interemit, uti dictum ad vers. 269. Lib. 11. & Telamonem, ferro, in cervicem Phoci adacto, fraternæ cædis non insontem fuisse arguit Ulysses mox vers. 149. Quare ab Æaco in exsilium pulsi fuerunt. Hoc autem ideò urgetur, ut dilueret Objectionem de Sisypho allatam, qui inter avos maternos Ulyssis numerabatur: Se itaque etiam hac in re Ajace nobiliorem esse ostendit, quod a paterno genere nullus notâ infamiæ esset inustus; cum Ajacis & Pater & Patruus ob fratrem interfectum essent exsules: Patris autem Majores, pluris sunt æstimandi quam Matris. 137 Mercurius à Cyllene monte Arcadiæ. Sæpiùs supra. Ulyssis mater, filia fuit Autolyci, cujus pater Mercurius. 138 Innocens, extra culpam. 139 Achilli. 140 Ubi Peleus. 141 Ubi tum Pyrrhus, qui postea à Græcis accersitus est. 142 Ajacis frater: Ajacem enim Telamon ex Eribæa, Teucrum verò ex Hesione genuit. 143 Quoniam quæstio est, uter nostrum pluribus ac majoribus meritis Græcorum exercitum affecerit, non omnia, quæ gessi, referre possum. 144 Hic incipit merita sua commemorare sine ullâ arrogantiâ Ulysses. 145 Thetys Nerei filia, mater Achillis. 146 Habitu simulat Achillem non esse puerum, sed puellam. Vide quæ diximus supra ad vers. 134.

[147] In quibus Ajacem sumtæ fallacia vestis.
[148] Arma ego fœmineis animum motura virilem
Mercibus inserui. Neque adhuc [149] projecerat heros
Virgineos habitus. Cùm parmam hastamque tenenti,
Nate Dea, dixi; tibi se peritura reservant
Pergama. Quid dubitas ingentem evertere Trojam?
Injeciq; manum; fortemq; [150] ad fortia misi.
[151] Ergò opera illius mea sunt. Ego [152] Telephon hastâ
Pugnantem domui: victum [153] orantemque refeci.
Quod Thebæ cecidêre, meum est. Me credite Lesbon,
[154] Me Tenedon, Chrysenque, & Cyllan Apollinis urbes,
Et Syron cepisse. Meâ concussa putate
[155] Procubuisse solo [156] Lyrnesia mœnia dextrâ.
Utque alias taceam; qui [157] sævum perdere posset
Hectora, nempe dedi. Per me jacet inclytus Hector.
Illis hæc armis, quibus est inventus Achilles,
Arma peto. Vivo [158] dederam, post [159] fata reposco.
[160] Ut [161] dolor [162] unius Danäos [163] pervenit ad omnes,
[164] Aulidaque Euboïcam complerunt mille carinæ;
Exspectata diu, nulla aut contraria classi,
[165] Flaminæ sunt: [166] duræque jubent Agamemnona sortes
Immeritam sævæ [167] natam mactare Dianæ.
Denegat hoc [168] genitor: Divisque irascitur ipsis:
Atque in rege tamen [169] pater est. Egò mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides;

147 Inter quos. 148 Gladium, hastam, parmam. 149 Deposuerat. 150 Sc. *gerenda*. 151 Colligit Ulysses omnia, quæcunque gessit Achilles, sibi esse adscribenda, cum illum latitantem deprehenderit, & ad bellum Trojanum adduxerit. 152 Herculis filium ex Auge Nympha, regem Lyciæ, qui cum resisteret Græcis, ab Achille in femore fuit percussus, ac deinde iterato vulnere, sanatus est. Sed vide sis quæ diximus Lib. 12. ad vers. 112. 153 Vulnus infectum eâdem hastâ sanavi. 154 Urbes Troadis, in quibus Apollo cultus fuit. 155 Prostrasse, solo æquasse. 156 Lyrnessus urbs fuit Troadis, undè Briseida rapuit Achilles. 157 Magnum, terribilem. 158 Sc. arma, cùm ea mercibus inserui. Tunc enim primùm arma tractare cœpit Achilles. 159 Mortem. 160 Postquam. 161 Secundum, exponit meritum Ulysses, quo probat se armis Achillis digniorem esse, quam Ajacem. Nam cùm mille Græcorum naves ad Aulida convenissent, indè tempestatibus impediti solvere non poterent. Quare consulti vates, responderunt, Dianam sanguine Iphigeniæ, filiæ Agamemnonis, esse placandam: nam Agamemnon illius cervam imprudens necarat: cùm verò pater filiam immolari nollet, vi eloquentiæ Ulyssis expugnatus est, ut publicam utilitatem privatæ anteponeret caritati. Quod nisi perfecisset Ulysses, classis Græcorum nunquam ab Aulide profecta fuisset. 162 Menelai, ob ereptam sibi Helenam. 163 Omnes Græcos commovit. 164 Aulis Bœotiæ urbs est, portum habens amplissimum, conventu mille navium Græcarum nobilissima. 165 Venti. 166 Crudelia oracula. 167 Filiam Iphigeniam. 168 Pater Agamemnon. 169 Paterna caritas.

[170] Difficilem [171] tenui sub iniquo judice caussam.
Hunc tamen utilitas populi, fraterque, datiq;
[172] Summa movet sceptri; [173] laudem ut cum [174] sanguine penset. [astu
Mittor & ad matrem: quæ non [175] hortanda, sed
[176] Decipienda fuit quò si Telamonius isset,
[177] Orba suis essent etiamnum lintea ventis.
Mittor & Iliacas audax [178] orator ad arces:
Visque & intrata est altæ mihi curia Trojæ.
[179] Plenaque adhuc erat illis viris. Interritus egi,
Quam mihi mandârat communis Græcia, caussam:
Accusoq; Parin: [180] prædamque, Helenamque reposco:
Et moveo Priamum, Priamoque [181] Antenora junctum.
At Paris, & fratres, & qui rapuêre [182] sub illo,
Vix [183] tenuêre manus (scis hoc, Menelaë) [184] nefandas:
Primaque lux nostri tecum fuit illa pericli.
Longa referre mora est, quæ consilioque manuq;
Utiliter feci [185] spatiosi tempore belli.
[186] Post acies primas, urbis se mœnibus hostes
Continuêre diu; nec aperti copia Martis
Ulla fuit. Decimo [187] demum pugnavimus anno.
Quid facis interea, qui nil nisi prælia nosti?
[188] Quis tuus usus erat? Nam si mea facta requi- [ris;
Hostibus insidior: fossas munimine cingo:
Consolor socios; ut longi tædia belli
Mente ferant placida: [189] doceo quo simus alendi
Armandiq; modo: mittor quò postulat usus.
[190] Ecce Jovis monitu deceptus imagine somni

170 Propter iniquum judicem. Nam Agamemnon magis privatâ charitate, quam publica utilitate moveri videbatur.
171 Obtinui.
172 Potestas.
173 Gloriam. Hæc autem omnia ab Ulysse fuerunt Agamemnoni commemorata, publica utilitas, Menelaus frater, ac summa potestas illi data.
174 Iphigeniæ immolandæ.
175 Oranda.
176 Sc. Iphigeniam à matre petiit Ulysses, fingens, eam desponsatam esse Achilli ab Agamemnone.
177 Ne nunc quidem ventis secundis uteremur. Q. d. Telamonius, i. e. Ajax non impetrasset Iphigeniam.
178 Legatus, hortator.
179 Significat se non noctu, sed interdiu, cùm adhuc curia viris esset plena, intrepidè regem Priamum adiisse. Aut *plena*, quando nondum tot proceres Trojanorum bello occisi fuêre.
180 Quæcunque unà cum Helena asportaverat Paris. 181 Aut affinitate, aut quia assentiebatur Priami sententiæ. Nam Antenor semper censuit Helenam Menelao esse reddendam. 182 Sub ductu & auspiciis Paridis. 183 Abstinuerunt, i. parum abfuit, quin me interfecerint. 184 Nefas enim est legatos violare. 185 Diuturni ac longi, & in decimum usque annum protracti. 186 Post prima prælia, post primum conflictum. 187 Solùm. 188 Quæ tua Græcis utilitas erat? 189 Commeatu instruò exercitum. [190 Cum tres voces substantivæ sine ullo Epitheto apud nostrum in uno versu vix alibi occurrant, censet rescribendum Heinsius,

Ecce Jovis monitos deceptus Imagine somnos.

Moniti somni dicebantur veteribus, in quibus Dii ipsi apparebant. Claudianus de Diis,

——— *aut aliter monstrant*,
Aut monitos certâ dignantur imagine somnos.

Noster de Isi le quæ Telethusæ apparuit.

——— *Monuit, thalamo que recessit.*]

191 Rex

[191] Rex jubet incœpti curam dimittere belli.
Ille potest [192] auctore suam defendere caussam
[139] Non sinat hoc Ajax: delendaque Pergama poscat:
Quodque potest, pugnet. Cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? [194] dat, quod vaga turba sequatur?
[195] Non erat hoc nimium, nunquam nisi magna loquenti.
Quid, quod & ipse fugis? Vidi, puduitque videre,
Cum tu terga dares, [197] inhonestaq; vela parares.
Nec mora, Quid facitis? quæ vos dementia, dixi,
[198] Concitat, ô socii, [199] captam dimittere Trojam?
Quidve domum fertis decimo, nisi dedecus, anno?
Talibus atq; aliis, [200] in quæ dolor ipse disertum
Fecerat; aversos [201] profuga de classe reduxi.
Convocat [202] Atrides socios terrore paventes:
Nec [203] Telamoniades etiam nunc hiscere quicquam
Ausit: At ausus erat reges [204] incessere [205] dictis
[206] Thersites, etiam per me [207] haud impunè, protervis.
Erigor: & trepidos cives exhortor in hostem:
Amissamq; mea virtutem voce [208] reposco.
[209] Tempore ab hoc quodcunque potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est: quem dantem terga retraxi.
[210] Denique de Danaïs quis te laudatve [211] petitve?
At sua Tydides mecum communicat acta:
Me [212] probat: & socio semper confidit Ulysse.
[213] Est aliquid, de tot Grajorum millibus, unum

191 Aliud commemorat in Græcos meritum Ulysses. Nam Jupiter per somnium Agamemnonem admonuit, ut toto exercitu cum Trojanis confligeret: futurum enim, ut victoriam adipisceretur. Agamemnon verò ut suorum animos tentaret, convocatis ad concionem Græcis, finxit se in somnis à Jove admonitum, ut Græciam cum toto exercitu repeteret: Trojam enim nullâ ratione capi posse. Quare cùm omnes deducerent naves, ut redirent in patriam, Ulysses id dissuadêre Principibus cœpit, tantumque eloquentiâ valuit, ut omnes mutare sententiam coegerit. 192 Jove, à quo se monitum fingebat. 193 Ironia, qua significat Ulysses Ajacem, nulla prædi-tum eloquentiâ, illud prohibere non potuisse. 194 Dicat aliquid, proponat aliquod consilium, quod turba sequatur. 195 Ajaci, magna semper jactanti, hoc nimium non erat. Siquidem eloquentiâ opus erat ad retinendum abituros. 197 Inhonestè ac turpiter. Nomen enim pro adverbio posito est. 198 Concitat ut dimittatis. 199 Non quæ reverà capta esset, sed quæ in eo erat, ut facilè capi posset. 200 Ad quæ. 201 Ad fugiendum paratâ. 202 Agamemnon. 203 Ajax Telamonis filius. 204 Provocare. 205 Conviciis. 206 Quo nemo deformior nemo linguâ protervior in Græcorum exercitu fuit. Loquacitatem ejus narrat Homer. Iliad. β 207 Non sine pœna. Cùm enim Agamemnonem quoque convitiis incessisset, ab Ulysse sceptro graviter fuit percussus. 208 In animos eorum immitto, restituo. 209 Quæcunque Ajax fortiter fecit, postquam cum aliis eum à fuga revocavi, mihi sunt adscribenda. 210 Respondet ad illud quod objecerat Ajax, vers. 100. *Luce nihil gestum est, nihil est Diomede remoto.* 211 Sc. *Socium.* 212 Laudat. 213 Pulcrum ac gloriosum est à præstanti viro socium deligi. Nam Diomedes unum ex omnibus Græcorum optimatibus Ulyssem socium delegit ad speculandum Trojanorum castra. Sic alibi: *Est aliquid validâ sceptra tenere manu.* Sic, *Est aliquid nupsisse Jovi.*

A

A Diomede legi. [214] Nec me sors ire jubebat:
Sic tamen & spreto noctisque hostisque periclo,
Ausum eadem, [215] quæ nos, Phrygia de gente [216] Dolona
Interimo: [217] non antè tamen, quàm cuncta coëgi
[218] Prodere, & edidici quid [219] perfida Troja pararet.
Omnia cognôram: nec, quod [220] specularer, habebam:
Et jam præmissa poteram cum laude reverti.
Haud contentus ea, petii tentoria [221] Rhesi:
Inque suis ipsum castris comitesque peremi.
Atque ita captivo victor votisq; potitus
Ingredior [222] curru lætos [223] imitante triumphos.
[224] Cujus equos pretium pro [225] nocte poposcerat hostis,
Arma [226] negate mihi: fueritque [227] benignior Ajax.
Quid Lycii referam [228] Sarpedonis agmina ferro
Devastata meo? Cum multo sanguine fudi
Cœranon [229] Iphitiden, & Alastoraque Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytaninque,
[230] Exitioque dedi cum Chersidamante Thoona,
Et Charopen, fatisque immitibus Ennomon actum:
Quique minùs celebres nostrâ sub mœnibus urbis
Procubuêre manu. Sunt & mihi vulnera, cives,
Ipso [231] pulcra loco. Nec vanis credite verbis.
[232] Aspicite en. Vestemque manu [233] deducit, & Hæc sunt
Pectora semper, ait, vestris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in socios: & habet sine vulnere corpus.
[234] Quid tamen hoc refert; si se pro classe Pelasgâ

214 Significat se spontè socium Diomedi ivisse ad speculandum hostium castra.
215 Sc. *ausi sumus*.
216 Hùc faciunt illa ex Epist. Penel. *Rettulit & ferro Rhesúmque Dolonaque cæsos, Utque sit, hic somno proditus ille dolo. Ausus es, ô nimium, nimiumque oblite tuorum, Thracia nocturno tangere castra dolo.*
217 Sc. *interemi eum.*
218 Detegere, indicare, aperire.
219 Perfidi Trojani. Continens pro contento.
220 Explorarem, inquirerem.
221 Thracum regis, quem auxilium Trojanis ferentem, unà cum comitibus Ulysses interfecit, abductis equis ejus candidis in castra sua *priusquam Pabula gustassent Trojæ, Xanthumq; bibissent*, ut V. inquit.
222 Currum intelligit & equos Rhesi. 223 Conscendo currum qui triumphum penè referebat. Obiter autem & ad triumphales equos & currum, quibus Romani victores vehi solebant, alludit. 224 Ordo est: *Negate mihi arma ejus viri, cujus equos hostis Dolon poposcerat pro nocte*. 225 Nocturnâ speculatione quid hostes agerent. 226 Ironiâ qua Ulysses arma Achiliis & Ajaci neganda, & sibi adjudicanda esse ostendit. 227 Gratior. Ironia. 228 Filii Jovis ex Europa, ac Minoïs fratris. Hic cum rex esset Lyciæ, Troja nisq; faveret, multis ex ejus sociis ab Ulysse cæsis, à Patroclo tandem fuit interfectus. 229 Iphiti filium. 230 Et interfeci. 231 Pectore objecto excepta, non tergo: pudori enim erat illi, qui in tergo vulneratus esset, quod fugæ signum erat. 232 Militibus cicatrices, quas ab hoste acceperant, ostentare maximum apud veteres erat ornamentum. Docet hoc C. Marius apud *Sall.* in *Jugurt.* cui vitio dabatur generis sui novitas: quòd nemo ex eo Consulatum, aut alios honores gessisset. Verba ejus hæc sunt: *Non possum, fidei causa, imagines, neque triumphos, aut Consulatus majorum meorum ostentare: at, si res postules, hastas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverso corpore.* 233 Removit à pectore, divisit. 234 Q. d. Nihil. Confutat enim Ulysses id, quod jactaverat Ajax, se solum faces Trojanorum à Græcorum classe repulisse. Nam alii quoque (inquit) & imprimis Patroclus, armis Achillis indutus, restitit hostibus naves nostras incendere volentibus.

Arma

Arma tulisse refert contra Troasque [235] Jovemque?
Confiteorque, tulit: neque enim benefacta [236] maligne
Detrectare meum est. [237] Sed nec communia solus
Occupet, atque aliquem vobis quoque reddat honorem.
Reppulit [238] Actorides sub imagine tutus Achillis
Troas ab arsuris cum [239] defensore carinis.
[240] Ausum etiam Hectoreo solum concurrere Marti
Se putat, oblitus [241] regisque, [242] ducumque, meique;
Nonus in officio & [243] prælatus munere sortis.
Sed tamen eventus vestræ, [244] fortissime, pugnæ
Quis fuit? [245] Hector abit violatus vulnere nullo.
[246] Me miserum, [247] Quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius; quo [248] Grajum murus Achilles
Procubuit! nec me lacrymæ, luctusve, timorve
Tardârunt, quin corpus humo sublime [249] referrem.
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis,
Et simul arma tuli: quæ nunc quoque ferre [250] laboro.
Sunt mihi, quæ valeant in [251] talia pondera, vires:
Est animus [252] vestros certè [253] sensurus honores.
Scilicet idcirco pro gnato cærula [254] mater
[255] Ambitiosa suo fuit, ut cœlestia dona,
Artis opus tantæ, rudis & sine [256] pectore miles
Indueret? neque enim clypei [257] cælamina norit,
Oceanum, & terras, cumque alto sidera cœlo,
[258] Pleïadasque, [258] Hyadasque, [259] immunemque æquoris Arcton,
Diversasque urbes, nitidumque Orionis [260] ensem.

235 Jupiter enim Hectori Trojanisque favebat. 236 Cum quadam malignitate & vituperatione detrahere. 237 Dummodò Ajax ea, quæ communia ipsi vobiscum sunt, sibi soli non arroget. 238 Patroclus, qui ab Hectore fuit interfectus. Patrocli autem collatione Ajacis res gestas exenuat Ulysses. 239 Hectore. Trojanorum enim defensor fuit Hector. 240 Hoc enim sibi Ajax arrogaverat supra vers. 87. *Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, unus Sustinui.* Hoc eo refutat Ulysses, quòd Ajax certamen non sua ponte, sed fortuitò (ejus enim prima sors prolata est) cum Hectore suscepit. 241 Agamemnonis. 242 Novem Duces sortiti erant, ut ex Homero discimus. 243 Antepositus aliis nullâ aliâ, quam sorte. Cum enim novem se pugnaturos cum Hectore profiterentur, consilio Nestoris factum est ut sortem quisque suam in galeam dejiceret, ac cujus prima educta foret, is in certamen cum Hectore descenderet. 244 Ironia. Qui tibi videris fortissimus, cùm non sis. 245 Hector, nullo accepto ab Ajace vulnere, incolumis Trojam se recepit: sicque ostendit, Ajacem nihil præclari in eo certamine præstitisse. 246 Hæc lacrymans videtur pronuntiasse Ulysses. 247 Sc. *cum.* 248 Τεῦχος Ἀχαιῶν, i. Græcorum propugnaculum. 249 Reportarem corpus humo sublatum. 250 Exopto, conor, studeo. 253 Cogniturus, intellecturus & ex meritò æstimaturus. 254 Thetys, Dea marina. 255 Rogando institit apud Vulcanum, ut filio suo Achilli arma fabricaret. 256 Ingenio. Irridet Ajacem, qui arma petat, quæ non sit intellecturus, propter ruditatem & inscitiam suam. 257 Cælaturam, sculpturam. 258 Quæ sint Pleïades, & Hyades, annotavimus supra Lib. 3. ad vers. 505. 259 *Arctos* minor est ursa: Solum autem ex omnibus hoc sidus nunquam occidit. 260 Sidus australe, conspicuum 32. stellis, & ense stellato fulgens.

Postulat

Postulat ut capiat, quæ non intelligit arma.
[261] Quid? quòd me duri fugientem munera belli
Arguit [262] incepto serum accessisse labori?
Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?
Si simulâsse vocat crimen; simulavimus ambo;
Si mora pro culpa est; [263] ego sum maturior illo.
Me pia detinuit conjux: pia mater Achillem:
Primaque sunt illis data tempora, cætera vobis.
Haud timeo, si jam nequeo defendere crimen
[264] Cum tanto commune viro. Deprensus Ulyssis
Ingenio tamen [265] ille; at non Ajacis Ulysses.
[266] Neve in me stolidæ convicia fundere linguæ
Admiremur eum: vobis quoque digna pudore
Objicit. [267] An falsò Palameden crimine turpe
Accusasse mihi, vobis damnâsse decorum est?
Sed neque [278] Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens valuit: nec vos audistis in illo
Crimina; vidistis: [269] pretioque objecta patebant.
[270] Nec Pœantiaden quod habet [271] Vulcania Lemnos,
[272] Esse reus merui. Factum defendite vestrum:
[273] Consensistis enim. Nec me suasisse negabo;
Ut se subtraheret bellique viæque labori,
Tentaretque [274] feros requie lenire dolores.
Paruit; & vivit. Non hæc sententia tantùm
Fida, sed & [275] felix; cùm sit satis, esse [276] fidelem.
377 Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt;
Ne mandate mihi. [278] Meliùs Telamonius ibit:
[279] Eloquioque virum morbis iraque furentem
Molliet: aut aliqua producet callidus [280] arte.
[281] Antè retrò Simois fluet & sine [282] frondibus Ide
Stabit, & auxilium promittet [283] Achaïa Trojæ;
Quàm, cessante meo pro vestris [284] pectore rebus,
Ajacis stolidi Danaïs [284] sollertia prosit.

261 Respondet ad vers. 36. *Ultima qui cepit, detrecta vitque furore Militiam ficto.*
262 Ad bellum susceptum.
263 Ego citiùs, quam Achilles, ad bellum veni.
264 Quantus fuit Achilles.
265 Achilles in gynecæo latitans.
266 Non mirum est Ajacem in me esse contumeliosum, qui vobis etiam non parcit. Quia solvere hoc de Palamede non potest, communicat cum judicibus, & conflat odium adversario. Si mihi turpe est accusasse Palamedem insontem, turpe etiam est vobis damnasse. Ergo me reprehendendo, Ajax vos simul reprehendit. Mox negat utrumque, & se ipsosque proceres absolvit.
267 Q. d. Si mihi turpe est accusasse Palamedem, turpe itidem vobis est eum damnasse.

268 Palamedes Nauplii filius. 269 Auro, quod in tentorio Palamedis fuit deprehensum, cùm illuc operâ Ulyssis foret importatum. Vide supra ad vers. 38. 210 Quæ de Philoctete sibi sunt objecta refellit Ulysses, ac se consensu principum in Lemno insula illum reliquisse ait. 271 Ita dicta, quia Vulcanus à Jove è cœlo præcipitatus in insulam Lemnum decidit. 272 Debeo accusari. 273 Ut illum in Lemno relinquerem curandum. 274 Acerbos cruciatus. 275 Scil. successu. 276 Scil. me. 277 Philoctetam. In fatis enim erat Trojam sine Herculis sagittis, quæ Philoctetæ traditæ fuerant, capi non posse. Ideòque oportebat Philoctetam cum sagittis ipsis bello Trojano interesse. 278 Ironia. 279 Eloquentiâ, qua prorsus caret. 280 Fraude, cùm tardus sit & hebes. 281 Antè rerum natura mutabitur, quam vobis Ajacis ingenium prodesse possit. 282 Arboribus. 283 Græcia. 284 Mea prudentia. 285 Ingenii acumen.

286 Sis

[286] Sis licèt infeſtus [287] ſociis, [288] regique, mihiq;
Dure Philoctete; licèt [289] exſecrere, [290] meumque
Devoveas ſine fine caput; cupiaſque dolenti
Me tibi fortè dari; noſtrumque haurire cruorem;
[Utque tui mihi, ſic fiat tibi copia noſtri:]
Te tamen [291] aggrediar: [mecumque reducere nitar,]
[292] Tamque tuis potiar ([293] faveat Fortuna) ſagittis;
Quàm ſum Dardanio, quem cepi, vate potitus:
Quàm reſponſa Deûm, Trojanaque fata [294] retexi:
Quàm rapui Phrygiæ [295] ſignum penetrale Minervæ
Hoſtibus è mediis. Et ſe mihi comparat Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata ſine [296] illo.
Fortis ubi eſt Ajax? ubi ſunt ingentia magni
Verba viri? cur hîc metuis? cur audet Ulyſſes
Ire per [297] excubias, & ſe committere nocti?
Perque feros enſes, non tantùm mœnia Tröum,
Verùm etiam ſummas arces intrare: [298] ſuâque
Eripere æde [299] Deam: raptamque efferre per hoſtes?
Quæ niſi feciſſem; fruſtra Telamone creatus
Geſtâſſet [300] læva [301] taurorum tergora ſeptem.
[302] Illâ nocte mihi Trojæ victoria parta eſt:
Pergama tum vici, cùm vinci poſſe coëgi.
Deſine [303] Tydiden vultuq; & murmure nobis
Oſtentare meum. Pars eſt ſua laudis [304] in illis.
Nec tu, cùm ſocia clypeum pro [305] claſſe tenebas,
Solus eras: tibi turba comes, mihi contigit unus.
Qui, niſi pugnacem ſciret [306] ſapiente [307] minorem
Eſſe, nec [308] indomitæ deberi præmia dextræ,
[309] Ipſe quoque [310] hæc peteret; peteret moderatior [311] Ajax,
Eurypiluſque ferox, claroque Andremone [312] natus:
Nec minùs Idomeneus, [313] patriaque creatus eadem
Meriones: peteret majoris [314] frater Atridæ.

286 Apoſtrophe ad Philoctetem.
287 Græcis.
288 Agamemnoni.
289 Deteſteris.
Interim reſpondet Ulyſſes ad verſ. 47. ſuprà.
290 Quamvis aſſidue mihi mala impreceris, atque ea omnia facias, quæ ſolent à capitalibus inimicis fieri & optari, te tamen eloquentiâ meâ placabo, ac mecum ad Trojanum bellum adducam.
291 Verbis & oratione te alloquar. [Hemiſtichium autem hoc, cum precedenti verſu ſpurios eſſe cenſet *Heinſius*.]
292 Sic in poteſtate mea tuas ſagittas habebo, ut habui & Helenum Priami filium vatem egregium, & Palladium, quod niſi hoſtibus abſtuliſſem, Troja nunquam capi potuiſſet.
293 Sc. *dummodo*.
294 Aperui.
295 Paladium, i. e. fatale Palladis ſimulacrum, quod Ulyſſes unà cum Diomede. 296 Palladio. 297 Vigilias & cuſtodias hoſtium. 298 Suo templo. 299 Palladem, i. Palladium ſeu ſimulacrum Palladis. 300 Manu ſiniſtra. 301 Scutum ſeptem boum coriis tectum. 302 *Quâ rapui Phrygiæ ſignum penetrale Minervæ Hoſtibus è mediis.* 303 Diomedem mihi amicum. Objecerat Ajax ſuprà verſ. 100. Ulyſſem nihil geſſiſſe luce, nec Diomede remoto. 304 Palladio à nobis rapto. 305 Claſſis defenſione. 306 Eloquente: omnis enim eloquens ſapiens eſt exiſtimatur. 307 Inferiorem. 308 Viribus ratione carentibus ac temeritati. 309 Diomedes. 310 Arma Achillis. 311 Alter Ajax Oilei filius. 312 Thoas Andremonis filius. 313 Cretâ. 314 Menelaus, Agamemnonis frater, Atrei filius.

Quippe manu fortes [315] (nec sunt tibi Marte secundi)
[316] Consiliis cessere meis. Tibi dextera bello
Utilis; [317] ingenium est, quod eget moderamine nostri.
Tu vires sine [318] mente geris: [319] mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. Tu tantùm corpore prodes;
Nos animo. Quantoque [320] ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quanto dux milite major;
Tanto ego te supero. Nec non in corpore nostro
[321] Pectora sunt potiora manu. [322] Vigor omnis in illis.
At vos, ô proceres, [323] vigili date præmia vestro;
Proque [324] tot annorum cura, quos anxius egi,
Hunc [325] titulum meritis pensandum reddite nostris.
[326] Jam labor in fine est. Obstantia fata removi:
Altaque, [327] posse capi faciendo, Pergama cepi.
[328] Per spes nunc socias, casuraque mœnia Troum
Perque [329] Deos oro, quos hosti nuper ademi;
Per, si quid [330] superest, quod sit sapienter agendum;
[Si quid adhuc [331] audax, ex [332] præcipitique petendum;
Si Trojæ [333] fatis aliquid restare putatis;]
Este mei memores: aut si mihi non datis arma;
[334] Huic date. Et ostendit signum fatale Minervæ.
[335] Mota manus procerum est: [336] &, quid facundia posset,
Re patuit; [337] fortisque viri [338] tulit arma [339] disertus.

315 Nec te sunt pugnando inferiores.
316 Prudentiæ meæ.
317 Sc. *sed.* Vires enim corporis Ajaci concedit Ulysses.
318 Ingenio, prudentiâ.
319 Ego prospicio futura, quod nemo nisi prudens facere potest.
320 Navem regit & gubernat.
321 Ingenii acumina viribus corporis meliora.
322 Omnis virtus in ingenii acumine consistit.
323 Ei, qui pro vobis libenter vigilare consuevit.
324 Decem enim annos pro Græcis sollicitus fuerat Ulysses.
325 Honorem, qui debetur: quasi præmium vigiliarum & laborum publicæ salutis causâ susceptorum.
326 Nam finito labori præmium debetur.

327 Ut posset capi. Sic 5. Trist. *Et facis accepto munere posse frui.* 328 Per spem communem. 329 Palladem, cujus simulacrum Trojanis abstulerat. 330 Restat. 331 In quo conficiendo audaciâ opus est. [Duos hos versus uncis inclusos, pro spuriis damnat *Heinsius.*] 332 Ex periculoso loco sumendum. 333 Fatis prohibentibus, ne Troja capiatur. Intelligit Herculis sagittas. 334 Digito & manu Palladium, quod Trojanis abstulerat, Ulysses indicavit. 335 Commota & persuasa fuit principum Græcorum multitudo Ulyssis oratione. 336 Tunc manifestum fuit, quantum eloquentia valeat in animis hominum flectendis: [Ita Noster lib. III. *Reque minas firmat.* Et lib. XIV. de Circe & Pico v. 385.

Læsaque quid faciat, quid amans, quid fæmina disces
Rebus, ait.]

337 Achillis. Græci enim Achillis, fortissimi viri, arma Ulyssi potiùs ob facundiam, quam fortitudinem adjudicarunt. 338 Accepit. 339 Eloquens Ulysses.

340 He-

[340] Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Jovemque
Sustinuit toties; unam non sustinet iram:
[341] Invictumque virum vincit dolor. Arripit ensem:
Et, Meus hic certè est. An & hunc sibi poscet Ulysses?
Hoc, ait, utendum est in me mihi: quique cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit:
Ne quisquam Ajacem possit superare, nisi Ajax.
Dixit: & in pectus [342] tum denique vulnera passum,
[343] Quà patuit ferro, [344] letalem condidit ensem:
Nec valuêre manus infixum [345] educere telum.
Expulit ipse cruor. Rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem.
Qui priùs [346] Oebalio fuerat de [347] vulnere natus.
[348] Littera communis mediis pueroque viroque
Inscripta est foliis: [349] hæc nominis, illa [350] querelæ.

340 Periphrasis Ajacis. 341 A cœteris, i. quem cæteri alii vincere non potuerunt, is ab ira victus fuit. 342 Tunc solum. 343 Quatenus cessit ferro. 344 Mortiferum gladium. Hic gladius, quo se Ajax interfecit, fuit Hectoris: quem ab eo in certamine (ut suprà diximus) accepit, cùm mutuis donis se ipsos quoniam uterque strenuè se gesserat, honestassent. Hector autem ab Ajace baltheum accepit, quo ipse cùm circum Trojam raperetur, vinctus est. 345 Extrahere. 346 Hyacinthi Oebalii, qui in florem purpureum ab Apolline amatore fuit mutatus. 347 Sanguine. 348 In foliis illius floris, in quem Ajax fuit mutatus, littera communis est, & Hyacinthi pueri querelis & nomini Ajacis. Nam in illo flore inscriptæ videntur (ut ajunt) hæ duæ litteræ Græcæ αι quæ querimoniæ sunt indices, & in hoc nomine αἴας primæ. 349 Ajacis. 350 Hyacinthi, qui gemens ac clamans αἴ, αἴ, extinctus est. Sed vide Lib. 10. vers. 206. & seq.

Hecuba Polymestoris oculos defodiens, & in canem versa. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Ulysses postquam Philoctetæ sagittas ipso comitante in castra Grajorum pertulit, quibus Ilium captum est; præda dives Hecuba Priami conjux Ulyssi forte cessit: quæ novissime interitum Astyanactis, & Polyxenæquæ in bustis Achillis fuerat interemta, mærens, classe in Thraciam cùm esset appulsa, reliquis liberis orba, Polydorum apud Polymestora, qui clam fuerat educatus, putabat incolumem permanere: quæ dum spatiantur in littore, animadvertit eum aquæ fluctibus in aridam dejectum. Polymestor

ſtor autem propter aurum, quod cum infante Polydoro ei traditum fuerat, avaritia eum interfecit. Et ut indicia quoque facinoris celari poſſent, eum in profundum præcipitavit. Quod ut Hecuba ſupradicta Ciſſei filia comperit, curavit ut perveniret ad Polymeſtorem, dicens ſe velle adjicere ſuper, quod ante dederat, aurum, quo facilius nati celarentur indicia. Et tyrannus verum eſſe exiſtimans, petenti ſecretum colloquium dedit. Hecuba nacta locum, lumina ei abſtulit: Thraceſque dum eam proſequuntur ſaxis, verſa eſt in canis figuram.

[1] VIctor ad [2] Hypſipyles patriam, clariqu e Thoantis,
Et veterum [3] terras infames cæde virorum,
Vela dat; ut referat [4] Tirynthia tela ſagittas.
Quæ poſtquam ad Graios [5] domino comitante revexit;
Impoſita eſt ſero tandem [6] manus ultima bello.
Troja ſimul Priamuſque cadunt: [7] Priameïa conjux
Perdidit infelix hominis poſt omnia [8] formam;
[9] Externaſque novo latratu terruit auras.
[10] Longus in anguſtum [11] qua clauditur Helleſpontus,
Ilion ardebat; neque adhuc [12] conſederat ignis:
[13] Exiguumque [14] ſenis Priami [15] Jovis ara cruorem
Combiberat. [16] Tractata comis [17] antiſtita Phœbi
Non profecturas tendebat ad æthera palmas.
[18] Dardanidas matres patriorum [19] ſigna Deorum

1 Ulyſſes, qui Achillis arma aſſecutus erat in armorum judicio ſuperior. 2 Inſulam Lemnum, ubi regnabat Hypſipyle, Thoantis filia. 3 Factum eſt aliquando ut omnes Lemniades, præter Hypſipylen, quæ ſola patri pepercit, patres ſuos, maritos, ac filios interficerent, hinc *terra infamis*, &c. 4 Sagittas Herculis, qui cum *Tirynthius* dicitur vide ſupra Lib. 9. verſ. 66. [Verſum hunc

Tranſierat: tandem portu, votoque potitus

in textum admittere noluit *Heinſius.*] 5 Philocteta, quem Ulyſſes & Diomedes ex Lemno petierunt. Omnem rem vide ſupra Lib. 9. ad verſ 234. & hoc Libro ad verſ 45. 6 Finis. 7 Hecuba uxor Priami. 8 In canem enim fuit mutata, ut noſter fingit. 9 Externum aërem, Thraciam n. procul à Troja. 10 *Helleſpontus* eſt mare anguſtum & longum Aſiam ab Europa dividens. Dictus eſt autem *Helleſpontes* ab *Helle*, Phryxi ſorore, quæ in illo ſubmerſa eſt. 11 Ubi cogitur in anguſtum & ſtrictum. Anguſtatur maxime Helleſpontus illic, ubi olim fuerunt Seſtos & Abydos. Ad Helleſpontum autem uſque Troas, ubi fuit Ilium, protenditur. 12 Extinctus erat, ceſſaverat. 13 Quia in ſenibus eſt parum ſanguinis. 14 Sic alibi: *Hic ſteterat Priami regia celſa ſenis.* 15 Ad quam Priamus ipſe fuerat interfectus. 16 [Ita Pacuvius apud Marium Victorinum

Agite, ite, volvite, rapite, comâ tractate per
Aſpera ſaxa, & humum: ſcindite veſtem ocyus.

Et *morſu ferarum tractari* apud Lucretium. *Heinſ.*] 17 Caſſandra Priami filia Phœbi ſacerdos. 18 Trojanas mulieres. 19 Statuas, ſimulacra.

Dum

Dum licet amplexas, ſuccenſaque templa tenentes
[20] Invidioſa trahunt victores præmia Graii.
Mittitur [21] Aſtyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro ſe, proavitaque regna [22] tuentem,
Sæpe videre [23] patrem monſtratum à [24] matre ſolebat.
Jamque viam ſuadet Boreas; flatuque ſecundo
[25] Carbaſa mota ſonant: jubet uti navita [26] ventis.
Troja, vale: rapimur, clamant: dantque oſcula terræ
[27] Troades: & patriæ fumantia tecta relinquunt.
Ultima conſcendit claſſem (miſerabile viſu)
In mediis Hecube natorum inventa ſepulcris.
[28] Prenſantem tumulos, atque oſſibus oſcula dantem
[29] Dulichiæ traxêre manus: tamen unius [30] hauſit,
Inque ſinu cineres ſecum tulit Hectoris hauſtos.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
[31] Inferias inopes crinem lacrymaſque relinquit.

Eſt, ubi Troja fuit, Phrygiæ [32] contraria [33] tellus,
[34] Biſtoniis habitata viris. [35] Polymeſtoris illîc
Regia dives erat, cui te commiſit alendum
Clam, [36] Polydore, [37] pater, Phrygiiſque removit ab armis.
Conſilium ſapiens. Sceleris niſi præmia magnas
Adjeciſſet opes, animi [38] irritamen avari.
Ut cecidit Fortuna Phrygum, capit impius enſem
[39] Rex Thracum, [40] juguloq; ſui defigit [41] alumni,
Et, tanquam tolli cum corpore crimina poſſent,
[42] Exanimem e ſcopulo ſubjectas mittit in undas.
Littore Threïcio claſſem [43] religârat [44] Atrides,
Dum mare pacatum, dum ventus amicior eſſet.
Hic ſubitò, quantus cum viveret eſſe ſolebat,
Exit humo latè rupta; ſimiliſque minaci,
Temporis illius vultum [45] referebat Achilles;
Quo ferus injuſto [46] petiit Agamemnona ferro.

20 Prædam invidiæ plenam.
21 Hectoris filius, ex Andromache: ſic dictus, quòd urbi videretur *imperaturus*. Nam ἄστυ *urbs*, & ἄναξ *rex* dicitur. Is ab Ulyſſe poſt Trojæ direptionem ex altiſſima turri fuit præcipitatus.
22 Defendentem.
23 Hectorem.
24 Andromache.
25 Vela à ventis commota ſtrepunt.
26 Ventorum commoditate, aut velis.
27 Ordo eſt: *Troades*, i. mulieres Trojanæ *clamant*, *Troja vale rapimur*, i. vi abducimur.
28 Amplectentem filiorum ſepulcra.
29 Ulyſſes (dictus Dulichius ab inſula Dulichio, prope Ithacam, ejus patriam) deprehendit Hecubam dum tumulos natorum prenſat, atque oſſibus oſcula dat.
30 Accepit.
21 Sacrificia inopum & pauperiorum.
32 Ex adverſo atque è regione Troadis poſita.

33 Thracia. 34 Thracibus. Nam *Biſtonia* urbs eſt Thraciæ, à *Biſtone*, Martis filio, cognominata; undè & *Biſtones* & *Biſtonii* Thraces dicuntur. 35 Regis Thraciæ, avaritiâ & Polydori cæde famoſiſſimi. 36 Apoſtrophe. 37 Priamus. 38 Provocationem. 39 Polymeſtor. 40 In jugulum. 41 Polydori, quem à patre alendum ſuſceperat. 42 Mortuum. Cadaver enim Polydori in mare conjecit Polymeſtor. 43 Religari juſſerat. 44 Agamemnon Atrei filius. 45 Repræſentabat, præ ſe ferebat. 46 Aggreſſus eſt, invaſit, i. e. tali vultu, quaſi videbatur Achilles ſtringere gladium in Agamemnonem, ob raptam Briſeidem.

[47] Immemoresq; mei disceditis, inquit, Achivi?
[48] Obrutaque est mecum virtutis gratia nostræ?
Nè facite: [49] utque meum non sit sine honore sepulcrum,
Placet Achillêos [50] mactata [51] Polyxena manes.

Dixit: &, [52] immiti sociis [53] parentibus umbræ,
Rapta sinu matris, quàm jam propè sola fovebat,
Fortis, & infelix, &, plusquam fœmina, virgo
Ducitur ad [54] tumulum; [55] diroque fit hostia busto.
Quæ memor ipsa [56] sui, [57] postquam crudelibus aris
Admota est; sensitq; sibi [58] fera sacra parari;
Utque [59] Neoptolemum stantem, [60] ferrumque tenentem,
Inque suo vidit figentem lumina vultu;
Utere [61] jamdudum [62] generoso sanguine, dixit.
[63] Nulla mora est. At tu jugulo vel pectore telum
Conde meo: jugulumque simul pectusque retexit.
[64] Scilicet [65] aut [66] ulli servire [67] Polyxena ferrem,
Aut [68] per tale sacrum numen placabitur ullum.
Mors tantum vellem matrem mea [69] fallere posset.
[70] Mater obest; minuitque necis mihi gaudia. Quamvis
Non mea mors illi, verùm sua vita [71] gemenda est.
[72] Vos modò, [73] ne Stygios adeam non libera manes,
Este procul; si justa peto: tactuque viriles
Virgineo removete manus: [74] acceptior illi,
[75] Quisquis is est, quem cæde mea plâcare paratis,
Liber erit sanguis. Si quos tamen ultima nostri
Vota movent oris; Priami vos filia regis,
Non captiva rogat; genitrici corpus inemtum

47 Achillis umbra Græcos ingratitudinis accusat.
48 Sepulta.
49 Ut meum honoretur sepulcrum.
50 Immolata.
51 Ita dicta, quasi *Multorum hospita*. Filia fuit Priami ex Hecuba, quam Achilles & vivus amavit, & mortuus sibi immolari voluit.
52 Crudeli, quæ sibi virginem immolari volebat.
53 Obedientibus.
54 Sepulcrum Achillis, quod in Sigæo promontorio erat.
55 Sepulcro crudelium & dirorum manium, qui sibi virginem immolari jubebant.
56 Sui generis.
57 Postquam crudeliter ad aras fuit adducta.
58 Crudelia, utpote quibus ipsa interficiebatur.
59 Pyrrhum, Achillis ex Deidamia filium: qui *Neoptolemus* fuit appellatus, quòd *juvenis* admodum ad *bellum* Trojanum est profectus: νέος enim *juvenis*, & *novus*, & πτόλεμος sive πόλεμος *bellum* dicitur. 60 Ensem, quo ipsa erat juguланda. 61 Citò. 62 Meo sanguine, quæ sum generosa. 63 Sc. *in me*. 64 Certè. Asseverantis est adverbium. 65 Nulli certè servire vellem, cum sim Polyxena Priami regis filia. 66 Nulli. 67 Emphasis est. Q. d. Priami regis filia Hectorisque soror. 68 Per meam cædem. 69 Latere. Se autem Polyxena in matrem piam esse ostendit, cùm de illa sola se dicat esse sollicitam. 70 Dolor, quo mater afficitur morte meâ animum meum cruciet. 71 Lugenda & deflenda. 73 Rogat Polyxena, ne quisquam virorum se tangat, ut inviolata ad inferos descendat. 73 Ut libera moriar. 74 Gratior. 75 Sive Deus, sive heros. Ignorat enim Polyxena, quem cæde sua sit placatura.

Reddite:

Reddite: neve auro redimat [76] jus triſte ſepulcri,
Sed lacrymis. [77] Tunc, cùm poterat, redimebat & auro.
Dixerat. At populus lacrymas, quas illa tenebat,
Non [78] tenet. Ipſe etiam flens [79] invituſque ſacerdos
[80] Præbita conjecto rupit præcordia ferro.
[81] Illa, ſuper terram [82] defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos [83] ad fata noviſſima vultus.
[84] Tunc quoque cura fuit partes velare [85] tegendas,
Cùm caderet; caſtique decus ſervare pudoris.
[86] Trōades excipiunt; deploratoſque [87] recenſent
Priamides: & [88] quid dederit domus una cruoris.
[89] Teq; gemunt, virgo; teque, ô modo regia conjux,
Regia dicta parens, Aſiæ florentis imago;
Nunc etiam [90] prædæ mala ſors: quam victor Ulyſſes
Eſſe ſuam nollet, [91] niſi quòd tamen Hectora partu
Edideras. [92] Dominum matri vix repperit Hector.
Quæ corpus complexa animæ tam fortis [93] inane,
Quas toties patriæ dederat, natiſq; viroq;
Huic quoque dat lacrymas, lacrymas in vulnera fundit.
[94] Oſculaque ore legit: [95] conſuetaque pectora [95] plangit:
[97] Canitiemque ſuam [98] concreto in ſanguine [99] [verrens,
Plura quidem, ſed & hæc, laniato pectore dixit:
Nata tuæ (quid enim ſupereſt?) dolor ultime matri,
Nata, jaces: videoque [100] tuum mea [101] vulnera vulnus.
En, nè perdiderim quenquam ſine cæde meorum,
Tu quoque vulnus habes. At te, quia fœmina, rebar
A ferro tutam: Cecidiſti & fæmina ferro.
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem,
Exitium Trojæ noſtrique [102] orbator, Achilles.

76 Facultatem ſepeliendi.
77 Quando mater mea poterat, non lacrymis ſolum, ſed etiam auro filiorum cadavera ab hoſtibus redimebat.
78 Continet, cohibet.
79 Pyrrhus, qui ſacrificii curator, & Pontifex fuerat deſignatus.
80 Exhibita.
81 Polyxena.
82 Deficientibus genibus.
83 Uſque ad mortem.
84 Quam curam Julio quoque Cæſari fuiſſe narrat Suetonius, ut togam ad pedes demitteret, quò à conjuratoribus vulneratus honeſtiùs caderet.
85 Pudendas.
86 Trojanæ mulieres ſuſcipiunt jacens Polyxenæ cadaver.
87 Recognoſcunt, enumerant: quod in næniis & fletibus fiebat.
88 Quantum ſanguinis: nam Priamidæ omnes fuerant interfecti.
89 Apoſtrophe ad Polyxenam atque Hecubam, quæ paulò antè Aſiæ regina vocabitur. 90 Nam Hecuba paulò ante quidem erat *regia conjux, regia parens, Aſiæ florentis imago. Nunc etiam eſt prædæ mala ſors:* quam omnes aſpernabantur. 91 Ratio eſt quâ motus Ulyſſes, Hecubam accepit. 92 Eleganter Hecubæ lamentabile ſtatum exhibet Poëta: ac ſi diceret, *Illa magni Hectoris mater adeo abjecta eſt, ut vix inveniatur dominus, cui ſerviat.* 93 Tam conſtanti animâ vacuum. 94 Parva Polyxenæ ora. Eſt enim ab ore diminutivum hoc loco oſculum. 95 Aſſueta plangi & percuti filiorum cædibus. 96 Percutit. 97 Caput ſuum canum. Solebant autem veteres in maximis doloribus caput ſuum pulvere fœdare. 98 Coagulato. 99 Volvens. 100 Sc. *vulnere transfixum.* 101 Meos dolores. 102 Qui nos liberis orbavit atque ſpoliavit.

At

At postquam cecidit Paridis Phœbique [103] sagittis;
Nunc certè, dixi, non est metuendus Achilles.
Nunc quoque [104] mî metuendus erat. Cinis ipse sepulti
[105] In genus hoc sævit: [106] tumulo quoque sensimus hostem:
[107] Æacidæ fœcunda fui: jacet Ilion ingens:
[108] Eventuque gravi finita est publica clades:
Si finita tamen. [109] Soli mihi Pergama restant:
[110] In cursuque meus dolor est. [111] Modò maxima rerum,
[112] Tot generis natisque potens, nuribusque, viroque
Nunc trahor exsul, inops, tumulis avulsa meorum,
[113] Penelopæ munus. Quæ me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis, Hæc Hectoris illa est
Clara parens: hæc est, dicet, Priameïa conjux.
Postque tot amissos [114] tu nunc, quæ sola levabas
Maternos luctus, [115] hostilia busta [116] piâsti.
Inferias hosti peperi. [117] Quò ferrea resto?
Quidve [118] moror? quò me servas, damnosa senectus?
Quid, Dî crudeles, nisi quo nova funera cernam,
[119] Vivacem [120] differtis anum? Quis posse putaret
Felicem Priamum post diruta Pergama dici?
Felix morte sua [121] nec te, mea nata, peremtam
Aspicit; & vitam pariter regnumque reliquit.
At (puto) [122] funeribus dotabere, regia virgo;
Condeturq; tuum monumentis corpus avitis:
Non hæc est Fortuna domus. Tibi munera matris
Contingit fletus, peregrinæque haustus arenæ.
Omnia perdidimus. [123] Superest, cur vivere tempus
In breve sustineam, proles gratissima matri,
Nunc solus, quondam minimus de stirpe virili,
Has [124] datus [125] Ismario regi Polydorus in oras.

103 Dirigente enim Paridis sagittas Apolline, Achilles fuit interfectus.
104 Mihi.
105 In genus nostrum.
106 In tumulo & sepulcro existentem.
107 Ad Achillis voluptatem multos peperi liberos.
108 Exitu pernicioso.
109 Sensus est. *Aliis jam fato functis Troja diruta est; mihi verò soli restat.* Scil. quia hostes perinde in eam sæviunt, ac si Troja ipsa staret, neque finis esset bello impositus.
110 In perseverantia. Non enim finitur.
111 Ex qua felicitate in quas miserias reciderit, flebiliter Hecuba commemorat.
112 Hecuba Priamo 7. filias; & 12. filios peperisse scribitur. Ex aliis enim mulieribus reliquos ad 50. usque Priamus suscepit.
113 Ulyssis uxori.
114 Polyxena.
115 Hostium sepulcra & manes. Est autem Apostrophe ad Polyxenam commiserationis plena. 116 Macasti. 117 Ad quem vitæ exitum ego in me ipsam crudelis reservor. 118 Exspecto. 119 Me vetulam diu viventem. 120 In longum tempus differtis. 121 Rationibus colligit Hecuba Priamum inter felices numerandum. 122 Pompâ funerea, i. e. exsequiarum honoribus ornaberis. Est autem Ironia doloris plena, qua significat Hecuba Polyxenam & funeris & sepulturæ honore carituram. 123 De tot filiis meis solus restat Polydorus Polymestori regi commendatus. Sed fallitur Hecuba; jam enim à Polymestore erat interfectus. 124 Missus. 125 Polymestori Thraciæ regi. Nam *Ismarus* Thraciæ mons est. De hoc Polydoro sic Virg. 3. Æn. *Hunc Polydorum auri*, &c. usque ad *Auri sacra fames?*

Quid

Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere, & [126] sparsos immiti sanguine vultus?
Dixit: & ad littus passu processit anili,
Albentes laniata comas: date, Tröades, urnam,
Dixerat infelix, liquidas hauriret ut undas:
Aspicit ejectum Polydori in littore corpus,
Factaque Threïciis ingentia vulnera telis.
Tröades exclamant. Obmutuit [127] illa dolore;
Et pariter vocem, lacrymasque [128] introrsus obortas
[129] Devorat ipse dolor: duroque simillima saxo
Torpet: adversa figit [130] modò lumina [131] terrâ;
Interdum [132] torvos sustollit ad æthera vultus:
Nunc [133] positi spectat vultum, nunc vulnera, nati;
Vulnera præcipuè: seq; armat & instruit irâ.
Quâ simul exarsit, tanquam regina [134] maneret,
Ulcisci statuit; pœneque [135] in imagine tota est.
Utque [136] furit catulo lactente orbata leæna;
Signaq; nacta pedum sequitur, quem non videt, [137] hostem:
Sic Hecube, postquam cum luctu miscuit iram,
Non oblita [138] animorum, annorum oblita suorum,
Vadit ad artificem diræ Polymestora cædis:
Colloquiumque petit: nam [139] se monstrare relictum
Velle [140] latens illi, quod nato redderet, aurum.
Credidit [141] Odrysius: prædæque assuetus amore
In secreta venit. Cum blando callidus ore,
Tolle moras Hecube, dixit: da munera nato.
Omne fore illius quod das, quod & antè dedisti,
Per superos juro. Spectat [142] truculenta loquentem,
Falsaque jurantem: [143] tumidaque exæstuat irâ.
Atque ita [144] correptum captivarum agmine matrum
[145] Involat, & digitos in perfida lumina condit,
[146] Exspoliatque genas oculis, ([147] facit ira potentem)
Immergitque manus: fœdataque [148] sanguine sonti

126 Infectos. Cadavera autem antiqui abluebant. 127 Hecuba. 128 Intùs natas. 129 Consumit. 130 Interdum. 131 In Tröade, ubi fuit Troja è regione Thraciæ sita. 132 Tristitiâ efferatos. 133 Jacentis. 134 Esset. 135 In imaginatione & cogitatione pœnæ, quâ Polymestorem afficere posset. 136 Sævit. Hac autem similitudine ostendit Poëta, quantam iram indignationem que conceperit Hecuba adversus Polymestorem, filii, quem educandum susceperat, interfectorem. 138 Magnitudinis ac præstantiæ animi sui. 139 Sc. *ait*. 140 Occultum. 141 Polymestor Thracius: nam *Odrysæ* sunt populi Thraciæ, & *Odryso* urbs eorum. 142 Indignata, torvum præ se ferens aspectum. 143 Quæ tumidos & inflatos homines reddit. 144 Comprehenso Polymestore. 135 [*Involare* cum quarto casu exemplis non caret apud Veteres. Lucanus & Lib. VI.

----*Quos Cæsaris involet artus.*]

147 [*Exspoliare* verbum Quadrigario usurpatum: qui *Agrum Campanum exspoliabatur* dixit: Adi Nonium verbo *Spolio*. Heinsius.] 148 Sanguine nocentis ac scelerati Polymestoris.

Non

Non [149] lumen, neque enim [150] supereſt, loca luminis [151] haurit.
Clade ſui Thracum gens irritata tyranni
[152] Troäda telorum lapidumque [153] inceſſere jactu
Cœpit. At [154] hæc miſſum [155] rauco cum murmure ſaxum
Morſibus inſequitur: rectuque in verba parato
Latravit conata loqui: locus exſtat, & [156] ex re
Nomen habet. Veterumque diu memor illa malorum,
Tum quoque [157] Sithonios ululavit mœſta per agros.
Illius Troaſque ſuos hoſteſque Pelaſgos,
Illius Fortuna Deos quoque moverat omnes:
Sic omnes, ut & ipſa [158] Jovis conjuxque ſororque,
Eventus Hecubam meruiſſe negaverit illos.

149 Oculos.
150 Salvum eſt.
151 Percutit, aperit.
152 Hecubam Trojanam.
153 Irritare, provocare, invadere.
154 Hecuba.
155 Cùm voce canina. Jam enim in canem fuerat mutata.
156 Nam κυνὸς σῆμα appellatur, i. *canis ſepulcrum.*
157 Thracios. Nam *Sithonia* pars eſt Thraciæ.
158 Juno, quæ Trojanorum tam atrox erat inimica.

Memnonis cineres in aves. *Fab.* VI.

ARGUMENTUM.

Memnon, Tithoni & Auroræ filius, Priamo ferens auxilium ab Achille occiditur. Mater ergo precibus pro aſſiduo officio inducendæ lucis ab Jove impetrat, ut favillæ ejus aduſto rogo in volucres converterentur, Memnonides nomine. Quæ memores belli, quotannis ad ſepulcrum ejus conveniunt, & inter ſe dimicantes ſanguine ſuo manibus ejus frequentes parentant. Et ipſa mater ejus matutinis temporibus lacrymas deſiderio filii ſui Memnonis transformat in rorem: quod tamen monumentum in Phrygia conſtituit patruus ejus, ut Heſiodus vult.

NOn vacat [1] Auroræ, [2] quamquam iſdem faverat armis,
Cladibus & caſu Trojæque Hecubæque moveri
Cura Deam propior, luctuſq; domeſticus angit
Memnonis amiſſi. Phrygiis quem [3] lutea campis
Vidit Achillêa pereuntem cuſpide mater.
Vidit; & ille color, quo matutina rubeſcunt
Tempora, palluerat: latuitq; in nubibus æther.
At non impoſitos ſupremis ignibus artus

1 Tithoni uxori, Memnonis matri.
2 Propter Tithonum maritum, qui Laömedontis fuerat filius, ac Priami frater.
3 Aurora ipſa, Memnonis mater, rutila ac rubicunda.

4 Suſti-

[4] Sustinuit spectare [5] parens: sed crine soluto
Sicut erat, magni genibus procumbere non est
Dedignata Jovis, lacrymisque has addere voces:
[6] Omnibus inferior, quas sustinet [7] aureus æther,
([8] Nam mihi sunt totum rarissima templa per orbem)
Diva tamen venio; non ut delubra, [9] diesq;
Des mihi sacrificos, caliturasq; [10] ignibus aras.
Si tamen [11] aspicias, [12] quantum tibi fœmina præstem,
Tum cùm luce novâ [13] noctis confinia servo;
Præmia danda putes. Sed non ea cura; neque hic est
Nunc status Auroræ, meritos ut poscat honores:
Memnonis orba mei venio: qui fortia [14] frustra
Pro [15] patruo tulit arma suo: primisque sub annis
Occidit à [16] forti (sic vos voluistis) Achille.
Da, precor, huic aliquem solatia mortis honorem,
Summe Deûm rector: [17] maternaque vulnera leni.
Jupiter annuerat. Cùm Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus: nigriq; [18] volumina fumi
[19] Infecêre [20] diem. Veluti cùm flumina natas
[21] Exhalant nebulas, nec Sol admittitur [22] infra.
Atra favilla volat: [23] glomerataque corpus in unum
Densatur; [24] faciemq; capit: sumitque calorem
Atque [25] animam ex igni. [26] Levitas sua præbuit alas.
Et primo similis volucri, mox vera volucris
Insonuit pennis. Pariter sonuêre sorores
Innumeræ; [27] quibus est eadem natalis origo.
Terq; rogum [28] lustrant: & consonus exit in auras
Ter [29] clangor. Quarto [30] seducunt castra vola- [tu.
Tunc duo [31] diversa populi de parte feroces
Bella gerunt: rostrisque, & aduncis unguibus iras
Exercent; alasque adversaque pectora lassant.
Inferiæque cadunt cineri [32] cognata sepulto
Corpora: seque viro forti meminêre creatas.
[33] Præpetibus subitis nomen facit [34] auctor; ab illo
Memnonides dictæ, [35] cùm Sol duodena peregit

4 Potuit.
5 Quia parens erat.
6 Omnium infima.
7 Splendidum cœlum.
8 Ratio est, cur Aurora omnium Dearum sit infima.
9 Dies festos.
10 Sacrificiis.
11 Considere res.
12 Quantum tibi prosim, quamvis fœmina sim.
13 Custodio ne nox suos fines transeat. Nisi enim Aurora vigilans esset, nox semper videretur duratura.
14 Quia & ipse fuit interfectus, & Troja eversa.
15 Priamo, qui Tithoni frater.
16 Sc. *interfectus, percussus.*
17 Et maternos dolores mitiga.
18 Revolutiones.
19 Obscuravêre, denigravére.
20 Diei lucem.
21 Emittunt.
22 Sc. *nebulas.*
23 Congregata.
24 Figuram ac formam accipit.
25 Vitam.
26 Propria favillæ levitas alas effecit.
27 Nam & ipsæ ex favillis sunt ortæ.

28 Circumagunt. 29 Clangor. 30 Separant castra, & dividunt se in duas partes. 31 Ex partibus adversis. 32 Simul nata. 33 Subitò natis alitibus. 34 Memnon earum origo. *Memnonides* enim à *Memnone* fuerunt cognominatæ. 35 Quotannis, ubi Sol per duodecim signa cœlestia cursum annuum peregit.

Signa

Signa, parentali [36] perituræ Marte [37] rebellant.
Ergò aliis latrâsse [38] Dymantida flebile visum:
Luctibus est Aurora suis intenta; piasque
Nunc quoque dat lacrymas: & toto [39] rorat in orbe.

36 [Alludit ad munera gladiatoria in funeribus Patriciis adhiberi solita.] 37 Bellum iterum inter se suscipiunt. 38 Hecubam Dymantis filiam. 39 Rorem fundit.

Anii filiæ in columbas. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Æneas cum parente Anchise & filio Ascanio profugus Delphos venit. Hic ab Anio sacerdote Apollinis recipitur hospitio: quibus indicat quinque se natorum, hoc est, filii unius & quatuor filiarum parentem, orbum relictum. Andrum enim filium, à quò Andros insula, reliquisse patriam narrat. Huic ut Apollo dederit augurium, sic Liberum dedisse virginibus, ut contacta manibus earum in segetem, vinum, oleumque verterentur. Eas Agamemnon ut cælesti munere exercitum aleret, cùm vellet abducere, in insulam eandem Andron profugisse. Hinc rursus ne vinculis illigatæ raperentur potentia regis Agamemnonis, Liberi numen effecit ob misericordiam, & muneris sui caussam, ut in columbarum speciem transferrentur.

[1] NEc tamen eversam Trojæ cum mœnibus esse
Spem quoque fata sinunt. [2] Sacra, & [3] sacra altera patrem,
Fert humeris venerabile onus [4] Cythereius heros.
De tantis opibus [5] prædam pius eligit illam;
Ascaniumque suum: profugaq; per æquora classe
Fertur ab [6] Antandro: scelerataq; limina Thracum,
Et Polydorêo manantem sanguine terram
[7] Linquit: & utilibus ventis æstuque secundo
Intrat Apollineam, sociis comitantibus [8] urbem.
[9] Hunc Anius, quo rege [10] homines, antistite Phœbus

1 Non ita quidem in satis est, ut cum dirutâ Troja, etiam Trojanorum spes omnis sit eversa. Stirps enim Trojana, duce Ænea, intulit Deos Latio, *Genus unde Latinum, Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ*, ut Virg. inquit Lib. 1. Æneid. 2 Deæ Vestæ: inde *Vesta patröa Virgo* dicta Catullo: Romanis enim sollenne fuit, quotiescunque ardua quæque sunt aggressi, ipsi supplicari, ejusque favorem appetere, ut suis cæptis propitia foret. 3 Patrem Anchisem. Non enim minùs pium est parentibus, quam sacris, auxilium ferre. 4 Æneas Veneris, quæ & *Cytherea* dicitur, filius. 5 Sacra, & patrem. 6 *Antandrus* urbs est sub Ida, ab *Antandro* duce cognominata. 7 Quamvis ibi jam urbem Ænum ædificasset, ut Virgil. 3. Æn. narrat. 8 Urbem in insula Delo, regnatam Anio. 9 Æneam. 10 Sc. *utebantur*. Erat enim *Rex hominum, Phœbique sacerdos*. Virg.

Ritè

Ritè colebantur, temploque, domoque recepit:
Urbemque ostendit, delubraque [11] vota, [12] duasque,
Latonâ quondam stirpes pariente retentas.
[13] Thure dato flammis, vinoque in thura profuso,
Cæsorumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt: positique [14] tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.
Tum pius [15] Anchises: O Phœbi lecte sacerdos,
Fallor? an & natum, [16] cùm primùm hæc mœnia vidi,
[17] Bisque duas natas, quantum reminiscor, habebas?
Huic Anius niveis circumdata tempora vittis
Concutiens, & tristis, ait: Non falleris, heros
Maxime: natorum vidisti quinque parentem.
Quem nunc (tanta homines rerum [19] inconstantia versat)
[20] Pænè vides orbum. [21] Quid enim mihi filius absens
Auxilii? quem dicta suo de nomine tellus
[22] Andros habet, pro patre locumque & regna tenentem.
[23] Delius [24] augurium dedit [25] huic: dedit altera [26] Liber
Fœmineæ [27] sorti voto majora fideque
Munera: Nam tactu natarum cuncta mearum
In segetem, [28] laticemque meri, [29] baccamque Minervæ
Transformabantur: [30] divesque erat usus in illis.
Hoc ubi cognovit [31] Trojæ populator Atrides,
([32] Nè non ex aliquâ vestram sensisse procellam
Nos quoque parte putes) armorum viribus usus
Abstrahit invitas gremio genitoris: alantque
Imperat Argolicam cœlesti munere classem.
Effugiunt quò quæque potest. [34] Eubœa duabus,
Et totidem natis Andros fraterna petita est.
[35] Miles adest: &, ni dedantur, bella minatur.
Victa metu [36] pietas consortia [37] pectora pœnæ
Dedit & ut timido possis ignoscere fratri;
Non hic Æneas, non, qui defenderet Andron,

11 [i. e. devota: Livio *voti boves centum*.]
12 Duas arbores, quas tenens amplectensque Latona, Apollinem & Dianam peperit.
13 Sacrificiis peractis.
14 Instratis tapetibus toris altis.
15 Sc. *inquit*.
16 Quando.
17 Anius quatuor habuit filias, quibus Bacchus concessit, ut quicquid tangerent, in frumentum, vel vinum, vel oleum mutaretur. Eas cùm Agamemnon vi ducere vellet in expeditionem Trojanam, ut exercitum alerent, Bacchi auxilio in columbas fuisse mutatas fabulantur.
19 Instabilitas fortunæ.
20 Ferè carentem filiis.
21 Nulli mihi est auxilio filius absens, quamvis sit vivus.
22 Insula est, ab *Andro*, Anii filio, denominata.
23 Apollo.
24 Auguriorum ac vaticinandi peritiam.
25 Andro.

26 Bacchus. 27 [Ita lib. VI. v. 679.

Quattuor ille quidem juvenes, totidemque crearat
Fœmineæ sortis]

28 Vinum. 29 Olivam. Pallas enim olivam extulit in lucem. 30 Opulenta utilitas. 31 Agamemnon Trojæ deprædator. 32 At scias vestram calamitatem etiam ex quadam parte me oppressisse. Metaphora à tempestate. 34 Insula est Bœotiæ adjacens, admodum longa. 35 Milites Græci instant. 36 Andri fratris in sorores. 37 A *dedo*.

Hector erat : [38] per quos decimum durâstis in annum.
Jamque parabantur [39] captivis vincla lacertis.
Illæ tollentes etiamnum libera cœlo
Brachia, Bacche pater, fer opem, dixêre : tulitque
Muneris auctor opem. Si [40] miro [41] perdere more
[42] Ferre vocatur opem. Nec qua ratione figuram
Perdiderint, potui scire, aut nunc dicere possim.
Summa mali nota est. Pennas sumsêre ; [43] tuæque
Conjugis in volucrem niveas [44] abiêre columbas.

38 Quorum virtute.
39 Captivarum brachiis.
40 Mirando modo.
41 Destruere, delêre.
42 Q. d. Anius : Perdere miro modo non esse opem ferre.
43 Veneris, cujus conjugio tu Anchisen dignatus es. Nam Veneri columbæ sunt dicatæ.
44 Conversæ fuere.

Orionis filiæ pro Thebanis immolatæ, & duo juvenes ex earum favillis. *Fab.* V.

ARGUMENTUM.

Discedentes ab Anio Anchises & Æneas, invicem munera dant, & accipiunt. In quibus fuit crater Æneæ datus, ab Alcone Lydio cælatus, quem Anius à Therse Bæotico acceperat : in quo sculptæ erant Thebæ, & Orionis filiæ, quæ pro populo Thebano se passæ erant immolari. Quæ cùm adustæ essent, è rogi favilla duo adolescentes increverunt : qui & virginum nomine Coronæ sunt nominati.

Talibus atque aliis postquam convivia dictis
Implêrunt ; mensâ somnum patiêre remotâ.
Cumque die surgunt : adeuntque oracula Phœbi.
Qui petere antiquam [1] matrem, cognataque jussit
Littora. Prosequitur [2] Rex, & dat munus ituris ;
Anchisæ sceptrum, chlamydem pharetramque [3] nepoti,
Cratera Æneæ, quem quondam miserat illi
Hospes ab Aoniis Therses [4] Ismenius [5] oris.
Miserat hunc illi Therses, fabricaverat Alcon
[6] Myleus ; & [7] longo cælaverat argumento.
[8] Urbs erat : & septem posses ostendere portas.

1 Italiam, unde Dardanus, Trojanæ gentis auctor, in Phrygiam venerat.
2 Anius.
3 Ascanio.
4 Thebanus ab Ismeno, Bœotiæ fluvio.
5 Bœotia, cujus pars Aonia.
6 Est Mylæ Siciliæ urbs : hinc Mylæus pro Siculo
7 Prolixâ materiâ.
8 In illo cratere cælata erat urbs Thebæ.

9 Hæ pro nomine erant; &, quæ foret illa, docebant.
Ante urbem exequiæ, tumulique, ignesque, rogique,
10 Effusæque comas, & apertæ pectora matres
Significant luctum. Nymphæ quoque flere videntur;
Siccatosque queri fontes. Sine frondibus arbos
Nuda riget: rodunt arentia saxa capellæ.
Ecce facit mediis 12 natas Orione Thebis,
Hanc 13 non fœmineum jugulo dare pectus aperto,
Illam dimisso per fortia vulnera telo,
Pro populo cecidisse suo; pulcrisque per urbem
Funeribus ferri, celebrique in parte cremari:
Tum de virginea geminos exire favillâ,
Ne genus intereat, juvenes, quos fama Coronas
Nominat, & cineri materno ducere pompam.

9 Nam septem portæ significant eas esse Thebas Bœotias. Thebæ enim Bœotiæ septem portas habuisse dicuntur.
10 Diffusas & sparsas & comas & aperta pectora habentes.
11 Herbæ enim omnes aruerant.
12 Filias Orionis.
13 Non timidum, sed virile, & audax: omnes enim constanti animo, ad Deorum iram placandam, se immolari passæ sunt.

Judex Ambracius in saxum, & filii Molossi in aves. *Fab.* VI, & VII.

ARGUMENTUM.

Petentes insulam Cretam, & hinc Italiam Æneas & Anchises, ut aliquando errorem positis ædibus finire possent, multis regionibus transitis Ambraciam adeunt, à Diis olim per certamen petitam. In quam Ambracii judicis imaginem in saxum conspiciunt figuratam. Hinc in Chaoniam, in qua oraculum Jovis Dodonæi. Ibique aspiciunt Molossi regis filios: qui ne flamma consumerentur, immortalium numine factum est, ut in avium figuras mutarentur.

1 Hactenus antiquo 2 signis fulgentibus ære
Summus 3 in aurato crater erat 4 asper acantho.
Nec 5 leviora datis Trojani dona 6 remittunt:
Dantque sacerdoti custodem thuris 7 acerram;
Dant pateram, claramque auro gemmisque coronam.

1 Simulachra hactenus enumerata in antiquo ære sculpta erant: crateris vero summo ora aurato opere prætexebatur, quod acanthum herbam referebat. Summus autem foliis hujus herbæ honos accessit, postquam Callimachus Architectus Capita columnarum, quæ ab eo Corinthiæ dictæ sunt, foliis Acanthi coöperiri voluit. 2 Simulacris. 3 Quia in aurato cratêre Acanthus erat insculptus. 4 Cælatus. Nam vasa cælata aspera sunt. 5 Minora. 6 Retribuunt. 7 Arculam, in quam thus reponi solet, quo Diis sacrificatur.

[8] Indè recordati Teucros á ſanguine Teucri
Ducere principium, Creten tenuêre ; lotique
Ferre diu nequiêre [9] Jovem. [10] Centumque relictis
Urbibus, [11] Auſonios optant contingere portus.
Sævit hyems, jactatque viros : [12] Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales [13] Aëllo.
Et jam [14] Dulichios portus, Ithacamque, Samenque,
[15] Neritiaſque domos, regnum fallacis [16] Ulyſſei,
Præter erant vecti : [17] certatam lite Deorum
[18] Ambracian, verſique vident ſub imagine ſaxum
Judicis, [19] Actiaco quæ nunc ab Apolline nota eſt ;
Vocalemque ſua [20] terram Dodonida quercu,
[21] Chaoniosque ſinus : [22] ubi nati rege Moloſſo
Irrita ſubjectis fugêre incendia pennis.

8 Hiſce apud Anium peractis, *Trojani recordati Teucros ducere principium à ſanguine Teucri petunt Cretam*, &c. 9 Aërem. Sic Horat. Lib. 1. Od. 1. *Sub Jove frigido*. 10 Relicta Creta centum urbibus clara. 11 Italos. 12 *Strophades* inſulæ ſunt in mari Jonio duæ juxtâ Zacyndum, ἀπὸ τῆς στροφῆς, i. à *converſione*, Zetes & Calaïs dictæ : nam illuc uſque Harpyjas proſecuti retrò rediêre. 13 Harpyjarum una, quæ Virgilio *Celæno* 3. Æneid. Hæ tres eſſe finguntur, Neptuni & Terræ filiæ : Aëllo, Ocypete, & Celæno. 14 *Dulichium*, *Ithaca*, *Samus*, inſulæ ſunt in mari Jonio, quibus imperavit Ulyſſes. 15 *Neritus* & mons eſt in Ithaca inſula, & urbs. 16 Eſt hic genitivus nominis Ulyſſeus 2. declin. 17 De qua Dii certarunt. 18 Urbem Theſprotiæ Epiri, concilio Deorum claram. 19 Qui apud Actium colebatur. Eſt verò Actium oppidum & promontorium Epiri, ubi Auguſtus prælio navali Antonium & Cleopatram devicit. 20 Et terram Dodonæam, i. e. nemus juxta Dodonam urbem, in Chaonia Epiri regione, in quo duæ columbæ è quercu reſponſa dabant. Sunt qui ipſas arbores vocales fuiſſe, atque oracula edidiſſe volunt. 21 *Chaones* populi ſunt Epiri. 22 Significat autem Poeta Moloſſi filios in aves fuiſſe mutatos. Obſcuram eſſe hanc fabulam notant interpretes.

Polyphemus Galateæ amore captus, & Acis in fluvium. Fab. VIII.

ARGUMENTUM.

Acis Fauni Simethidiſque Nymphæ filius Galateam Nerei & Doridis filiam cùm diligeret, nec minùs ipſe ab ea peteretur ; Cyclops ejus quoque captus amore, dolens copiam ejus nullam ſibi fieri (erat enim Galateæ Cyclops feritas inviſa) incenſus furore, ſpelunca relicta, palam proſiluit ; vagatuſque per ſylvas conſpexit Galateam gremio Acidis reſidentem ; avulſumque ſcopulum Ætnæ in eos ejecit : cujus vi exterrita Galatea ſubjecto mari merſa eſt. Acis vero, qui effugere impetum ejus non

non potuit, obrutus ſaxo eſt : cujus cruor numine ejuſdem Galateæ in flumen ejuſdem nominis ſui, quod eſt in Sicilia, verſus eſt.

[1] PRoxima Phæacum felicibus obſita pomis
Rura petunt. Epiros [2] ab his, [3] regnataque vati
[4] Buthrotos Phrygio, [5] ſimulataque Troja tenentur.
Indè futurorum certi, quæ cuncta fideli
Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant
[6] Sicaniam. Tribus hæc excurrit in æquora linguis.
E quibus imbriferos [7] obverſa Pachynos ad [8] Auſtros:
[9] Mollibus expoſitum Zephyris [10] Lilybæon: at [11] Arcton
Æquoris expertem ſpectat Boreanque [12] Peloros.
Hanc ſubeunt Teucri: remis æſtuque ſecundo
Sub noctem potitur [13] Zanclæa claſſis arenâ.
[14] Scylla latus dextrum, lævum irrequieta [15] Charybdis
Infeſtant. Vorat hæc raptas revomitque carinas:
[16] Illa feris atram canibus ſuccingitur alvum;
Virginis ora gerens: & (ſi non omnia vates
Ficta reliquerunt) aliquo quoque tempore virgo.
Hanc multi petiêre proci: quibus illa repulſis
Ad pelagi Nymphas, pelagi gratiſſima Nymphis,
Ibat: & eluſos juvenum narrabat amores.

1 Æneæ navigationem deſcribit Poëta, quò in Siciliam tandem perveniat, ubi Acis juvenis in fluvium ſui nominis fuit mutatus. Sunt autem Phæaces populi inſulæ Corcyræ, pomariis Alcinoi claræ.
2 Poſt hæc.
3 Heleno, Priami filio, cui poſt mortem Pyrrhi ab Oreſte cæſi, in conjugium ceſſerat, una cum regno Epiri, Andromache, quæ fuerat uxor Hectoris, dein Pyrrho capta, & illi in Epiro connubio juncta.
4 Urbs eſt haud longè à Corcyra diſtans.
5 Condiderat Helenus in Epiro urbem repræſentatam, & delineatam ad formam antiquæ Trojæ. 6 Siciliam; [pari modo Lucanus quoque locutus eſt lib. 11. de Brundiſio,

Hic latus anguſtum jam ſe cogentis in arctum
Heſperiæ tenuem producit in æquora linguam.]

7 Ad *linguam* refertur, non ad *Pachynum*. 8 Ad meridiem, undè flat Auſter. 9 Molliter ac ſuaviter ſtantibus. 20 Urbs eſt Siciliæ, & promontorium, Occidentem verſus, undè flat Zephyrus, ſpectans. 11 Ad Septentrionem. 12 *Pelorus* autem dictus eſt à *Pelore* claſſis Hanibalis gubernatore ibi ſepulto. 13 *Zancle* urbs eſt Siciliæ à *Zanclo* gigante, vel à *Zancle* fonte dicta. 14 Duæ fuerunt Scyllæ: quarum altera Niſi filia in avem fuit mutata: altera Phoci filia de qua hic agitur, in monſtrum, quod in freto Siculo navigantibus inſidiatur nata eſt fabula, è ſaxo, vel ſcopulo in freto Mamertino inter Siciliam, & Italiam, navigantibus periculoſiſſimo. 15 Hanc Poëtæ fabulantur fuiſſe vetulam furaciſſimam, quæ cum Herculi boves furata eſſet, à Jove in fretum projecta in monſtrum marinum fuit mutata, quod adhuc priſtinam retinet rapiendi naturam: nam illac tranſeuntes naves ad ſe rapit, devoratque ac removit. Eſt vero hic in freto Siculo gurges periculoſiſſimus, Scyllæ oppoſitus. 15 Scylla. n. cujus inguina canibus cincta. Vide infra Lib. 14. Fab. 1. & quæ nos ibi.

Quam, dum pectendos præbet [17] Galatea capillos,
Talibus alloquitur repetens suspiria dictis:
Te tamen, ô virgo, genus haud immite virorum
Expetit: utque facis, potes his impune negare.
At mihi, cui pater est Nereus, quam cærula Doris
Enixa est; quæ sum turbâ quoque tuta [18] sororum,
Non nisi per fluctus licuit [19] Cyclopis amorem
Effugere: & lacrymæ vocem impediêre loquentis.
Quas ubi [20] marmoreo detersit pollice [21] virgo;
Et solata [22] Deam est; Refer, ô carissima, dixit,
Neve tui caussam tege (sum tibi fida) doloris.
[23] Nereïs [24] his contra [25] resecuta Cratæide natam:
Acis erat Fauno Nymphaque [26] Symæthide cretus,
Magna quidem patrisque sui matrisque voluptas,
Nostra tamen major: nam me sibi junxerat uni
Pulcher: & [27] octonis iterum natalibus actis,
Signârat [28] dubia teneras lanugine malas.
[29] Hunc [30] ego, me [31] Cyclops, [32] nullo cum fine petebat.
[33] Nec, si quæsieris odium Cyclopis, amorne
Acidis in nobis fuerit [34] præsentior, [35] edam.
[36] Par utrimque fuit. Pro quanta potentia regni
Est, Venus alma, tui! Nempe ille immitis, & ipsis
Horrendus [37] silvis, & visus ab hospite nullo
[38] Impunè, & magni cum Dîs contemtor Olympi;
Quid sit amor sentit: nostrique cupidine captus
Uritur; oblitus pecorum antrorumque suorum.
Jamque tibi formæ, jamque est tibi cura placendi:
Jam rigidos pectis [39] rastris, Polypheme, capillos:
Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam:
[40] Et spectare feros in aqua, & [41] componere, vultus.
Cædis amor, feritasque, sitisque immensa cruoris
Cessant, & tutæ veniunt abeuntq; carinæ.

17 Nerei & & Doridis fuit filia, quæ amore Acidis capta Polyphemum Cyclopem se amantem fugiebat. Sed cùm Cyclops eam in gremio Acidis residentem deprehendisset, ira correptus ingens saxum in illos conjecit, quo Acis obrutus (nam Galatea aufugerat) in fluvium sui nominis fuit mutatus.
18 Nympharum marinarum quæ Nereides dictæ quarum omnium mater Doris.
19 Polyphemi.
20 Candidis digitis.
21 Scylla.
22 Galateam.
23 Galatea Nerei filia.
24 Sc. *verbis*.
25 Respondit Scyllæ, Phorci & Cratæidis filiæ.
26 Erat Symæthus Siciliæ fluvius, cujus filia peperit Acidem Galateæ adamatum.
27 Sedecim annos natum Acim fuisse significat.
28 Adeò tenui, ut vix videretur, & in dubio esset, utrum pubescere cœpisset Acis. 29 Acidem. 30 *Petebam*. 31 Polyphemus. 32 Sine fine, i. vehementer. 33 Utrum majori odio Cyclopem, an amore Acidem prosequeretur ignorat. 34 Major, vehementior. 35 Nec edere & dicere possim. 36 Æquale utrumque fuit, & odium, quo Cyclopem, & amor, quo Acidem prosequebatur Galatea. 37 Feris. Metonymia. 38 Sine pœna. Omnes enim ad se venientes interficiebat Polyphemus. 39 Pulcra emphasis, quâ crassitudo Polyphemi & ruditas innuitur. 40 Hoc est quod mox dicit: *Liquidæque in imagine vidi Nuper aquæ*. 41 Gratos efficere vultus & jucundos, ut amicæ possit placêre.

42 Tele-

42 Telemus interea Siculam delatus ad Ætnen
Telemus Eurymides, 43 quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit; Lumenque quod unum
Fronte geris media, rapiet tibi, dixit, Ulysses.
Risit, &, O vatum stolidissime, falleris, inquit:
44 Altera jam rapuit. 45 Sic frustra vera monentem
Spernit: & aut gradiens ingenti littora passu
46 Degravat; aut fessus sub opaca revertitur antra.
47 Prominet in pontum 48 cuneatus acumine longo
Collis: 49 utrumque latus circumfluit æquoris unda.
50 Huc ferus adscendit Cyclops; 51 mediusque resedit.
52 Lanigeræ pecudes nullo ducente secutæ.
53 Cui postquam pinus, baculi quæ præbuit usum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis;
Sumtaque arundinibus compacta est fistula centum;
Senserunt toti 54 pastoria sibila montes:
Senserunt undæ. Latitans ego rupe, meique
Acidis in gremio residens, procul auribus 55 hausi
Talia dicta meis, auditaque mente 56 notavi.
57 Candidior 58 nivei folio Galatea, 59 ligustri;
Floridior pratis; longa 60 procerior 61 alno;
Splendidior vitro; tenero lascivior hædo;
62 Lævior assiduo detritis æquore conchis;
Solibus hibernis, æstiva gratior umbrâ;
Nobilior pomis; platano conspectior altâ;
Lucidior glacie; matura dulcior uvâ;
Mollior & cygni plumis, & lacte coacto;
Et, si non fugias, riguo formosior horto.
63 Sævior indomitis eadem Galatea juvencis,
Durior annosa quercu; fallacior undis;
Lentior & salicis virgis, & vitibus albis;
His immobilior scopulis; violentior amne;
Laudato pavone superbior; acrior igni;
Asperior 64 tribulis; fœta 65 truculentior 66 ursâ;

42 Eurymi filius, inter Cyclopas vates fuit egregius, qui Polyphemo prædixit omnia, quæcunque ab Ulysse passus est.
43 Auguriorum peritissimum Telemum fuisse ostendit: nam ex avium volatu augurabantur vates.
44 Galatea. Ad id autem alludit, quòd cæci finguntur esse amantes.
45 Hujusmodi dictis.
46 Deprimit.
47 Topographia. Describit Poëta promontorium, in quod se Polyphemus recepit.
48 Factus in formam cunei longi.
49 Et dextrum & sinistrum.
50 Illuc, in illum collem.
51 In medio.
52 Pecora & oves.
53 Per emphasin quantus fuerit Polyphemus, Poëta ostendit, pinum pro baculo ei gestandam attribuens, ex qua malus navis commodè fieri potuisset. 54 Pastorales cantus. 55 Audivi. 56 Memoriæ mandavi. 57 Cantilena Cyclopis, laudes Galateæ continens, hic describitur. 58 Candidi. 59 *Ligustrum* genus est virgultorum, flores habens candidissimos, quibus arefactis, fructum emittit subnigrum: sed maturum hic accipio. Hoc igitur loco debemus *nivei ligustri* ad florum candorem referre. 60 Longior, atque rectior. 61 Arbore in ripis fluminum in magnam altitudinem crescente. 62 Lævigatior. 63 Hactenus Galateæ virtutes fuerunt enumeratæ, nunc vitia referuntur. 64 Herbâ spinosâ segetibus inimicâ. 65 Crudelior. 66 Ursâ, quæ nuperi peperit.

Surdior

Surdior æquoribus; [67] calcato immitior hydro:
Et, quod præcipuè vellem tibi [68] demere possem,
Non tantùm cervo claris latratibus acto,
Verùm etiam ventis volucrique [69] fugacior aurâ.
At, benè [70] si noris, pigeat fugisse: morasque
Ipsa tuas damnes: & me retinere [71] labores.
Sunt mihi pars montis vivo [72] pendentia saxo
Antra; quibus nec Sol medio sentitur in æstu,
Nec sentitur hyems: sunt poma [73] gravantia ramos:
Sunt [74] auro similes longis in vitibus uvæ:
Sunt & purpureæ tibi & has servamus, & illas.
Ipsa tuis manibus silvestri nata sub umbrâ
[75] Mollia fraga [76] leges: ipsa [77] autumnalia [78] corna,
Prunaque, non solùm nigra liventia succo,
Verùm etiam [79] generosa, [80] novasque imitantia ceras.
Nec tibi castaneæ, me conjuge, nec tibi deerunt
[81] Arbutei fœtus. Omnis tibi [82] serviet arbos.
[83] Hoc pecus omne meum est. Multæ quoq; vallibus [84] errant:
Multas silva tegit: multæ stabulantur in antris.
Nec, si fortè roges, possim tibi dicere, quot sint.
Pauperis est numerare pecus. De laudibus harum
Nil mihi credideris: præsens potes ipsa videre,
Ut vix sustineant [85] distentum cruribus uber.
[86] Sunt fœtura minor tepidis in ovilibus agni:
Sunt quoque par ætas aliis in ovilibus hœdi.
Lac mihi semper adest niveum. Pars indè bibenda
Servatur: partem liquefacta [87] coagula [88] durant.
Nec tibi deliciæ [89] faciles, [90] vulgataque tantùm
Munera contingent, damæ, leporesque, capræque,
Parue columbarum, demtusve cacumine nidus:
[91] Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se [92] similes, vix ut dignoscere possis,
Villosæ catulos in summis montibus ursæ.
Inveni: & dixi, [93] Dominæ servabimus istos.

67 Presso serpente, qui calcatus maximè sævire solet. 68 Eripere. 69 Velocior ad fugiendum. 70 Sc. *me*. Enumerat autem Polyphemus omnia, quæcunque sibi adsunt, bona, ut Galateam in suum pelliciat amorem. 71 Studeas, ac nitaris. 72 Suspensæ & altæ speluncæ. 73 Deprimentia. 74 Flavæ, benè maturæ. 75 Matura. 76 Colliges. 77 Autumni tempore maturescentia. 78 Baccæ sunt rubicundæ, in medio nucleum durissimum habentes: undè Virg. dixit, *Lapidosaque corna*. 79 Aurei ac crocei coloris simillima. 80 Novisque ceris similia. 81 Arbuti fructus. Est autem *arbutus* humilis arbor poma ferens rubicunda. 82 Erit tibi usui. 83 Hæ omnes meæ sunt oves. 84 Pascuntur. 85 Plena ubera. Significat autem gressum ovium magnitudine uberum impediri. 86 Sc. *mihi*. 87 *Coagulum (à cogendo)* dicitur illud, quo ad densandum lac utimur. 88 Condensant in caseum. 89 Quæ facile haberi possunt. 90 Vulgaria dona quales sunt damæ, lepores, capræ, columbæ. 91 Hæc sunt scilicet illa munera, quæ non esse vulgaria Polyphemus ait. 92 Sc. ita, sive *adeò*. 93 Amicæ. Amatores enim amicas appellare *dominas* solent. Tibull. *Quàm juvat immites ventos audire cubantem, Et dominam tenero continuisse sinu.*

Jam

Jam modò cæruleo nitidum caput [94] exſere ponto:
Jam Galatea, veni: nec munera deſpice noſtra.
[95] Certè ego me novi, liquidæque in imagine vidi
Nuper aquæ: placuitque mihi mea forma videnti.
Adſpice, ſim quantus. Non eſt hoc corpore major
Jupiter in cœlo: nam vos narrare ſoletis
Neſcio quem regnare Jovem. Coma plurima torvos
Prominet in vultus: humeroſque, ut lucus, obumbrat.
Nec, mihi quòd [96] rigidis horrent denſiſſima ſetis
Corpora, turpe puta. [97] Turpis ſine frondibus arbos,
Turpis equus, niſi colla jubæ flaventia velent.
Pluma tegit volucres: ovibus ſua lana decori eſt:
Barba viros, hirtæque decent in corpore ſetæ.
[98] Unum eſt in mediâ lumen mihi fronte, ſed [99] inſtar
Ingentis clypei. [100] Quid, non hæc omnia magno
Sol videt è cœlo? Soli tamen unicus orbis.
Adde, quod in [101] veſtro genitor [102] meus æquore regnat.
Hunc tibi do ſocerum. Tantùm miſerere, preceſque
Supplicis exaudi. [103] Tibi enim ſuccumbimus uni.
Quique Jovem, & cœlos [104] ſperno, & penetrabile fulmen,
[105] Nereï, te vereor: tua fulmine ſævior ira eſt.
Atque ego [106] contemtus eſſem patientior [106] hujus;
Si fugeres omnes. Sed cur, Cyclope repulſo,
Acin amas, præferſque meis amplexibus Acin?
Ille tamen [107] placeatque ſibi, placeatque licebit,
Quod nollem, Galatea, tibi, Modo [108] copia detur,
[109] Sentiet eſſe mihi tanto pro corpore vires.
Viſcera viva [110] traham: [111] divulſaque membra per agros,

94 Emitte.
95 Se quoque formoſum eſſe colligit Polyphemus.
96 Dura corpora denſiſſimis ſetis horrent. Colligit autem multis ſimilibus Polyphemus pilos & ſetas potiùs ſibi decori, quam dedecori eſſe.
97 Alibi: *Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus: Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.*
98 Objectioni, quæ fieri poſſet, Polyphemus occurrit, fateturque ſe unum tantum oculum habere, ſed tam magnum, ut par duobus eſſe poſſit.
99 Ad magnitudinem & ſimilitudinem magni ſcuti.
100 Exemplo Solis Polyphemus oſtendit unicum oculum ſibi ornamento eſſe; cum, Sol, qui omnia videt, uno ſit oculo contentus.
101 Mari, ubi vos vivitis, ô Nereides.
102 Neptunus.
103 Subiicimus nos tibi ſoli.
104 Contemno. 105 Galatea Nerei filia. 106 Quo me ſpernis. 107 Pulcher ſibi videatur. 108 Ipſum comprehendere poſſim. 109 Cognoſcet me pro menſura tanti corporis vires habere. 110 Extraham. 111 Diſcerpta.

Perque

Perque tuas spargam [112] (sic se tibi misceat) undas.
[113] Uror enim; [114] læsusque exæstuat [115] acriùs ignis:
Cumque suis videor translatam [116] viribus [117] Ætnam
Pectore ferre meo: Nec tu, Galatea, [118] moveris.
Talia nequicquam questus (nam cuncta videbam)
Surgit: & ut taurus vacca furibundus ademtâ
Stare nequit; silvaque & notis saltibus errat.
Cùm ferus [119] ignaros, nec quicquam tale timentes,
Me videt, atque Acin: Videoque, exclamat; & ista
Ultima sit, faciam, [120] Veneri concordia vestræ.
Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit. Clamore perhorruit Ætne.
Ast ego vicino pavefacta sub æquore mergor.
Terga fugæ dederat conversa [121] Symæthius heros:
Et, Fer opem, Galatêa, precor, mihi: ferte parentes:
Dixerat: & [122] vestris periturum admittite regnis.
Insequitur Cylops: partemq; è monte revulsam
Mittit; &. extremus [123] quamvis pervênit ad illum
Angulus è saxo, totum tamen [124] obruit Acin.
At nos, quod fieri solum [125] per fata licebat,
Fecimus; ut vires adsumeret Acis [126] avitas.
Puniceus de mole cruor manabat: & intra
Temporis exiguum rubor evanescere cœpit:
Fitque color primo turbati fluminis imbre:
Purgaturque morâ. Tum [127] moles jacta dehiscit:
Vivaque per rimas, [128] proceraque surgit arundo:
Osque cavum saxi sonat exsultantibus undis:
Mirque res; Subitò media tenus exstitit alvo
[129] Incinctus juvenis flexis nova [130] cornua cannis,
Qui, nisi quòd major, quòd toto [131] cærulus ore est,

112 Si tecum concumbat.
113 Crucior.
114 Offensus amor.
115 Vehementiùs.
116 Ignibus. Vires enim Ætnæ incendia sunt assidua.
117 Siciliæ montem, de quo vide supra Lib. 2. vers. 220. & Lib 5. vers. 235.
118 Commoveris ad misericordiam, ut mihi morem geras.
119 Nescios nos videri.
120 Voluptati, amori.
121 Acis, filius Nymphæ Symæthidis.
122 In vestra aquarum regna.
123 Quamvis ultima pars anguli. Hinc colligitur quantum fuerit illud saxum, quod in Acin Polyphemus conjecit.
124 Texit.
125 Fatis permittentibus.
126 Simæthi fluvii, n. ut in fluvium mutaretur. Est vero Symæthus fluvius rapidissimus.
127 Rupes percussa aperitur.
128 Recta & longa. 129 Cincta autem cornua cannis idcircò habere finguntur, quòd ferè in ripis fluminum arundines nascantur. 130 Ripas. Fluviorum autem Dii cornua habere, & bobus vel tauris similes aliquando finguntur, propter strepitum, & circumflexiones, quas *cornua* vocant. 131 Niger.

Acis erat. Sed sic quoque erat tamen Acis in amnem
Versus: & [132] antiquum tenuerunt flumina nomen.

132 Acis enim fluvius ille fuit appellatus, quod sit similis ἀκίσι, i. e. cuspidi sagittæ.

Glaucus in Deum marinum. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Glaucus Anthedonis filius, piscator, cùm speciosos pisces cepisset, & eos vellet recentissimos in urbem ferre, in opaco loco proximo mari eos, dum requiesceret, ac retia siccarentur, sub recentissimam herbam exposuit. At illi vigore ejus, succoque contacti, reparato spiritu quem amiserant, merserunt se in profundum. Glaucus vero experrectus existimans vim quandam divinitatis esse in herba, ipsa quoque jejunium polluit, alienatusque mente ex alto se præcipitavit in pelagus; sed inter Deos marinos receptus: qui ut Scyllam Phorci, & Nymphæ Cratheidis filiam eodem mari versantem conspexit, pulcritudine ejus accensus fugientem prosecutus est.

DEsierat Galatea loqui: cœtuque [1] soluto
Discedunt: placidisque natant Nereïdes undis.
[2] Scylla redit: (neque enim medio se credere ponto
Audet) & aut [3] bibula sine vestibus errat erena;
Aut ubi lassata est, [4] seductos nacta recessus
Gurgitis, inclusâ sua membra refrigerat undâ.
Ecce fretum findens alti [5] novus incola ponti,
Nuper in [6] Euboïca versis [7] Anthedone membris,
Glaucus adest: visæque cupidine [8] virginis hæret:
Et, quæcunque putat fugientem posse [9] morari,
Verba refert: Fugit illa tamen: veloxque timore
Pervenit in [10] summum positi prope littora montis.
Ante fretum est ingens apicem collectus in [11] unum

1 Dimisso cœtu Nereïdum, i. e. Nympharum marinarum.
2 Ad littus revertitur è mari.
3 Quæ facilè aquam sorbet.
4 Secretos sinus.
5 Nuper in Deum marinnum versus.
6 Quia Eubœa Bœotiæ adjacet.
7 Urbs Bœotiæ.
8 Scyllæ.
9 Remorari, retinêre.

10 Summitatem & cacumen. 11 In unum cacumen.

Longa

Longa sine arboribus [12] convexus ad [13] æquora vertex.
Constitit hîc : & tuta loco, monstrumne, Deusne
Ille sit ignorans, admiraturque colorem,
Cæsariemque humeros subjectaque terga tegentem,
[14] Ultimaque excipiat quòd [15] tortilis inguina piscis.
[16] Sentit : & innitens, quæ stabat proxima [17] moli,
Non ego [18] prodigium, non sum fera bellua, virgo ;
Sum [19] Deus, inquit, aquæ : nec [20] majus in æquora [12] Proteus
Jus habet, aut [21] Triton, [21] Athamantiadesque Palæmon.
Antè tamen mortalis eram : sed scilicet altis
[22] Deditus æquoribus, jam tum exercebar in illis.
[23] Nam modò [24] ducebam ducentia retia pisces :
Nunc in mole sedens moderabar arundine [25] linum.
[26] Sunt viridi prato confinia littora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis :
Quas neque cornigeræ [27] morsu læsere juvencæ,
Nec placidæ carpsistis oves, hirtæve capellæ.
Non apis indè tulit collectos sedula flores,
Non data sunt capiti [28] genialia serta : nec unquam
Falciferæ secuêre manus. Ego primus in illo
[29] Cespite consedi, dum [30] lina madentia sicco.
Utque [31] recenserem [32] captivos ordine pisces ;
[33] Insuper exposui, quos aut in retia casus,
Aut sua credulitas in aduncos [34] egerat hamos.
[35] Res similis fictæ : [36] (sed quid mihi fingere prodest ?)
[37] Gramine contacto cœpit [38] mea præda [39] moveri,
Et mutare latus, terrâque, ut in æquore, [40] niti.
Dumque moror, mirorque simul, fugit omnis in undas
Turba suas : dominumque novum, littusque relinquunt.

12 Devexus, inclinatus.
13 In mare versus.
14 Ultimam inguinum partem.
15 Qui se facilè torquet.
16 Animadvertit Glaucus eam mirari & dubitare, utrùm Deus, an monstrum esset.
17 Rupi vel saxo.
18 Monstrum.
19 Deus marinus.
20 Majorem potentiam.
21 De Proteo ac Tritone vide quæ diximus ad vers. 8, & 9. Lib. 2. lit de Athamantis filio in Deum marinum verso lege Fab. 13. Lib. 4.
22 Piscandi in alto mari studiosus.
23 Nam interdum retibus, interdum hamis pisces capiebam.
24 Trahebam.
25 Hami lineam.
26 Topographia & loci descriptio.
27 Depavêre.
28 Coronas genio ac voluptati convenientes.
29 Herboso littore. *Cespes* enim dicitur terra cum propria herba avulsa.

30 Retia madefacta. Metonymia. 31 Dinumerarem. 32 Captos. 33 Desuper, supernè. 34 Impulerat. 35 Se. *videtur*. 36 Q. d. Nullam habeo causam, cur fingere debeam. 37 Herbâ. 38 Capti pisces jamque mortui. 39 Frequenter moveri. 40 Salire. Salientes enim niti solent, ut longiores faciant saltus

Obstupui

Obſtupui: dubiuſque diu, quæ cauſſa, requiro:
Num Deus hoc aliquis, num ſuccus fecerit herbæ.
Quæ tamen [41] has, inquam, [41] vires habet herba? manuque
Pabula decerpſi, decerptaq; dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura ſuccos:
Cùm ſubitò [42] trepidare intus præcordia ſenſi;
[43] Alteriuſq; rapi naturæ [44] pectus amore.
Nec potui [45] reſtare loco: Repetendaq; nunquam
Terra, vale, dixi: corpuſq; ſub æquora merſi.
Dî maris exceptum [46] ſocio dignantur honore:
Utque mihi, quæcunque [47] feram, mortalia [48] demant,
Oceanum Tethynque rogant. Ego [49] luſtror ab illis:
Et purgante [50] nefas novies mihi carmine dicto,
Pectora fluminibus jubeor [51] ſupponere centum.
Nec mora: diverſis lapſi de fontibus amnes,
Totaq; vertuntur ſupra caput æquora noſtrum.
[53] [Hactenus acta tibi poſſum memoranda referre:
Hactenus & memini: nec mens mea cætera ſenſit.]
Quæ poſtquam rediit; alium me corpore toto
Ac fueram nuper, nec eundem mente [54] recepi.
Hanc ego tum primùm [55] viridem ferrugine barbam,
Cæſariemque meam, quam longa per æquora [56] verro,
Ingenteſq; humeros, & cærula brachia vidi,
[57] Cruraque [58] pinnigero curvata noviſſima piſce.
Quid tamen hæc ſpecies, quid Dîs placuiſſe marinis,
Quid juvat eſſe Deum, ſi tu non [59] tangeris iſtis?
Talia dicentem, dicturum plura reliquit
Scylla Deum. [60] Furit ille, irritatuſque repulsâ
[61] Prodigioſa petit Titanidos atria [62] Circes.

41 Tantam vim, ut mortuos piſces vivos efficere poſſit.
42 Salire, moveri.
43 Æquoris ac piſcis.
44 Animum teneri.
45 Reſiſtere amori & cupiditati, alterius naturæ.
46 Nam me quoque in ſuum numerum admiſerunt.
47 Habeam.
48 Auferant.
49 Purgor.
50 Sordes vitiorum ex anteacta vita mortali contractas, i. e. impietatem, humanamque infirmitatem.
51 Subjicere.
53 [Hos duos verſus ut frigidos & jejunos ablegandos eſſe contendit Heinſius: Et pro *Quæ poſtquam* in verſu ſequenti reponendum eſſe credit *Utque animus*: *Poſtquam* a Gloſſatore quodam inepto interpolatum affirmat, ut τὸ *Utque* explicaret.]
54 Percepi.
55 Dii marini à colore maris cærulei finguntur. Sæpiùs ſuprà. 56 Traho. 57 Et crura mea in piſcis caudam tranſmutata. 58 In piſcem pinnas habentem. 59 Moveris. 60 In furorem ſtimulatur. 61 Ædes monſtrorum plenas. 62 Circes Solis filiæ, quæ potentibus herbis (ut Virgil. inquit lib. 7 Æneid.) homines ſolebat induere in vultus, ac terga ferarum. Vide verſ. 10. Libri ſequentis.

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER XIV.

Scyllæ inguina in canes. *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Glaucus Anthedonius supradictus Scyllam circa Siciliam conspicatus dum adamasset, & quia nollet sequi appetentem, venit ad Circen, obsecrans, ut amanti succurreret: quem illa ipsius non levi cupiditate capta nequiit à proposito retardare. Ubi autem scivit quæ esset quæ sibi præferretur (instructa enim Hecates carminibus venit in locum in quo Scylla ablui consuevisset) venenis eam imbuit, quibus illa tenus pube canibus est efferata, ut amantibus odio ac timori esset. Quod ob factum, illa postea in Ulyssem amatum ab ea exercuit sævitiam. Quod Glaucus factum hoc à Circe dolenter tulit.

JAmque [1] Giganteîs injectam faucibus Ætnen,
[2] Arvaque Cyclopum, [3] quid rastra, quid usus aratri
[4] Nescia, nec quicquam junctis debentia bubus,
Liquerat [5] Euboïcus [6] tumidarum cultor aquarum:

1 Capitibus gigantum qui oppressi Ætnâ dicuntur. Diximus aliquoties suprà de Ætna Siciliæ monte incendia eructante, cui Poëtæ fingunt Typhoëa, Enceladum, aliosque gigantes à Jove subjectos. 2 Arva Sicula, prope tres Cyclopum scopulos quos hodiè *Faraglioni* appellant. 3 Sc. *sint*. 4 Inarata. 5 Glaucus, natus Anthedone, urbe Bœotiæ, contra Eubœam. 6 Maris.

Liquerat

Liquerat & [7] Zanclen, adverſaq; mœnia [8] Rhegî,
[9] Navifragumque fretum, [10] gemino quod littore [11] preſſum
[12] Auſoniæ Siculæque tenet confinia terræ.
Indè, manu magna [13] Tyrrhena peræquora lapſus
[14] Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
Sole ſatæ Circes, variarum plena ferarum
Quam [15] ſimul aſpexit; dicta acceptaque ſalute,
Diva, Dei miſerere, precor: nam ſola [16] levare
Tu potes hunc, dixit, (videar [17] modò dignus) amorem.
Quanta ſit herbarum, [18] Titani, potentia nulli
Quàm mihi [19] cognitius; [20] qui ſum mutatus ab illis.
Neve mei non nota tibi ſit cauſſa [21] furoris;
Littore in Italico Meſſenia mœnia [22] contra
Scylla mihi viſa eſt. [23] Pudor eſt promiſſa, preceſque,
Blanditiaſque meas, contemtaque verba referre.
At tu, ſive aliquid [24] regni eſt in carmine; carmen
Ore move ſacro: ſive [25] expugnacior herba eſt;
Utere tentatis operoſæ viribus herbæ.
Nec medeâre mihi, ſaneſq; hæc vulnera mando:
[26] Fineque nil opus eſt. [27] Partem ferat illa caloris.
At Circe (neque enim [28] flammis habet aptius ulla
Talibus ingenium; ſeu cauſſa eſt hujus [29] in ipſa;
Seu Venus indicio facit hoc offenſa [30] paterno)
Talia verba refert: [31] Melius ſequerere volentem,
Optantemque eadem, [32] parilique cupidine captam.
Dignus eras: [33] ultro poteras certeque rogari:
Et ſi ſpem dederis; [34] mihi crede, rogaberis ultro.
Neu dubites, [35] abſitque tuæ fiducia formæ.
En ego, cùm Dea ſim, nitidi cùm filia Solis,

7 Hodiè *Meſſanam* Siciliæ urbem, in penitiſſimo Pelori ſinu.
8 *Rhegium* ἀπὸ τοῦ ῥήγνυσθαι i. ab *abrumpendo*, quòd eo in loco Sicilia ab Italia fuerit *abrupta*.
9 In quo fiunt naufragia, quippe periculoſo ſcopulis, Scylla, & Charybdi.
10 Duobus littoribus, Italico & Siculo.
11 Anguſtatum.
12 Freto enim Sicilia ab Italia diſterminatur.
13 Ita dicta à Tyrrhenia regione Italiæ.
14 Circæum ſignificat, in quo monte Circe dicitur habitaſſe, quæ homines carminibus, ſucciſque herbarum in feras mutabat.
15 Simul ac, poſtquam.
16 Levem facere.
17 Dummodò.
18 O Circe, filia Solis, qui è Titanum familia.
19 Notius.
20 Quia ab illis ſum converſus ex homine in Deum marinum.
21 Amoris tam vehementis.
22 E regione Meſſeniæ urbis, olim *Zancle* appellata, cui è regione Rhegium in Italia.
23 Pudet me tibi narrare: blanditiis enim uſus erat Glaucus Deo non convenientibus.
24 Aliqua potentia.
25 Potentior ad expugnandum & vincendum.
26 Quia nihil opus eſt fine, i. e. nolo ut amori meo finis imponatur.
27 Scylla quoq; mei amore capiatur.
28 Ejuſmodi amoribus conciliandis.
29 In ipſius voluntate, ad amores, libidinemque pronâ.
30 Solis. Q. d. Seu Venus ulta indicium Solis (qui Martis adulterium ad Vulcanum detulit) Solis progeniem turpiſſimis amoribus contaminat.
31 *Rectius faceres, ſi amares quandam redamantem.* Interim tacite admonet Circe Glaucum, ut Scyllæ valedicat, & ſe amet. Mox enim ait; *ut tua ſim voveo.*
32 Pari amore.
33 Sponte ob pulchritudinem tuam poteras ac debebas à Scylla rogari.
34 A me.
35 Tuæ pulchritudini confide.

Carmine cùm tantum, tantum cum gramine possim;
Ut tua sim, [36] voveo. [37] Spernentem sperne: [38] sequenti
Redde vices: [39] unoque duas ulciscere facto.
Talia tentanti, [40] Prius, inquit, in æquore [41] frondes,
Glaucus, & in summis nascentur montibus [42] algæ;
[43] Sospite quàm Scylla nostri mutentur amores.
Indignata [44] Dea est: & lædere quatenus [45] ipsum
Non poterat, nec vellet [46] amans; irascitur [47] illi,
Quæ sibi prælata est: Venerisque offensa repulsâ,
Protinus horrendis [48] infamia pabula succis
Conterit: & tritis [49] Hecateïa carmina miscet:
[50] Cærulaq; induitur velamina: perq; ferarum
Agmen adulantum media [51] procedit ab aula:
Oppositumq; petens contra Zancleïa saxa
[52] Rhegion ingreditur, ferventes æstibus undas:
In quibus, ut solida, [53] ponit vestigia, ripâ;
[54] Summaque decurrit pedibus super æquora siccis.
[55] Parvus erat gurges curvos sinuatus in arcus,
Grata quies Scyllæ: quò se referebat ab æstu
Et maris & cœli, [56] medio cùm plurimus [57] orbe
Sol erat, & minimas à vertice fecerat umbras:
Hunc Dea [58] prævitiat; [59] portentificisque venenis
[60] Inquinat. Huic [61] fusos latices radice nocenti
Spargit: & obscurum verborum ambage novorum
Ter novies carmen [62] magico demurmurat ore.
Scylla venit; mediâque tenus descenderat alvo;
Cùm sua [63] fœdari latrantibus inguina monstris
Aspicit: ac primò non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitque, [64] abigitque, timetque
Ora [65] proterva canum. Sed quos fugit, attrahit unà.
Et [66] corpus quærens femorum, crurumque, pedumque,

36 Votis expopto.
37 Scyllam.
38 Redama me ultro te rogantem.
39 Et me, quæ tibi ea, quæ rogas, concedere nolo, & Scyllam, quæ te est aspernata.
40 Antè rerum natura mutabitur, quam ego ab amanda Scylla desistam. Ita propè Virg. Eclog. 1. *Ante leves ergo pascentur in æthere cervi, Et freta destituent nudos in littore pisces.*
41 Arbores. Pars pro toto.
42 Herbæ maris propriæ.
43 Incolumi & vivâ.
44 Circe.
45 Glaucum. Deus enim erat.
46 Quia amabat eum.
47 Scyllæ.
48 Infames herbas propter nocumenta.
49 Incantationes à matre Hecate edoctas & acceptas.
50 Cæruleas vestes & nigras.
51 Excessit.
52 Respondet Rhegium è regione urbi Messanæ, olim Zancle appellatæ. Vide suprà vers. 5, & 17. 53 Ingreditur. 54 Artibus magicis instructa transgreditur fretum siccis pedibus. 55 Gurgitem describit, in quo se lavare solebat Scylla, Glauci amica. 56 Periphrasis est meridiei. 57 Medio cœlo. 58 Antè inficit, præcorrumpit. 59 Portenta ac monstra facientibus. 60 Inficit contaminat. 61 Succos ex herbis noxiis expressos. 62 Pro *magicum carmen.* 63 Deturpari. 64 Et depellit manibus. 65 Improba, rabida. 66 Carnem ac pulpam femorum, crurumque, &c.

67 Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.
Statque canum rabies: subjectaque terga ferarum
68 Inguinibus truncis 69 uteroque exstante 70 cohærent.

67 Ora canum terribilium instar Cerberi trifaucis. 68 Mutilatis: nam inguina in canes fuerant conversa. 69 Eminente ventre. 70 Corpori Scyllæ infiguntur: adeo ut præter ora canum extrinsecus nihil appareret: omne quod restabat, in Corpore Scyllæ esset occultatum.

Scylla in saxum. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Docet eandem Scyllam transformatam esse in saxum, ne Æneæ naviganti in Italiam nocere possit.

1 FLevit amans Glaucus: nimiumque hostiliter usæ
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
2 Scylla loco mansit: cumque est data copia primùm,
In 3 Circes odium sociis spoliavit Ulyssen.
4 Mox eadem 5 Teucras 6 fuerat mersura carinas;
Ni priùs in scopulum, qui nunc quoque saxeus exstat,
Transformata foret. Scopulum quoque navita vitat.

1 Amans flevit Scyllæ fatum. 2 In eodem gurgite remansit 3 Sciebat enim Ulyssem à Circe amari. Multos autem è sociis in freto Siculo amisit Ulysses. 4 Scylla, ne Æneæ, in Italiam naviganti, perinde noceret atque Ulyssis sociis, in saxum mutata est, quod etiamnum à nautis vitatur. 5 Naves Trojanorum, qui à Teucro orti sunt. 6 Submersisset, nisi, quo tempore illac transivit Æneas, in scopulum jam mutata fuisset.

Cercopes in simias. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Cercopes propter fraudem, scelusque, quia bonis semper insidiatores fuerunt, exosus est Jupiter: qui cùm vellet eos convenientem animo figuram habere, in simias conversi sunt. Itaque de earum nomine (nam Græcis pithecos simia dicitur) insulas, quas hi incoluerant, Pithecusas vocavit.

1 HUnc ubi Trojanæ remis 2 avidamque Charybdin
Evicêre rates; cùm jam prope littus adessent

1 Errores Æneæ breviter describit Poëta.

Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras.
Excipit Ænean illîc animoque domoque,
[3] Non benè discidium [4] Phrygii latura mariti,
[5] Sidonis: [6] inq; pyrâ sacri sub imagine factâ
Incubuit ferro: deceptaque decipit omnes.
Rursus [7] arenosæ fugiens nova mœnia terræ,
Ad [8] sedemque Erycis [9] fidumque relatus Acesten,
Sacrificat; tumulumque sui [10] genitoris honorat.
Quasq; rates [11] Iris Junonia pæne cremârat,
Solvit: & [12] Hippotadæ regnum, terrasque calenti
Sulfure fumantes, [13] Acheloïadumque relinquit
Sirenum scopulos. [14] Orbataque præside pinus
[15] Inarimen, [16] Prochytenque [17] legit, sterilique locatas
Colle [18] Pithecusas, habitantum nomine dictas.
Quippe Deûm genitor fraudem, & perjuria quondam
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosæ;
In deforme viros animal mutavit: ut îdem
Dissimiles homini possent, similesque videri.
Membraq; contraxit: naresq; à fronte resimas
Contudit, & rugis peraravit anilibus ora.
Totaque velatos flaventi corpora villo
Misit in has sedes: nec non priùs abstulit usum
Verborum, & natæ dira in perjuria linguæ.
[19] Posse queri tantùm rauco stridore relinquit.

2 Quæ devorat naves atque evomit. Vide quæ nos ad Lib. 13. vers. 731. 3 Acerbè, ægrè latura: nam se ipsam interfecit, *Virg.* 4. *Æneid.* 4 Æneæ Trojani. 5 Dido Sidonia relicta ab Ænea, quem sibi ut maritum copularat. 6 De hoc 3. Fast. *Arserat Æneæ Dido miserabilis igne, Arserat extructis in sua fata rogis. Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen, Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat. Præbuit Æneas & mortis causam & ensem: Ipsa suâ Dido concidit usa manu.* Vide *Justin.* 18. 7 Carthaginis. 8 Siciliam. Fuit verò Eryx Butæ & Veneris filius, qui ab Hercule occisus, in monte, in quo Veneri matri templum condiderat, sepultus est. Mons ipse Eryx, & Venus inde Erycina vocatur. 9 Vide *Virg.* 5. *Æn.* 10 Anchisæ. 11 A Junone emissa. 12 Æolias insulas. Nam Æolus Jovis fuit filius ex Acesta Hippotæ Trojani filia. 13 Sirenum, Acheloi filiarum. *Sirenes* enim Acheloi filiæ ex Calliope, vel, ut alii volunt, Melpomene, aut Terpsichore Musa dicuntur: quæ juxtà fretum Siculum habitantes tam suaviter canebant, ut illac navigantes sopirent, somnoque oppressos mergerent. 14 Navis Palinuro gubernatore privata. 15 Insulam non procul à Neapoli; alio nomine *Ænaria*, à statione navium Æneæ. Hodiè *Ischia* dicta, à forma coxendicis, quia huic insulæ gigantem Typhoëa subjectum narrat *Virgil.* Lib. 9. *Æneid.* 16 Insulam superiori vicinam. 17 Transit. 18 *Pithecusa* insula est in sinu Campano urbem in monte habens: *Pithecusæ* à multitudine simiarum dicta. Nam πίθηκος *simia* dicitur. Jupiter (ut Poëtæ volunt) Cercopum perfidiam odio habens, eos in simias convertit, hancque insulam illis assignavit habitandam. 19 Facultatem querendi ac lamentandi.

FAB. IV.

ARGUMENTUM.

Apollo, Jovis & Latonæ filius, Glauci filiam cùm diligeret, optandi veniam tribuit. At illa in longum victura tempus, spatians in littore, hausto pugno arenæ, petit tot annorum spatium, quot partes ejus dinumerare posset. Igitur præstita fide, senectute dilapso corpore, relicta est vox, quæ Sibyllam indicaret. Deus vero pro concubitu si consensisset, æternam quoque juventam dedisset: sed illa neglexit Dei voluntatem.

[1] HAs ubi præteriit, & Parthenopeïa dextrâ
[2] Mœnia deseruit; lævâ de parte [3] canori
Æolidæ tumulum, & loca fœta palustribus ulvis
Littora [4] Cumarum, [5] vivacisque antra Sibyllæ
Intrat: &, ut [6] manes adeat per Averna paternos,
Orat. At illa diu vultus tellure moratos
Erexit: tandemque Deo [7] furibunda [8] recepto,
Magna petis, dixit, vir factis maxime, cujus
[9] Dextera [10] per ferrum, [11] pietas spectata per ignes.
Pone tamen, Trojane, metum: potiêre petitis;
[12] Elysiasque domos, & regna [13] novissima mundi
Me duce cognosces, [14] simulacraque chara parentis.

1 Adventum Æneæ ad Sibyllam describit Poëta: quæ dum esset virgo ab Apolline amata, ab eo, ut quicquid vellet peteret hortante, impetrasset, ut annos viveret, quot in manu arenas tenebat, oblita est adjicere voto, ne unquam senesceret. Quare cùm Apollini morem gerere noluerit, ad tantum decrepitatis pervenit, ut à corpore derelicta in vocem sit mutanda. 2 Urbem Neapolin, prius Parthenopen dictam de nomine unius Sirenum ibi sepultæ. 3 Miseni Æoli fil. *quo non præstantior alter Ære ciêre viros, Martemque accendere cantu*, 6 Æneid. undè etiam promontorium *Misenum* fuit appellatum. 4 Cumæ urbs Campaniæ antiquissima Italicarum urbium atque Sicularum. 5 Quæ septingentos jam annos vixisset, ut ipsa infrà narrat. De Sibyllarum oraculis, libris, atque ementitis versibus, quibus & hodiè aliquot Christianorum (prohpudor!) nimium creduli sunt, dicturus sum in libello meo, brevi, si fata dent, lucem visuro, cui tit. Græcæ, Lat. & Belg. Linguæ amænitates. 6 Animam Anchisæ patris. 7 Furenti similis. 8 Apolline accepto. 9 Fortitudo. 10 Per ensem, quo multos hostium interfecit Æneas. 11 Nam ex incendio Trojano & Deos Penates, & patrem Anchisen humeris exportavit Æneas. Unde alibi: *Cùm foret Æneæ cervix subjecta parenti, Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.* 12 *Elysium* à Poëtis fingitur locus esse apud inferos, ubi animæ eorum, qui benè vixerunt, quiescere in summa felicitate dicuntur. 13 Ultima, i. e. infima. 14 Hoc ex eorum opinione dictum est, qui ajunt hominem ex tribus constare, animâ, corpore, & simulachro: animam autem cœlum petere, corpus reddi terræ, simulachrum ad inferos descendere.

[15] *Invia virtuti nulla eſt via.* Dixit : & auro
Fulgentem ramum ſilva [16] Junonis Avernæ
Monſtravit : juſſitque ſuo devellere trunco.
Paruit Æneas : & [17] formidabilis Orci
Vidit opes, atavoſque ſuos, umbramque ſenilem
Magnanimi Anchiſæ : didicit quoque jura locorum ;
Quæque novis eſſent adeunda pericula bellis.
[18] Indè ferens laſſos averſo tramite paſſus,
Cum duce Cumæâ [19] fallit ſermone laborem.
Dumque iter horrendum per opaca crepuſcula carpit ;
Seu Dea tu præſens, ſeu Dîs gratiſſima, dixit ;
[20] Numinis inſtar eris ſemper mihi : meque fatebor
[21] Muneris eſſe tui ; quæ me loca mortis adire,
Quæ loca me viſæ voluiſti evadere mortis.
Pro quibus aërias meritis evectus ad auras
Templa tibi ſtatuam ; [22] tribuam tibi thuris honorem.
Reſpicit hunc vates, & [23] ſuſpiratibus hauſtis,
Nec Dea ſum, dixit ; nec ſacri thuris honore
[24] Humanum [25] dignare caput. Neu neſcius erres ;
[26] Lux æterna mihi, carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo [27] patuiſſet amanti.
Dum tamen hanc ſperat, dum præcorrumpere donis [835
Me cupit ; Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes :
[28] Optatis potière tuis. Ego pulveris [29] hauſti
Oſtendens cumulum, Quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere [30] vana rogavi.
[31] Excidit optarem [32] juvenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi [33] dabat, æternamque juventam,
[34] Si Venerem paterer. Contemto munere Phœbi
[35] Innuba permaneo. Sed jam [36] felicior ætas
[37] Terga dedit : tremuloque gradu venit [38] ægra ſenectus ;
[39] Quæ patienda diu eſt. Nam jam mihi [40] ſecula ſeptem
Acta vides : [41] ſupereſt, numeros ut pulveris æquem,

15 Sc. *nam.* Eſt enim ſententia cauſam continens, cur fit ad inferos deſcenſurus Æneas.
16 Proſerpinæ. Nemus enim juxta Avernum & Plutoni & Proſerpinæ fuit dicatum.
17 Formidandi Plutonis.
18 Laſſus ab inferis revertens.
19 Loquendo efficit, ut labor non ſentiatur.
20 Ad ſimilitudinem Deæ pro Dea.
21 Me vitam abs te dono accepiſſe.
22 Tibi, tanquam Deæ, ſacrificabo.
23 Suſpiciis tractis.
24 Mortale.
25 Dignum puta.
26 Vita perpetua : immortalitas.
27 Expoſita fuiſſet.
28 Voti tui compos fies.
29 Eruti.
30 Stulta.
31 Oblita ſum, è memoria fugit.
32 Juveniles.
33 Dediſſes.
34 Si paſſa fuiſſem illum coïre mecum.
35 Virgo, ſine nuptiis.
36 Juvenilis.
37 Fugit.
38 Ab effectu, quòd ægros homines reddat.
39 Quæ mihi per longum tempus eſt toleranda.
40 Annos 700. Nam ſæculum centum annorum ſpatium complectitur.
41 Ut videam.

42 Ter

42 Tercentum messes, tercentum musta videre.
Tempus erit, cùm me de tanto corpore parvam
Longa dies faciat: consumtaque membra senectâ
Ad minimum redigantur onus. Nec amata videbor,
Nec placuisse Deo. Phœbus quoque forsitan ipse
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit.
Usque adeo mutata ferar: nullique videnda,
Voce tamen noscar. Vocem mihi fata relinquent.

42 Trecentos annos.

Ulyssis socii in sues, & rursus in pristinam formam. *Fab.* V, & VI.

ARGUMENTUM.

Æneas iter in Italiam tendens ad Læstrygonas venit, ubi Macareus Neritius comes Ulyssis apparuit, congressusque eos est comitatus. Itaque cùm exposuisset Achæmenides apud Cyclopen quæ essent passi socii, similiter & ille quæ apud Circen cum comite Eurylocho, qui potione accepta in porcos commutati sunt; novissime Ulysses remedio Mercurii eo venit, & socios recuperavit ab eadem Circe pristinæ formæ restitutos. Ex eo Circe junxit se ei in matrimonium. Monuit deinde Ænean, ne littoribus Circes accederet.

TAlia convexum per iter [1] memorante Sibyllá,
Sedibus [2] Euboïcam Stygiis mergit in urbem
Troïus Æneas: sacrisque è more litatis,
Littora adit nondum [3] nutricis habentia nomen.
[4] Hîc quoque substiterat post tædia longa laborum
[5] Neritius Macareus, comes [6] experientis Ulyssei.
[7] Desertum quondam mediis qui rupibus Ætnæ
Noscit [8] Achæmeniden: improvisoque repertum
Vivere miratus, Qui te casusve Deusve
[9] Servat Achæmenide? [10] Cur, inquit, barbara [11] Graium

1 Narrante.
2 Cumas, quò olim Bœoti coloniam deduxerunt.
3 Cajetæ. Nam *Cajeta* nutrix Æneæ fuit, quæ moriens urbi & portui nomen dedit.
4 Illic quoque remanserat.
5 Ithacensis. Ita & Ulysses *Dux Neritius* dicitur, à Nerito Ithacæ monte. 6 Experti multa & passi Ulyssis. 7 Olim relictum. 8 Achæmenides timore Polyphemi Cyclopis in Sicilia relictus, ab Ænea, illac navigante, fuit exceptus. 9 Servavit. Putabat enim Macareus illum periisse. 10 Miratur Macareus Achæmenidem Græcum Ulyssisque comitem, cum Trojanis Græcorum hostibus navigare, atque ideo navem Trojanam vocat *proram barbaram*. 11 Græcum.

Prora vehit? [12] Petitur vestræ quæ terra carinæ?
Talia quærenti [13] jam non hirsutus amictu,
Jam [14] suus, & spinis conserto tegmine nullis
Fatur Achæmenides: [15] Iterum Polyphemon, & [16] illos
[17] Aspiciam fluidos humano sanguine rictus;
Hac mihi [18] si potior domus est Ithaceque carina;
Si minùs Ænean veneror genitore. Nec unquam
Esse satis potero, præstem licèt omnia gratus.
Quòd loquor, & [19] spiro; cœlumque, & sidera Solis
Respicio (possimne ingratus, & immemor esse?)
Ille dedit. Quòd non anima hæc Cyclopis in ora
Venit: & [20] ut lumen jam nunc vitale relinquam;
Aut tumulo, [21] aut certe non illâ [22] condar in [23] alvo.
[24] Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem
Sensum animumque) fuit; cùm vos petere alta relictus
Æquora prospexi? volui inclamare; sed hosti
Prodere me timui: vestræ quoque clamor Ulyssis
Pænè rati nocuit. Vidi, cùm monte revulso
Immanem scopulum medias [25] permisit in undas.
Vidi iterum, veluti [26] tormenti viribus [27] acta,
Vasta [28] giganteô jaculantem saxa lacerto.
Et, nè [29] deprimeret [30] fluctusve lapisve carinam,
Pertimui; [31] jam me non esse oblitus in illa.
Ut verò fuga vos ab acerba morte [32] removit;
Ille quidem totam fremebundus obambulat Ætnam,
[33] Prætentatque manu silvas; & luminis [34] orbus
Rupibus [35] incursat: fœdataque brachia [36] tabo
In mare protendens, gentem [37] exsecratur Achivam.
Atque ait: O si quis [39] referat mihi casus Ulyssen,

12 Quò navigatis?
13 Jam non asperis indutus vestibus, quales, in Ætna latitans, gerebat. Alludere autem Poëta videtur ad ea, quæ de Achæmenide 3. Æn. scribit Virg. *Cùm subitò è sylvis, &c.* usque ad *missus in armis.*
14 Sui juris.
15 Illi interrogationi respondet: *Cur barbara Grajum Prora vehit?* Se autem gratum erga Æneam ostendit Achæmenides.
16 Illa fluentia ora.
17 Optandi modus est.
18 [Si vel Ithace mihi domus sit potior hac carinâ. *Domus* pro *domicilium.*]
19 Vivo. Fatetur autem Achæmenides se vitam ab Ænea accepisse, illique se omnia debere. Est autem ordo: *Ille dedit, quòd loquor & spiro.*
20 Quamvis contingat me statim mori.
21 Correctio est dicti prioris: posset enim in mari perire. 22 Sepeliar, sc. *dedit.* 23 Cyclopis. 24 Quis animus esse debuit? 25 Conjecit. 26 Instrumenti bellici, *à torquendis* & cum impetu mittendis lapidibus dictum. 27 Impulsa. 28 Maximo brachio, quale est gigantum. 29 Demergeret. 30 Saxorum jactu excitatus. 31 Perindè timui, ac si in illa nave ego quoque fuissem. 32 Liberavit. 33 Ut cæci solent. 34 Oculo privatus. 35 Incidit in saxa, sic ut pedes lædat. 36 Sanie corporum devoratorum. 37 Detestatur. 38 Ordo est: *O quam nullum sit, aut leve damnum lucis ademtæ, si quis casus referat mihi Ulyssem.* 39 Revehat.

Aut

Aut aliquem è sociis, in quem mea [40] sæviat ira,
Viscera cujus edam, cujus viventia dextrâ
Membra mea [41] laniem, cujus mihi sanguis [42] inundet
Guttur, & [43] elisi trepident sub dentibus artus;
Quam nullum, aut leve sit damnum mihi [44] lucis ademtæ!
[45] Hæc & plura ferox. Me [46] luridus occupat horror,
Spectantem vultus etiamnum [47] cæde madentes
Crudelesque manus, & [48] inanem luminis orbem,
[49] Membraque, & humano concretam sanguine barbam.
Mors erat ante oculos; [50] minimum tamen illa malorum.
Et jam prensurum, jam jam mea viscera [51] rebar
In sua mersurum: mentique [52] hærebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater [53] affligi sociorum corpora terræ.
Quæ super ipse jacens, hirsuti more leonis,
Visceraque, & carnes, oblitisque ossa medullis,
[54] Semanimesque artus [55] avidam condebat in alvum.
Me tremor invasit. Stabam [56] sine sanguine mœstus:
Mandentemqne [57] videns, ejectantemque cruentas
Ore dapes, & [58] frusta mero [59] glomerata vomentem,
[60] Talia fingebam misero mihi fata parari.
Perque dies multos latitans, omnemque tremiscens
Ad strepitum, mortemque timens, cupidusque [61] moriri,
[62] Glande famem pellens, & mista frondibus herbâ,
Solus, inops, [63] exspes, leto pœnæque relictus,
Hanc procul adspexi longo post tempore navim:
Oravique fugam gestu, ad littusque cucurri:
Et [64] movi: [65] Graiumque ratis Trojana recepit.
[66] Tu quoque pande tuos, comitum gratissime, casus,
Et ducis, & turbæ, quæ tecum credita ponto est.

[67] Æolon ille refert [68] Tusco regnare profundo;
Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos [69] bovis inclusos tergo memorabile munus
Dulichium sumsisse [70] ducem: flatuq; secundo
[71] Lucibus isse novem, & [72] terram adspexisse petitam:

40 Sævitiam ac crudelitatem exerceat.
41 Lacerem.
42 Undæ more impleat.
43 Contusa membra.
44 Effossi oculi.
45 Sc. *locutus est*.
46 Meronym. effic.
47 Sanguine.
48 Circulum oculo vacuum.
49 Sc. *vasta*.
50 Scil. erat.
51 Opinabat, putabam.
52 Affixa erat.
53 Allidi.
54 Semimortuos.
55 Devorabat.
56 Pallidus.
57 Quia videbam.
58 Carnium partes.
59 Permista mero, illi ab Ulysse dato.
60 Talem mortem.
61 Moriendi.
62 Glandibus & herbâ vescens.
63 Extra omnem spem constitutus.
64 Commovi, persuasique ut me acciperet.
65 Græcum. Q. d. sibi hostem.
66 O Macareu.
67 Vide suprà vers. 86. & Lib. 4. vers. 663.
68 In Thusco mari.
69 In utre ex tergore bovis confecto.
70 Ulyssem. Vide Lib. 13. vers. 426.
71 Diebus.
72 Ithacam.

73 Proxima poſt nonam cùm ſeſe Aurora moveret;
Invidiâ ſocios prædæque cupidine ductos,
Eſſe 74 ratos aurum, 75 demſiſſe ligmina ventis:
Cum quibus iſſe retro, per quas modò venerat undas,
76 Æoliique ratem portus repetiſſe tyranni.
Inde 77 Lami veterem Læſtrygonis, inquit, in urbem
Venimus. 78 Antiphates terra regnabat in illâ.
Miſſus ad hunc ego ſum, numero comitante duorum:
79 Vixque fugâ quæſita ſalus comitique mihique.
Tertius è nobis 80 Læſtrygonis impia 81 tinxit
Ora cruore ſuo: Fugientibus inſtat, & 82 agmen
83 Concitat Antiphates. 84 Coëunt, & ſaxa trabeſque
Continuant: merguntque viros, merguntque carinas.
Una tamen, quæ nos ipſumque vehebat Ulyſſen,
Effugit. Amiſsâ ſociorum parte, dolentes,
Multaque conqueſti 85 terris allabimur illis,
Quas procul hinc cernis. 86 Procul hinc tibi (cerne) videnda eſt
Inſula viſa mihi. Tuque, ô juſtiſſime Tröum,
87 Nate Deä (neque enim finito 88 Marte vocandus
Hoſtis es, Ænea) moneo, fuge littora Circes.
Nos quoque Circæo religata in littore 89 pinu
Antiphatæ memores, 90 immanſuetique Cyclopis,
91 Ire negabamus; & tecta ignota ſubire.
Sorte ſumus lecti. Sors me, fidumque Polyten,
Eurylochumque 92 ſimul, nimiique Elpenora vini,
Biſque novem ſocios Circæa ad mœnia miſit.
Quæ ſimul attigimus, ſtetimuſque in limine 93 tecti;
94 Mille lupi, miſtæq; lupis urſæque 95 leæque
Occurſu fecere metum: 96 ſed nulla 97 timenda,
Nullaque erat noſtro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas movêre per aëra caudas,

73 Decimus dies. 74 Putantes aurum utri eſſe incluſum. 75 Diſſolviſſe ventos. 76 Et navem repetiſſe portum Æoli. 77 Antiquiſſimi Læſtrygonum regis, fil. Neptuni, qui urbem, poſteà *Formiæ* dictam, condidit. 78 De hoc Antiphate loquitur Homer. Odyſſ. Lib. 10. Fuit Læſtrygonum rex ferociſſimus ἀνθρωποφάγος. 79 Ulyſſes ad Antiphatis littus ejectus, miſit ad eum tres ſocios, regionem exploraturos, è quibus iſte unum dilaniavit. 80 Antiphatæ. 81 Madefecit. 82 Læſtrygonum multitudinem. 83 Convocat. 84 Conveniunt, concurrunt. 85 Ad illas terras navigavimus, quas procul vides. Digito verò demonſtrat promontorium Circes de quo Virg. Lib. 7. Æneid. 86 Non enim tutum eſt accedere propiùs. 87 O Ænea. 88 Bello. Metonymia efficientis. 89 Navi. Metonymia materiæ. 90 Valdè ac prorſus crudelis. 91 Nolebamus ire. 92 Poſtquam. 93 Domus. 94 Multi. Numerus finitus pro infinito. 95 Et leænæ. 96 Sc. *ferarum*. 97 Quia nondum humanitatem depoſuerant, ideoque hominibus adulabantur.

Noſtraque adulantes [98] comitant veſtigia; donec
Excipiunt famulæ, perque atria [99] marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulcro ſedet [100] illa receſſu,
Sublimi ſolio; pallamque induta nitentem,
Inſuper aurato circum velatur [101] amictu.
Nereïdes Nymphæque ſimul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila ſequentia ducunt,
[102] Gramina diſponunt; ſparſoſque ſine ordine flores
[103] Secernunt calathis, variaſque coloribus herbas.
Ipſa, quod hæ faciunt, opus exigit: ipſa [104] quid uſûs,
Quoque ſit [105] in folio, quæ ſit concordia miſtis
Novit: & advertens [106] penſas examinant herbas.
Hæc ubi nos vidit, dicta acceptaque ſalute,
[107] Diffudit vultus, & [108] reddidit omnia votis.
Nec mora; miſceri toſti jubet [109] hordea grani,
Mellaque, vimque meri, cum lacte coagula paſſo.
Quique ſub hac lateant furtim dulcedine, ſuccos
Adjicit. Accipimus [110] ſacrâ data pocula dextrâ.
Quæ ſimul arenti ſitientes hauſimus ore,
Et tetigit ſummos virgâ Dea dira capillos;
(Et pudet, & referam) Setis [111] horreſcere cœpi,
Nec jam poſſe loqui; pro verbis edere raucum
Murmur; & in terram toto procumbere vultu;
Oſque meum ſenſi [112] pando [113] occalleſcere roſtro;
[114] Colla tumere toris: & [115] quâ modo pocula parte
Sumta mihi fuerant, illâ veſtigia feci.
[116] Cumq; eadem paſſis (tantum medicamina poſſunt)
Claudor harâ: ſolumque ſuis caruiſſe figurâ
Vidimus Eurylochum: ſolus data pocula fugit.
Quæ niſi vitâſſet, pecoris pars una [117] maneret
Nunc quoque ſetigeri. Nec tantæ cladis [118] ab illo
Certior ad Circen ultor veniſſet Ulyſſes.
[119] Pacifer huic dederat florem Cyllenius album;

98 Archaïſmus, pro comitantur.
99 Marmoreis tegmentis incruſtata.
100 Circe.
101 Pallio.
102 Herbas.
103 Diſcernunt.
104 Quæ utilitas.
105 In qua herba. Pars pro toto.
106 Ponderatas. Neque enim pharmaca, niſi ponderentur, recte componi poſſunt.
107 Exhilaravit.
108 I. e. vultu hilari ad omnia pro votis nobis reſpondit.
109 Grana hordei toſti.
110 Execrabili.
111 Horridus & aſper fieri.
112 Recurvo.
113 In callum commutari.
114 Exſtantibus carnibus tumida fieri.
115 Manus, quibus pocula ſumſeram in crura anteriora ſunt.
116 Cum ſociis meis, qui eadem erant paſſi, in ſtabulo claudor.
117 Eſſet.
118 Sc. *factus*, ille enim Ulyſſi nunciatum abiit.
119 Mercurius fereus caduceum, qui pacis ſignum eſt. Vide quæ nos annotavimus ad verſ. 710. Lib. 2. & alibi.

[120] Moly vocant Superi. Nigrâ radice tenetur.
Tutus eo, monitisque simul cœlestibus intrat
Ille domum Circes : & ad insidiosa vocatus
Pocula, conantem virga mulcere capillos
Reppulit ; & stricto pavidam deterruit ense.
Inde fides, dextræq; datæ : [121] thalamoq; receptus
[122] Conjugii dotem [123] sociorum corpora poscit.
Spargimur innocuæ succis melioribus herbæ,
[124] Percutimurque caput conversæ verbere virgæ :
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quò magis illa canit, [125] magis hoc tellure levati
Erigimur : setæque cadunt, bifidosque relinquit
Rima pedes. Redeunt humeri : subjecta lacertis
Brachia sunt. Flentem flentes amplectimur [126] illum,
Hæremusque ducis collo : nec verba locuti
Ulla priora sumus, [127] quàm nos testantia gratos.
Annua nos illîc tenuit mora : multaque præsens
Tempore tam longo vidi : multa áuribus hausi.
[128] Hoc quoque cum multis, quod clam mihi rettulit una
Quattuor è famulis, [129] ad talia sacra [130] paratis.
[131] Cum duce namque meo Circe dum sola moratur,
[132] Illa mihi niveo factum de marmore [133] signum
Ostendit juvenile, gerens in vertice picum,
Æde sacrâ positum, multisque [134] insigne coronis.
Quis foret, & quare sacra coleretur in æde,
Cur hanc ferret avem, quærenti, & scire volenti,
[135] Accipe, ait, Macareu : [136] dominæque potentia quæ sit
Hinc quoque disce meæ. Tu dictis [137] adjice mentem.

120 Sc. *quod.* De hac herba *Moly* legendus Homerus.
121 In thalamum.
122 Coïtus præmium.
123 Ut restituat sociorum corpora pristinæ figuræ.
124 Caput nobis percutitur.
125 Tantò magis.
126 Sc. *Ulyssem.*
127 Se antè omnia gratias Ulyssi egisse ait.
128 Pici juvenis in avem sui nominis portentosam Metamorphosin narrat Achæmenidi Macareus.
129 Magica.
130 Instructis.
131 Cum Ulysse.
132 Famula.
133 Statuam.
134 Ornatum.
135 Audi.
136 Circes.
137 Adhibe.

Picus

Picus in avem ſui nominis. *Fab.* VII.

ARGUMENTUM.

Picus Saturni filiùs, Latii rex, cùm Canentem Jani ex Venilia filiam duxiſſet uxorem, à Circe in venatione viſus, ſtatim ab ea amatus eſt. Cui cùm morem gerere nollet, ab ea in avem ſui nominis mutatus eſt.

PIcus Auſoniis [1] proles Saturnia terris
Rex fuit, utilium bello ſtudioſus equorum
[2] Forma viro, quam cernis, erat. Licet ipſe decorem
Adſpicias, fictaque probes ab imagine veram.
Par animus formæ. [3] Nec adhuc ſpectâiſe per annos
Quinquennem poterat Graiâ quater Elide pugnam.
[4] Ille ſuos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina Naïades; quas [5] Albula, quaſque [6] Numicî,
Quas [7] Anienis aquæ, curſuque breviſſimus [8] Almo,
[9] Narq; tulit præceps, & amœnæ [10] Farfarus umbræ;
Quæque colunt [11] Scythicæ [12] regnum nemorale Dianæ,
Finitimoſque lacus. Spretis tamen omnibus unam

1 Filius Saturni.
2 Tali erat pulcritudine, quali & ſtatua ipſius.
3 [Quater ſpectare ludos Olympicos; qui Elide quinto quoque Anno celebrabantur: antea *curre* post *Elide* legebatur; perperam. *Heinſi.*]
4 Nymphas ſylveſtres & fluviales ad amorem ſui allexerat.
5 Tybris qui à *colore* aquæ prius *Albula* dicebatur.
6 Fluvii Laurentis agri, in quem Æneam cecidiſſe ferunt.
7 Anio fluvius eſt Latii, haud longe ab urbe in Tyberim defluens.
8 Fluvius haud longè ab urbe Roma diſtans.
9 Nar fluvius eſt Umbriæ in Tyberim labens.
10 Fluvius eſt Sabinorum.
11 Quæ ab Oreſte unà cum Iphigenia ex Taurica regione Ariciam uſque allata fuit: vel etiam, cui Scythico, ſeu Taurico ritu, i. humano ſanguine aliquando ſacrificatum eſt: donec Romani crudelitatem iſtam averſati, ſacrificandi morem hunc abolevẽrunt.
12 [Sacerdotium Dianæ Aricinæ Regnum vocabatur; Rexque ipſe Sacerdos. Statius in Silvis

- - - - - profugis cum Regibus altum
Tumet Aricinæ Triviæ nemus.

Nemorenſem Regem vocat Suetonius in Caligulâ. De Regno noſter Artis Amato. lib. I.

Ecce ſuburbanæ regnum nemorale Dianæ
Partaque per gladios regna nocente manu.

Triviæ nemoroſa regna Martialis. *Heinſius.*]

Ille fovet Nymphen, quam quondam in colle Palati
Dicitur [13] Iönio peperisse [14] Venilia Jano.
Hæc, ubi nubilibus primùm maturuit annis,
Præposito cunctis Laurenti tradita Pico est:
[15] Rara quidem facie, sed rarior arte canendi,
Unde [16] Canens dicta est: silvas & saxa movere,
Et mulcere feras, & flumina longa [17] morari
[18] Ore suo, volucresq; vagas retinere solebat.
Quæ dum fœmineâ modulatur carmina voce,
[19] Exierat tecto [20] Laurentes Picus in agros,
Indigenas [21] fixurus apros: tergumque premebat
[22] Acris equi; lævaque hastilia bina ferebat,
[23] Pœniceam fulvo chlamydem contractus [24] ab auro.
Venerat in silvas & [25] filia Solis easdem:
Utque nevas legeret fœcundis collibus herbas:
Nomine dicta suo [26] Circæa reliquerat arva.
Quæ simul ac juvenem virgultis [27] abdita vidit;
[28] Obstupuit. Cecidêre sinu, quas legerat, herbæ:
Flammaque per totas visa est errare medullas.
Ut primùm valido mentem collegit [29] ab æstu;
Quid cuperet, fassura fuit. Nè posset adire,
Cursus equi fecit, circumfususque [30] satelles.
Non tamen effugies, vento rapiare [31] licebit,
Si modò [32] me novi; si non [33] evanuit omnis
Herbarum virtus, & me mea carmina fallunt.
Dixit: & effigiem nullo cum corpore [34] falsi
Finxit apri: præterque oculos transcurrere regis
Jussit, & in densum [35] trabibus nemus ire videri;
Plurima qua silva est, & equo loca pervia non sunt.
Haud mora: continuò prædæ petit [36] inscius [37] umbram
Picus; equique celer fumantia terga relinquit.
[38] Spemque sequens vanam, silva pedes [39] errat in altâ.
Concipit illa preces; & verba venefica dicit,
Ignotosque Deos [40] ignoto carmine adorat,

13 [Vocem a librariis non intellectam corruperunt: quam ex membranis restituit Heinsius. Optime. Nam Perrhœbum Janum faciunt Plutarchus in Quæstionibus Romanis, & Athenæus Lib. xv. qui tractus mari Iönio vicinus, ut Iönium Jano in Italiam contendenti superandum fuerit.]
14 Uxor fuit Jani, antiquissimi Italiæ regis, qui à Romanis posteà Deus habitus est.
15 Præstans. Omne enim rarum præclarum est.
16 Propter excellentem canendi peritiam.
17 Remorari, sistere.
18 Cantu.
19 Egressus erat domo.
20 Laurentum, populorum Latii, à *Laurento* urbe.
21 Confecturus, percussurus.
22 Ferocis.
23 Purpuream.
24 Ab aureo cingulo comprehensam & cinctam chlamydem habens.
25 Circe. 26 Circæum montem, *Circe* denominatum. 27 Abscondita. 28 Ob Pici pulchritudinem, quâ Circe statim capta est. 29 A vehementi amore. 30 Satellites & comites circumfusi. 31 Licèt, quamvis. 32 Meam potentiam. 33 Vana facta est. 34 Finxit umbratilem apri effigiem. 35 Ramis, & arboribus, è quibus trabes fiunt. 36 Prædam non cognoscens esse altam. 37 Imaginem apri simulati & victi. 38 Umbram corpore carentem. 39 Vagatur. 40 Obscuris & non intellectis verbis.

[41] Quo solet & niveæ vultum [42] confundere Lunæ,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes.
Tum quoque cantato [43] densetur carmine cœlum,
Et nebulas exhalat humus; [44] cæcisq; vagantur
Limitibus comites; & [45] abest custodia regi.
Nacta locum tempusq; Per ô tua [46] lumina, dixit,
Quæ mea ceperunt, perque hanc, pulcherrime, formam,
Quæ facit ut supplex [47] tibi sim Dea, [48] consule nostris
Ignibus; & socerum, qui pervidet omnia, Solem
Accipe: nec [49] durus Titanida despice Circen.
Dixerat: Ille ferox ipsamque precesq; repellit:
Et, [50] Quæcunque es, ait, non sum tuus: altera captum
Me tenet; & teneat per longum comprecor ævum.
Nec [51] Venere externâ [52] socialia fœdera lædam;
Dum mihi [53] Ianigenam servabunt fata Canentem.
Sæpe [54] retentatis præcibus Titania frustra,
[55] Non impunè feres, neque enim [56] reddêre Canenti:
Læsaque quid faciat, quid amans, quid fœmina, [57] disces
Rebus, ait: sed amans, & læsa, & fœmina Circe.
Tum bis ad occasum, bis se convertit ad ortus:
Ter juvenem [58] baculo tetigit: tria carmina dixit.
Ille fugit sese solito [59] velociùs ipse
Currere miratus, pennas in corpore vidit:
Seque novam subitò Latiis [60] accedere silvis
Indignatus avem, [61] duro fera robora rostro
[62] Figit; & iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxêre colorem.
[63] Fibula quod fuerat, vestemque [64] momorderat, aurum
Plura fit: & fulvo cervix præcingitur auro.
[65] Nec quicquam antiqui Pico, nisi nomina, restat.

41 Carmine magico, quo vulgus credebat veneficas posse Lunam rubore suffundere, & deducere cœlo.
42 Obscurare.
43 *In nubem cogitur aër*, ut ait Virg. 5. Æneid.
44 Ignotis.
45 Comites regis absunt.
46 Oculos, quibus amor meus est accensus.
47 Qui es mortalis.
48 Succurre, medêre.
49 Crudelis.
50 Cum quodam contemtu hæc ait Picus. Q. d. Etiamsi esses filia Jovis, nedum Solis.
51 Vetito amore tui, quæ es externa.
52 Connubialia.
53 Jano genitam, uxorem meam.
54 Iteratis.
55 Non abibis sine pœna.
56 Redibis ad Canentem
57 Reipsa cognosces.
58 Virgula prodigiosa. Ῥάβδῳ πεπληγυῖα ... σφυρ... γν, Homer.

59 Citiùs quam solebat. Jam enim in avem fuerat mutatus. 60 Adjungi. 61 Dura robora fero percutit rostro. 62 Percutit. 63 Fibula aurea. 64 Depilaverat. Nam *fibulæ vestes mordêre* videntur, cùm eas pilis privant. Significat autem Pici aureum baltheum in torquem fulvum, quo collum Pici avis cingitur, fuisse mutatum. 65 *Picus Martius* idcircò hæc avis appellatur, quod *Marti* sit consecratus.

Pici socii in feras. *Fab.* VIII.

ARGUMENTUM.

Socii quoque Pici, requirentes ducem, ne viribus in noxiam sævirent, contacti venenis in varias ferarum species abiere mutati.

INterea [1] comites clamato sæpè per agros
Nequicquam Pico, nullaque in parte reperto,
Inveniunt Circen, (nam jam [2] tenuaverat auras;
Passaque erat nebulas ventis ac sole resolvi)
Criminibusque premunt veris, [3] regemque reposcunt,
[4] Vimque ferunt; sævisque parant [5] incessere telis.
Illa nocens spargit virus, succosque veneni:
Et Noctem, Noctisque [6] Deos [7] Ereboque Chaoque
Convocat: & magicis Hecaten ululatibus orat.
Exsiluêre loco (dictu mirabile) silvæ,
Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos,
Sparsæque sanguineis maduerunt pabula guttis;
Et lapides visi mugitus [8] edere raucos;
Et latrare canes; & humus serpentibus atris
Squallere, & [9] tenues animæ volitare silentum.
Attonitum monstris [10] vulgus pavet. Illa paventum
Ora venenatâ tetigit [11] mirantia virgâ.
Cujus ab attactu variarum [12] monstra ferarum
[13] In juvenes veniunt. Nulli sua mansit imago.

1 Stipatores, & satellites, de quibus Fab. 7.
2 Tenues ac subtiles reddiderat.
3 Picum.
4 Et violentiam Circæ afferri volunt.
5 Invadere.
6 Hecaten, Plutonem, & reliquos inferos Deos. Nam nox apud inferos semper esse putatur.
7 Ab Erebo & Chao, i. e. ab inferis.
8 Emittere.
9 Sine corpore.
10 Comites Pici.
11 Stupentia.
12 Monstrosæ figuræ,
13 Nam illi in varias feras fuerunt mutati.

Canens

Canens Pici uxor in auras. *Fab.* IX.

ARGUMENTUM.

Uxor quoque Pici Canens secundùm Tiberim deflens desiderio viri amissi extabuit. Ita tamen ut locus memoriam nominis præberet posteris. Canens enim nominatus est.

PReſſerat occiduus [1] Tarteſſia littora Phœbus:
Et fruſtra conjux oculis animoque Canentis
Exſpectatus erat. Famuli populuſque per omnes
Diſcurrunt ſilvas; atque obvia [2] lumina portant.
Nec ſatis eſt Nymphæ flere, & lacerare capilles,
Et [3] dare plangorem; facit hæc tamen omnia; ſeſe
[4] Proripit; ac Latios errat [5] veſana per agros:
Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
[6] Lumina viderunt, inopem ſomnique cibique,
Per juga, per valles, qua fors ducebat, euntem.
[7] Ultimus adſpexit feſſam luctuque viaque
Tibris, & in gelida ponentem corpora ripâ.
Illîc cum lacrymis ipſos modulata dolores,
Verba ſono tenui mœrens fundebat: ut olim
[8] Carmina jam moriens canit exſequialia cygnus.
Luctibus extremùm tenues liquefacta medullas
[9] Tabuit; inque leves paulatim evanuit auras:
Fama tamen ſignata loco eſt; quem rite Canentem
Nomine de Nymphæ veteres dixêre Camænæ.
[12] Talia multa mihi longum narrata [13] per annum,
Viſaque ſunt, reſides & deſuetudine tardi
Rurſus [15] inire fretum, rurſus [16] dare vela jubemur.
Ancipiteſque vias, & iter Titania vaſtum
Dixerat, & [17] ſævi reſtare pericula ponti.
Pertimui, fateor; nactuſq; hoc littus adhæſi.

1 Occidentalia: nam *Tarthesus* urbs eſt ulterioris Hiſpaniæ.
2 Faces, &c.
3 Edere ejulatum.
4 E domo ſcil.
5 Inſana ac furens.
6 Dies.
7 Tandem feſſa pervenit ad Tybrim.
8 Exequiis convenientia. Cygnus autem morti vicinus ſuaviſſime canere dicitur. Vide Ovid in Triſtibus.
9 Paulatim abſumta eſt.
10 Reſoluta eſt.
11 [Camænæ olim hæc loca habitare dicebantur.]
12 Hæc inquit Macareus.
13 Quod apud Circen fuimus.
14 Deſides, pigri, ſic *facti*.
15 Intrare, ingredi.
16 Navigare.
17 Maris furentis & in tempeſtatem concitati.

Diomedis

Diomedis comites in aves Diomedeas. *Fab.* X.

ARGUMENTUM.

Refert Macareus Æneam adverſus Rutulos pro Latino dimicantes ab Evandro auxilium petiiſſe, & quemadmodum Turnus Venulo legato à Diomede item auxilium poſtulaſſet, qui ſub Dauno Japygiæ rege domicilium poſuiſſet: qui id ſe facturum negaſſet, eo quod pro Ænea Venus ſtaret, quam in bello Trojano à ſe vulneratam inimicam haberet. Refert quoque, ut Diomedis comites Veneris contemtu cupientes in illud proficiſci bellum, à Dea in aves mutati ſunt, quæ de nomine ducis Diomedeæ ſunt appellatæ. Eorum nomina hæc ſunt: Agmon, Lycus, Idas, Rhetenor, Nycteus. Quæ volucres albi coloris cygnis ſimiles ſunt.

Finierat Macareus: urnaque [1] Æneïa nutrix
Condita marmoreâ, tumulo breve carmen habebat:
Hic me Cajeten [2] notæ pietatis [3] alumnus,
Ereptam [4] Argolico, quo debuit [4] igne, cremavit.
Solvitur herboſo religatus ab aggere [5] funis:
Et procul inſidias, infamatæque relinquunt
[6] Tecta Deæ: lucoſque petunt, ubi nubilus [7] umbrâ
In mare cum flava [8] prorumpit Tibris arena.
[9] Faunigenæque domo potitur [10] natâq; Latini;
Non ſine [11] Marte tamen. Bellum cum gente feroci
Suſcipitur; pactaq; furit pro conjuge Turnus.
[12] Concurrit Latio Tyrrhenia tota: diuq;
Ardua ſollicitis victoria quæritur armis.
Auget uterq; ſuas [13] externo robore vires:
Et multi Rutulos, multi Trojana tuentur
Caſtra. [14] Neque Æneas Evandri ad limina fruſtra,

1 Cajeta, Æneæ nutrix, quæ mortua ac ſepulta, & portui & urbi nomen dedit. 2 Singularis, inſignis, eximiæ. 3 Æneas à me alitus atque educatus. 4 Quo à Græcis Ilium fuit incenſum. 5 Quo naves religatæ tenentur. 6 Domum Circes, veneficiis famoſæ. 7 Sc. *arborum.* 8 Cum impetu ingreditur. 9 Latini Fauni filii. 10 Lavinia, Latini filia, quæ primum deſponſa Turno, Rutulorum regis, dein Æneæ nupſit. Verum rem omnem fuſe canit Virgilius. 11 Bello. 12 Thuſcæ populi ſub rege Mezentio pro Turno bellum contra Latinos & Trojanos ſuſcipiunt. 13 Externis copiis auxiliaribus. 14 Nam Evander in Trojanorum auxilium, & Pallantem filium miſit, & ut à Thuſcis imploraret auxilium, hortatus eſt.

15 At Venulus frustra 16 profugi Diomedis ad urbem
Venerat. 17 Ille quidem sub 18 Iapyge maxima 19 Dauno
Mœnia condiderat: dotaliaque arva tenebat.
Sed Venulus Turni postquam mandata peregit,
Auxiliumque petit; Vires 20 Ætolius heros
21 Excusat. Nec se 22 soceri committere pugnæ
Velle sui populos: nec quos è gente suorum
Armet, habere viros. Neve hic commenta putetis;
(Admonitu quanquam luctus renoventur amaro)
23 Perpetiar memorare tamen. Postquam alta cremata est
24 Ilion; & Danaas paverunt Pergama flammas;
25 Narytiusque heros, à 26 virgine, 27 virgine rapta,
Quam meruit Solus pœnam 28 digessit in omnes;
29 Spargimur: & ventis inimica per æquora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram cœlique marisque
Perpetimur Danaï, 30 cumulumque Capharea cladis.
Neve morer referens tristes ex ordine casus;
Græcia tum potuit Priamo quoq; 31 flenda videri.
Me tamen 32 armiferæ servatum 33 cura Minervæ
Fluctibus eripuit. Patriis sed rursus ab Argis
Pellor: & antiquo 34 memores de 35 vulnere pœnas
Exigit alma Venus: tantosq; per alta labores
Æquora sustinui, tantos terrestribus armis;
Ut mihi felices sint illi sæpe vocati,
Quos communis hyems, 36 importunisque 37 Caphareus

15 Venulus unus ex proceribus à Turno ad Diomedem, qui in Apulia urbem ædificaverat, missus orator, nihil auxilii ab eo impetravit: quòd diceret cùm alia quædam, tùm Trojanos nimium Diis esse gratos & charos.
16 Procul à patria ob uxoris turpitudinem fugati. Nam Diomedes à bello Trojano reversus, ubi comperisset uxorem Ægialem à Comata filio Stheneli corruptam, vitæque suæ insidiantem, in Apuliam profugit: ubi regni parte & filiâ in uxorem à Dauno donatus, Argiripam condidit.
17 Diomedes.
18 Apulo. Nam Apuliæ pars Japygia vocatur.
19 Rege Apuliæ, à quo Daunia fuit appellata.

20 Diomedes, cujus pater Tydeus, Ætoliæ rex. 21 In excusationem adducit. 22 Dauni. 23 Sustinebo. 24 Urbs Troja, quæ & *Ilion* dicitur. 25 Ajax Oilei filius ortus ex oppido Locrorum vetustissimo. 26 Pallade. 27 Cassandrâ stupratâ in æde Palladis. 28 Dissipavit. Nam Pallas ultura sacrilegium Ajacis Oilei filii, qui Cassandram in ejus templo stupraverat, iram suam diffudit in omnes Græcos, & eorum classem tempestatibus oppressit. Ita queritur secum Juno irata apud Virg. Lib. 1. Æneid. *Pallasne exurere classem Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto, Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei.* 29 Dissipamur, dispergimur. 30 *Caphareus* promontorium est Eubœæ in Hellespontum spectans, ad cujus radices irâ Minervæ ac fraude Nauplii Palamedis patris, (qui ulturus filii necem Græcos noctu tempestate laborantes facibus fraudavit) Græcorum classis maximum fecit naufragium. 31 Deploranda. 32 Quippe quæ Dea belli. 33 Minerva. Sic Lib. 1. dixit *Cura Dei.* 34 Quas in memoria habebat. Sic Vir. 1. Æn. dixit *memore miram.* 35 Diomedes, ut Hom. Il. ε. narrat, bello Trojano *Veneris violavit vulnere dextram*, Virg. l. 11. cujus illa memor summisit Stheneli filium qui Ægialam Diomedis uxorem corrupit. Vide quæ nos modo ad v. 497. 36 Sine portu, perniciosus. 37 Vide suprà v. 472.

Mersit

Mersit aquis: vellemq; horum pars una fuissem.
Ultima jam passi comites belloq; fretoque,
[38] Deficiunt; finemq; rogant erroris. At Agmon
[39] Fervidus ingenio, tum verò & cladibus [40] asper,
Quid superest, quod jam patientia nostra [41] recuset
Ferre, viri? dixit. Quid habet [42] Cytherea, quod ultrà
(Velle puta) faciat? Nam dum pejora timentur;
[43] Est in vota locus: [44] Sors autem ubi pessima rerum;
[45] Sub pedibus timor est, [46] securaq; summa malorum.
Audiat ipsa, licet; licet, ut facit, oderit omnes
[47] Sub Diomede viros; odium tamen illius omnes
Spernimus, & magno stat [48] magna potentia nobis.
Talibus invitam Venerem [49] Pleuronius Agmon
Instimulat verbis: veteremq; resuscitat iram.
Dicta placent paucis. [50] Numeri majoris amici
Agmona corripimus: cui respondere paranti
Vox pariter, vocisq; via est [51] tenuata: comæque
In plumas abeunt: plumis nova colla teguntur,
Pectoraq; & tergum: majores brachia pennas
Accipiunt: cubitique leves sinuantur in alas.
[52] Magna pedum digitos pars occupat: oraque [53] cornu
Indurata rigent: [54] finemque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, & cum Rhetenore Nycteus,
Hunc miratur Abas: & dum mirantur, eandem
Accipiunt faciem: numerusque ex [55] agmine major
Subvolat, & remos [56] plausis circumsonat alis.
Si volucrum quæ sit [57] subitarum forma requiris:
Ut non Cygnorum, sic albis [58] proxima cygnis.
Vix equidem has sedes, & [59] Iapygis arida Dauni
Arva gener tenea minima cum parte meorum.

38 Me derelinquere volunt. 39 Feroci ingenio præditus. 40 Etiam iratus, utpote qui longo malorum usu induruerat. 41 Nolit pati. 42 Venus. 43 Votis & precibus locus relinquitur: tunc enim homines ad preces confugiunt, cum pejora timent. 44 Ubi pessimus est rerum status. 45 Nihil timetur. 46 Sine timore. 47 Diomede duce navigantes. 48 Veneris. 49 Oriundus Pleurone Ætoliæ urbe. 50 Plures amici. 51 Tenuis & exigua facta. 52 Magna pedum pars à digitis fuit occupata. 53 Rostro. 54 Acutum habent rostrum. 55 Multitudine comitum. 56 Cum quodam strepitu motis 57 Recens natarum. 58 Simillima. Nam Diomedeæ aves oloribus sunt similes. 59 Soceri mei. Vide suprà ad vers. 461, & 453.

Apulus.

Apulus paſtor in Oleaſtrum. *Fab.* XI.

ARGUMENTUM.

Laviniæ regionis locum arboribus obumbratum Pan Mercurii filius tenuit: quem poſtea Nymphæ coluerunt. Has paſtor Apulus cum procacibus maledictis terruiſſet; ne amplius linguam in propatulo haberet, numine earum in arborem oleaſtrum extabuit. Cujus fructus ſucco amaro linguæ paſtoris aſperitatem refert.

HActenus [1] Œnides. Venulus [2] Calydonia regna,
[3] Peucetioſque ſinus, Meſſapiaque arva relinquit.
[4] In quibus antra videt: quæ multa [5] nubila ſilvâ,
Et levibus ſtagnis [6] manantia, [7] ſemicaper Pan
Nunc tenet; at quodam tenuerunt tempore Nymphæ.
Appulus has illa paſtor regione fugatas
Terruit; & primò ſubitâ formidine [8] movit:
Mox, ubi mens rediit, & contemſere ſequentem;
[9] Ad numerum motis pedibus [10] duxêre choreas.
[11] Improbat has paſtor: ſaltuque imitatus agreſti
Addidit obſcœnis convicia ruſtica dictis.
Nec priùs obticuit; quàm guttura [12] condidit arbor.
Arbore enim [13] ſuccoque licet cognoſcere mores.
Quippe [14] notam linguæ baccis [15] oleaſter amaris
Exhibet. Aſperitas verborum [16] ceſſit in illas.

1 Diomedes Oenei nepos. 2 Apuliam, ubi Diomedes donatus à Dauno parte regni, & filia. Diomedis autem pater Tydeus fuit rex Ætoliæ, cujus civitas Calydon. 3 *Calabriam*, quam & *Peucetiam* veteres dixere, & Meſſapiam, non procul à Sicilia. 4 Paſtoris cujuſdam Apuli in oleaſtrum Metamorphoſin exponit. 5 Obſcura. Eſt enim hoc loco adjectivum. 6 Stillantia. 7 Pan Deus eſt paſtorum, qui à parte poſteriori capro ſimilis pingebatur. 8 Commovit ad fugiendum. 9 Ad rythmum & geſtus rationem. 10 Tripudiarunt. 11 Vituperat. 12 Abſcondit. 13 Ex ſucco, qui eſt amarus & aſper. 14 Signum, n. amarulentiam. 15 Oliva eſt ſylveſtris. 16 Tranſivit.

Æneæ

Æneæ naves in Nymphas. *Fab.* XII.

ARGUMENTUM.

Turnus adversus Æneam pro Lavinia sponsa dimicans, cùm immittere ignem classibus conaretur; mater Deorum, quia ex Ida monte Phrygiæ sibi sacrato essent factæ, impetravit precibus ab Jove, ut in Nympharum speciem conversæ, Dearum marinarum numen augere possent.

Hinc ubi [1] legati rediêre, negata [2] ferentes
Arma Ætola sibi, [3] Rutuli sine viribus illis
Bella instructa gerunt: multumq; ab utraque cruoris
Parte datur. Fert ecce avidas in pinea Turnus
[4] Texta faces: ignesque timent, quibus unda pepercit.
Jamque picem, & ceras, alimentaque cætera flammæ
[5] Mulciber urebat, perque altum ad carbasa malum
Ibat: & incurvæ fumabant transtra [6] carinæ.
Cùm memor has pinus Idæo [7] vertice cæsas
Sancta [8] Deûm genitrix, [9] tinnitibus aëra pulsi
Æris, & inflati complevit murmure [10] buxi.
Perq; leves [11] domitis invecta leonibus auras,
[12] Irrita [13] sacrilegâ jactas incendia dextrâ
Turne, ait. Eripiam; nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorum partes & membra meorum.
Intonuit dicente Dea: tonitrumque secuti
Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi:
Aëraque, & subitis tumidum concursibus æquor
[14] Astræi turbant, & eunt in prælia, fratres.
E quibus [15] alma parens unius viribus usa,
[16] Stuppea prærumpit Phrygiæ retinacula classis:
Fertque rates pronas; imoque sub æquore mergit.

1 Quorum princeps Venulus. Vide suprà vers. 460.
2 Annunciantes Diomedem Ætolum auxilia negasse.
3 Populi, quibus imperavit Turnus.
4 Naves quæ ex pineis tabulis conficiuntur. De Æneæ autem navibus, quibus Turnus ignem immisit, sic Virg. 9. Æn. *Atque illi* (Æneæ) *medio in spatio,* usque ad *ævumque habitare sub undis.*
5 Vulcanus, ignis. Metonym. effic.
6 Navis.
7 In vertice montis Idæ.
8 Cybele.
9 Sonitu cymbalorum, & tympanorum, quibus in sacris Cybeles utebantur.
10 Tibiarum è buxo. 11 Currus enim Cybeles trahitur à leonibus, in quos Hippomenes & Atalanta mutati fuerunt, ut narrat noster Lib. 10. Fab. 11. 12 Vana. 13 Ipse Turnus sacrilegus. 14 Venti. Fingit enim Hesiodus Auroram ex Astræo gigante ventos peperisse. 15 Cybele, quæ & eadem est cum terrâ. 16 Oras, i. funes, ex stupâ quibus navis terræ vel littori alligatur. Sic *Virg. Æneid.* Lib. 2. *Et stupea vincula collo Intendunt.*

17 Robora

[17] Robore mollito, lignoque in [18] corpora verſo,
In capitum faciem puppes mutantur aduncæ.
In digitos abeunt, & crura natantia, remi:
Quodque prius fuerat, latus eſt: mediiſque carina
Subdita navigiis, ſpinæ mutatur in uſum.
[19] Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt.
[20] Cærulus, ut fuerat, color eſt. Quaſque antè timebant,
Illas virgineis exercent luſibus undas
Naïdes æquoreæ: duriſque in montibus ortæ
Molle fretum celebrant: [21] nec eas ſua tangit origo.
Non tamen oblitæ, quàm multa pericula ſævo
Pertulerint pelago, jactatis ſæpe carinis
Suppoſuêre manus: [22] niſi ſi qua vehebat [23] Achivos.

17 Duritie molli factâ.
18 Carnes.
19 Funes ex lino confecti.
20 Niger.
21 Nihil moventur cupiditate ſuæ originis videndæ. Nihil curant redire in montes, ubi ſunt ortæ.
22 Cum enim antea Trojanæ naves fuiſſent, Græcos Trojanorum hoſtes admodum oderant.
23 Græcos.

Navis Ulyſſis in ſcopulum. *Fab.* XIII.

ARGUMENTUM.

Naves Æneæ in ſpeciem Nympharum verſas Deorum voluntate, docet ex recordatione odiſſe Græcos, ideoque hilares vidiſſe fluctuantia fragmina navis Ulyſſis, qui naufragium fecerat. Item Alcinoi navem, qua Ulyſſes in Ithacam vehebatur, in ſaxum transfiguratam.

Cladis adhuc [1] Phrygiæ memores, odêre [2] Pelaſgos:
Neritiæque [3] ratis viderunt fragmina lætis
Vultibus. Et lætæ vidêre rigeſcere [4] puppim
Cautibus Alcinoi; ſaxumq; increſcere ligno.

1 Trojanæ.
2 Græcos.
3 Navis qua vectus eſt Ulyſſes, qui unde Neritius vocetur vide ſupra ad verſ. 159.

4 Navem Ulyſſi naufrago datam ab Alcinoo Phæacum rege.

Ardea Turni civitas in avem. *Fab.* XIV.

ARGUMENTUM.

Turno ab Ænea interemto Ardea urbs regnum Turni incendio ad cinerem redacta: ex qua volucris emersa est, quæ patriæ ejus nomine vocaretur à posteris Ardea.

Spes erat in Nymphas animatâ [1] classe marinas
Posse metu monstri [2] Rutulum desistere bello.
Perstat, [3] habetque Deos pars utraque: quique Deorum
[4] Instar, habent animos. Nec jam dotalia regna,
Nec sceptrum [5] soceri, nec te, Lavinia virgo,
Sed [6] vicisse petunt: [7] deponendique pudore
Bella gerunt. Tandemque Venus victricia nati
Arma videt: [8] Turnusq; cadit; cadit Ardea Turno
Sospite dicta potens. Quam postquam barbarus ignis
[9] Abstulit, & tepidâ latuerunt tecta favillâ;
[11] Congerie è media tum primùm cognita [12] præpes
Subvolat: & cineres [13] plausis everberat alis.
Et [14] sonus, & macies, & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque mansit in illa
Urbis: & ipsa suis [15] deplangitur Ardea [16] pennis.

1 Classe mutatâ in Nymphas animam habentes.
2 Turnum.
3 A parte Æneæ stat Venus, à parte Turni Juno.
4 Ad similitudinem Deorum. Nam animi, ut Dii, sunt immortales.
5 Latini regis.
6 Victoriam. Verbum pro nomine positum est. Sic Persius, *Scire tuum nihil est.*
7 Sc. *bella*: utrumque enim pudebat deponere bellum.
8 Ab Ænea interficitur.
9 Sustulit, delevit. 11 E media urbis incensæ mole. 12 Avis. Dicuntur autem propriè *præpetes* aves majores, quæ volatu suo dant augurium. 13 Concussis. 14 Vox tenuis & exilis. 15 Percutitur. 16 Alis.

Æneas

Æneas post mortem Deus factus, Indigesque dictus. *Fab.* XV.

ARGUMENTUM.

Venus ut animadvertit filium Æneam laboribus exhaustis ad finem venisse ævi; petit ab Jove patre ut promissis fidem faceret. Cujus ille precibus auditis, efficit ut in agro Laurenti flumine Numicio mortalitatem ablueret, interque Indigetes Deos transferretur. Ità ut à posteris, sicut cæteris Diis, sacra ei administrarentur.

JAmque Deos omnes, [1] ipsamque Æneïa virtus
Junonem veteres finire coëgerat iras:
Cùm, bene fundatis opibus crescentis [2] Jüli,
3 Tempestivus erat cœlo Cythereïus heros.
4 Ambieratque Venus Superos: 5 colloque parentis
Circumfusa sui, Nunquam mihi, dixerat, ullo
Tempore dure pater, nunc sis mitissimus oro;
Æneæque meo, qui te de sanguine nostro
Fecit avum, [6] quamvis parvum, des, optime, numen;
Dummodo des aliquod. Satis est 7 inamabile regnum
Aspexisse semel, Stygios semel isse per amnes.
Assensere Dei: nec [8] conjux regia vultus
Immotos tenuit; placatoque annuit ore.
Tum 9 pater, Estis ait, cœlesti munere digni,
Quæque petis, pro quoque petis. Cape 9 nata, quod optas.
Fatus erat. Gaudet; gratesque agit illa parenti:
Perque leves auras [11] junctis invecta columbis
Littus adit Laurens; ubi tectus arundine [12] serpit
In freta flumineis vicina [13] Numicius undis.
Hunc jubet Æneæ, quæcunque [14] obnoxia morti,
Abluere; & tacito deferre sub æquora cursu.

1 Quæ semper ei adversata fuerat.
2 Æneæ filii, qui & Ascanius dictus patri in regno Latino successit. Virg. Æneid. Lib. 1. *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo.*
3 Quum jam ad extremum vitæ terminum pervenisset, tempus erat, quo quietis ordinibus Deorum adscriberetur, & lucidas iniret sedes.
4 Favorem Deorum petierat.
5 Collum Jovis patris sui complexa.
6 Quantumvis parvum.
7 Inferorum regnum. 8 Et Juno ipsa annuit. 9 Jupiter. 10 Vos ambo estis digni, quibus hæ preces concedantur. Et tu Venus, quæ pro filio precaris: & ille Æneas filius, qui pietate sua meruit, ut inter cælestium numerum transferretur. 11 Currus Veneris à columbis trahi fingitur. 12 Lentè labitur. 13 Fluvius Latii, in quo cum Æneas pugnans periisset, ad Deos migrasse creditus est. 14 Subjecta, i. mortalia.

[15] Corniger exſequitur Veneris mandata: ſuiſque,
Quicquid in Ænea fuerat mortale, repurgat,
Et reſpergit aquis. [16] Pars optima [17] reſtitit [18] illi.
[19] Luſtratum [20] genitrix divino corpus odore
Unxit, & [21] ambroſia cum [22] dulci nectare miſtâ
[23] Contingit os; fecitque Deum: quem turba [24] Quirini
[25] Nuncupat Indigetem; temploque ariſque recepit.

15 Fluvius: omnes enim fluvii cum cornibus pingebantur. Vide quæ diximus ſuprà Lib. 13. ad verſ. 895. 16 Divina particula. 17 Manſit. 18 Æneæ. 19 Purgatum. 20 Venus. 21 Cibo, quo Dii veſcuntur. 22 Ut *ambroſia* pro Deorum cibo ponitur, ita *nectar* pro Deorum ſuaviſſima accipitur potione. 23 Tetigit. 24 Populus Romanus à Romulo, qui poſt obitum Quirinus dictus eſt. 25 Nuncupavit, i. appellavit Deum Indigetem, i. qui ex indigena mortali in Deorum numerum relatus eſt. *Jovem Indigetem appellant*, inquit Livius lib. 1.

Tiberinus in Tyberim: Aventinus mons: Pomona à pomis dicta, & Vertumni varia Metamorphoſis. *Fab.* XVI.

ARGUMENTUM.

Tiberinus Albanorum rex Tuſco amni, qui tunc dicebatur Albula, merſus interiit, ac nomen fluvio reliquit. Item Aventinus, à quo mons dictus, urbis Albæ accepit imperium. Sub hoc fuit Pomona, Hamadryadum Nympharum hortorum cultrix, feliciumque arborum: unde nomen è pomis obtinet. Hanc cùm Vertumnus diligeret, ſolitus in varias figuras mutari, &, ea refugiente concubitum, ſollicitudine aſſidua ureretur; noviſſime in anum converſus eſt, eique multa rettulit, quibus fœminæ flecti ſolerent, ut ſibi jungeretur. Ipſa autem perſeverante in propoſito, noviſſime refert quoque fuiſſe in Cypro Anaxareten virginem, quæ propter ſuperbiam punita fuiſſet à Venere. Verſuſque in ſuam formam concubuit cum ea.

Indè ſub Aſcanii [1] ditione [2] binominis 3 Alba

1 Imperio. 2 Duo nomina habentis. Nam & *Aſcanius* & *Julus* fuit cognominatus. 3 Alba urbs quæ ab ſitu longa fuit denominata, ab Aſcanio, Æneæ filio, fuit ædificata, & ab alba ſue, illic triginta porcellos enixa, nominata eſt.

[4] Resq; Latina fuit: Succedit [5] Silvius illi:
Quo satus antiquo tenuit repetita [6] Latinus
Nomina cum sceptro: Clarum subit Alba Latinum:
[7] Epitos ex illo est. Post hunc Capetusque, Capysque;
[8] Sed Capys antè fuit. [9] Regnum Tiberinus [10] ab illis
Cepit; & in [11] Tusci demersus fluminis undis
Nomina fecit aquæ. De quo Remulusque feroxque
Acrota sunt geniti: Remulus [12] maturior annis
Fulmineo periit [13] imitator fulminis ictu.
Fratre suo [14] sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino: qui quo regnârat, eodem
Monte jacet [15] positus; [16] tribuitque vocabula monti.
Jamque Palatinæ [17] summam [18] Proca gentis habebat.
Rege sub hoc [19] Pomona fuit: qua nulla Latinas
Inter [20] Hamadryadas coluit [21] solertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera fœtus:
[22] Unde tenet nomen. [23] Non silvas illa, nec amnes;
Rus amat, & ramos [24] felicia poma ferentes.
[25] Nec jaculo gravis est, sed aduncâ dextera falce:
Qua modò [26] luxuriem [27] premit, & spatiantia passim
[28] Brachia [29] compescit: fissâ modò cortice [30] virgam
Inserit, & succos [31] alieno præstat alumno.
Nec patitur sentire sitim: bibulæque recurvas
Radicis [32] fibras labentibus irrigat undis.
Hic amor, hoc studium: Veneris quoque nulla cupido.

4 Imperium Latinum. 5 Hic posthumus fuit *Æneæ* ex Lavinia filius ita dictus, quod in *sylvis* cum matre à pastore quodam Tyrrheno educatus esset: undè 4 Fast. ait: *Venimus ad felix aliquando nomen Juli, Undè domus Teucros Julia tangit avos. Posthumus hinc, qui quòd Sylvis fuit ortus in altis, Sylvius in Latia gente vocatus erat.* Liv. Lib. 1. *Sylvius deindè regnat, Ascanii filius, casu quodam in sylvis natus.* 6 Sylvii Æneæ filius. 7 Tyberinus. 8 Capys Capetum genuit, & non contrà. 9 Sic, 4. Fast. *Cumque patris regnum post hunc Tyberinus haberet, Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ.* 10 Post illos. 11 Periphrasis est Albulæ, qui posteà *Tyberis* à *Tyberino* rege, in illo submerso, fuit appellatus. 12 Major natu. 13 Cùm enim vellet videri fulmina jaculari, à Jove fulmine vero percussus est. 14 Imperium. 15 Sepultus. 16 *Aventinus* enim unus ex septem urbis Romæ collibus, ab *Aventino* rege, illic sepulto, fuit cognominatus. Sic alibi: *Venit Aventinus post hos, locus undè vocatur Mons quoque, post illum tradita regna Procæ.* 17 Imperium & summam partem gentis, quæ circà Palatium & ea loca ubi posteà Roma fuit condita, tum habitabat. 18 Pater Amulii & Numitoris. 19 Dea fuit pomorum, undè etiam *Pomona* vocata est. 20 Nymphas, quæ unà cum arboribus & oriuntur & occidunt. Undè etiam nomen sumserunt: ἅμα enim *simul*, & δρῦς δρυὸς dicitur *quercus*. 21 Diligentiùs. 22 *Pomonæ* enim à *pomis* nomen est consecuta. *Poma* verò dicuntur omnes fructus, quicunque ex arboribus nati, esui sunt apti, molliori cortice tecti: *nuces* verò sunt fructus qui duriori cortice teguntur. 23 Pomona non amat sylvas, ut venetur, non amnes, ut piscatum eat. 24 Dulcia, non amara & aspera. 25 Nec dextra Pomonæ jaculum gestat, sed falcem quâ luxuriantes ramos recidat. 26 Luxuriantes ramos. 27 Recidit. 28 Ramos. 29 Cohibet. 30 Surculum alterius arboris. 31 Surculo ex alia arbore in aliam translato. 32 Tenuiores radices.

[33] Vim tamen agreſtum metuens, [34] pomaria claudit
Intus: & acceſſus prohibet refugitq; viriles.
Quid non & [35] Satyri ſaltatibus apta juventus
Fecêre, & [36] pinu præcincti cornua [37] Panes,
[38] Silvanuſque ſuis ſemper juvenilior annis,
[39] Quique Deus fures vel falce vel inguine terret,
Ut poterentur ea? Sed enim ſuperabat amando
Hos quoque [40] Vertumnus: [41] neq; erat felicior illis.
O quoties habitu [42] duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit. Verique fuit meſſoris imago!
Tempora ſæpe gerens fœno religata recenti,
[43] Deſectum poterat gramen verſaſſe videri.
[44] Sæpe manu [45] ſtimulos rigidâ portabat; ut illum
Jurares feſſos modò disjunxiſſe juvencos.
Falce data [46] frondator erat, vitiſq; putator.
[47] Induerat ſcalas, [48] lecturum poma putares.
Miles erat gladio, piſcator arundine ſumtâ,
Denique per multas aditum ſibi ſæpe figuras
Repperit, ut caperet ſpectatæ gaudia formæ.
Ille etiam pictâ [49] redimitus tempora mitrâ,
Innitens baculo, poſitis ad tempora canis,
Aſſimulavit anum: cultoſq; intravit in hortos;
Pomaque mirata eſt: [50] Tantoque potentior, inquit.
Paucaque laudatæ dedit oſcula; [51] qualia nunquam
Vera dediſſet anus: glebâque incurva reſedit
Suſpiciens [52] pandos [53] Autumni pondere ramos.
Ulmus erat [54] contrà ſpatioſa tumentibus uvis,
Quam ſociâ poſtquam pariter cum vite [55] probavit;
[56] At ſi ſtaret, ait, [57] cælebs ſine [58] palmite truncus

33 Violentiam ruſticorum.
34 Loca arboribus frugiferis conſita, atque pomorum repoſitoria.
35 Dii ſylveſtres magnoperè ſaltu gaudentes.
36 Frondibus pini.
37 Dii ſunt paſtorum cornuti.
38 [Deus Agreſtis, & inter ruris numina ſemper numeratus. Maro Georg. II. *Fortunatus & ille, Deos qui novit agreſtes. Panaque, Silvanumque ſenem.*]
39 Priapus Bacchi & Veneris filius hortorum cuſtos falce & obſcœno inguine armatus.
40 Deus eſt benè vertendarum rerum, i. vendendarum atque emendarum, à *vertendo* dictus, quòd ſe in varias *verteret* formas. Indè *Vertumnalia* dicta ſunt, quæ menſe Octobri in honorem Vertumni celebrabantur. 41 Nam eum quoque Pomona aſpernabatur. 42 Aſperi ac laborum patientis. *Meſſor* autem eſt qui frumenta metit ac ſecat. 43 Fœnum: per quod ſignificat Vertumnum fœniſecæ figuram aliquando ſuſcepiſſe. Varias autem Vertumni Metamorphoſeis Poëta deſcribit. 44 Sæpè in bubulcum Vertumnus commutabatur, ut Pomonâ potiri poſſet. 45 Præacutos fuſtes, quibus ruſtici boves pungunt. 46 Frondium putator. 47 Sumſerat, ſc. ſi. 48 Collecturum. 49 Circumdata habens tempora. 50 Sc. *quantò cultiores habes hortos.* Quamvis hic aliquid ad ſenſum deſiderari videatur, tamen verſus duo, qui in vulgatis editionibus leguntur, *Omnibus Nymphis, quas continet Albula ripis. Salve virginei flos intemerate pudoris*, quum in optimis quibuſvis M S S. non appareant, à viris doctis pro adulterinis ejiciuntur. 51 Laſciviora ait Poëta fuiſſe Vertumni oſcula, quam quæ à vera vetula unquam dari potuiſſent. 52 Expanſos, patulos. 53 Pomis. 54 E regione. 55 Commendavit, approbavit. 56 His ſimilitudinibus vult perſuadere Pomonæ Vertumnus, ut nubat, cùm præſertim à multis petatur. 57 Sine conjuge. Vites enim ſic ulmos amplectuntur, ut uxores viros. *Cælibes* dicuntur, qui ſine conjuge vivunt, quaſi cœleſtem vitam agentes. 58 Vite. Nam *palmites* vitium rami dicuntur uvas ferentes.

Nil

Nil præter frondes, quare [59] peteretur, haberet.
Hæc quoq; quæ junctâ vitis requiescit in ulmo,
Si non nupta foret, terræ acclinata jaceret.
Tu tamen exemplo non [60] tangeris arboris hujus;
Concubitusque fugis; nec te conjungere curas.
Atque utinam velles! [61] Helene non pluribus esset
[62] Sollicitata procis: nec quæ [63] Lapitheïa movit
Prælia, nec [64] conjux timidis audacis Ulyssei.
Nunc quoque, cum fugias [65] aversérisque petentes,
Mille proci cupiunt; & semideique Deique,
Et quæcunque tenent [66] Albanos numina montes.
Sed tu, si sapies, si te bene jungere, anumque
[67] Hanc audire voles, (quæ te plus omnibus illis,
Plus quàm credis, amo) vulgares rejice [68] tædas:
Vertumnumque tori socium tibi selige: pro quo
Me quoque pignus habe. Neque enim sibi notior ille est;
Quam mihi. Nec toto passim vagus errat in orbe.
Hæc loca sola colit. Nec uti pars magna [69] procorum,
Quam modò vidit, amat. Tu primus & ultimus illi
[70] Ardor eris; soliq; suos tibi [71] devovet annos.
Adde, quod est juvenis: quod naturale [72] decôris
Munus habet: formasque aptè [73] fingetur in omnes:
Et, quod erit jussus, (jubeas licet omnia) fiet.
Quid, quòd amatis idem? quòd, quæ tibi poma coluntur,
[74] Primus habet; lætâque tenet tua munera dextrâ?
Sed neque jam fœtus desiderat arbore demtos,
Nec quas hortus alit, cum succis [75] mitibus herbas;
Nec quicquam, nisi te. Miserere [76] ardentis: & ipsum,
Qui petit, ore meo præsentem crede precari.
Ultoresque Deos, & pectora dura perosam

59 Expeteretur.
60 Moveris.
61 Menelai uxor à Paride rapta, illa deterrima belli Trojani causa.
62 Vexata.
63 Hippodamia, quam cùm Centauri sponso Pirithoo ipso nuptiarum die præripere vollent, ingenti clade deleti sunt, quam legesis suprà lib. 12. vers. 220. *Lapithæ* autem populi fuerunt Thessaliæ, à *Lapitho*, Periphantis filio, cognominari.
64 Penelope uxor Ulyssis audacis timidis. i. e. in timidos: quod Ulyssi benè convenit, ut qui fuerit dolosus. Aliud itaque agere vicentur qui malunt *timidi aut audacis Ulyssei*. Penelope verò, formosissima fuisse scribitur, & à quamplurimis procis amata.
65 Asperneris.
66 Prope Albam, quam vide suprà vers. 614.
67 Seipsum ostendit cum quadam senili gravitate Vertumnus. 68 Nuptias. Quinque faces, ex tæda arbore confectæ, novæ nuptæ præferebantur. 69 Amatorum, quibus nihil est inconstantius. *Proci* autem à *procando* dicti sunt, qui mulieres in matrimonium petunt. 70 Ardenter ab illo amata. 71 Dedicat, destinat. 72 Pulchritudinis. 73 Formabitur, transfigurabitur. 74 Vertumno enim frugum primitiæ offerebantur. 75 Dulcibus, suavibus. 76 Ardenter te amantis.

[77] Idalien, memoremq; time [78] Rhamnusidis iram.
Quoque magis timeas, (etenim mihi [79] multa [80] vetustas
Scire dedit) referam totâ notissima Cypro
Facta; quibus flecti facile & mitescere possis.

77 Venerem, ab Idalio, Cypri nemore, sic dictam. 78 De hac sceleratorum ultrice Dea diximus fusè ad vers. 6. Lib. 3. 79 Multarum rerum peritiam mihi tribuit. 80 Senectus. Senes enim idcircò prudentiores videntur, quia multarum rerum peritiam habent.

Iphis amoris impatientiâ laqueo vitam finit, & Anaxarete in saxum. *Fab.* XVII.

ARGUMENTUM.

In insula Cypro Anaxarete fuit ex progenie Teucri Salaminii, quæ forma cæteras gentes ejusdem civitatis supergressa est: sed ut pulcritudo eminens fuit, ita propter aspernationem virorum abominanda omnibus. Quam cùm Iphis, ejusdem civitatis, amore diligeret, neque aditum ad eam haberet, dolens quod in tam gravem sortem incidisset, ne diutius doleret, ad extremum noctu clam ante fores puellæ suspendio ejus amore se liberavit. Cui cùm funus pro dignitate fortunæ per publicum maxima frequentia duceretur; & patientissime ex superiori parte domus prospiceret; ob nimiam crudelitatem animique duritiam in vestigio suo à Venere saxo durata est; ita ut apud Salaminios species ejus prospicientis Veneris nomen acceperit. Dehinc Vertumnus rediens in suam speciem, Pomona potitus est.

Viderat à veteris generosam sanguine [1] Teucri
Iphis Anaxareten humili de stirpe creatus.
Viderat: & totis perceperat ossibus æstum.
Luctatusque diu, postquam ratione furorem
Vincere non potuit, supplex ad limina venit.
Et modò nutrici [2] miserum confessus amorem,
Nè sibi dura foret, per spes oravit alumnæ.
Et modò de multis blanditus cuiq; ministris
[3] Sollicitâ petiit [4] propensum voce favorem.

1 De Teucro, Telamonis filio, intelligimus: quem Telamon pater, quia Ajacis fratris necem non fuerat ultus, Salamine arcebat. Is itaque in Cypro insula novam condidit Salamina. 2 Eam enim, à qua non amabatur, amabat. 3 Plusquam diligenti oratione. 4 Magnum ac diligenter animadversum.

Sæpe

Sæpe ferenda dedit blandis ſua verba tabellis:
Interdum madidas lacrymarum rore coronas
Poſtibus [5] intendit; [6] poſuitque in limine duro
Molle latus: [7] triſtique feræ [8] convicia fecit.
Surdior illa [9] freto ſurgente [10] cadentibus [11] Hœdis,
Durior & ferro, quòd [12] Noricus excoquit ignis,
Et ſaxo, [13] quod adhuc vivum radice tenetur;
[14] Spernit, & irridet; factiſque [15] immitibus addit
Verba ſuperba ferox: [16] & ſpe quoque [17] fraudat amantem.
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis: & ante fores hæc verba noviſſima dixit:
Vincis, Anaxarete: neque erunt tibi tædia tandem
Ulla ferenda mei. [18] Lætos molire triumphos,
Et [19] Pæana voca, nitidâq; [20] incingere lauro.
Vincis enim, moriorque libens: age, [21] ferrea, gaude.
[22] Certè aliquid laudare mei cogeris, eritque
Quo tibi ſim gratus: meritumque fatebere noſtrum.
Non tamen antè tui [23] curam [24] ceſſiſſe memento,
Quam vitam; geminâque ſimul mihi [25] luce carendum.
Nec tibi Fama mei ventura eſt nuncia leti;
Ipſe ego, nè dubites, adero: præſenſq; videbor;
Corpore ut exanimi [26] crudelia lumina paſcas.
Si tamen, ô Superi, mortalia fata videtis;
Eſte mei memores; nihil ultrà lingua precari
Suſtinet; & longo facite ut memoremur in ævo:
Et, quæ demſiſtis vitæ, date tempora famæ.
Dixit: & ad poſtes ornatos ſæpè coronis
[27] Humentes oculos & pallida brachia tendens,
Cùm foribus laquei religaret vincula ſummi.
[28] Hæc tibi ſerta placent, crudelis & impia? dixit.
[29] Inſeruitque caput, ſed tum quoque verſus ad illam:

5 Alligavit. Amantes enim. non admiſſi à ſuis amaſiis quas in capite gerebant coronas poſtibus ſuſpendebant. 6 Iphin ſæpè in limine januæ Anaxaretes jacuiſſe ait. Atque amantis exprimit naturam, qui, ut amicâ potiatur, omnia magno cum incommodo ferre haud recuſat. Ita alibi: *Dura ſuper totâ limina nocte jace.* 7 [Seræ difficili & immiti, quæ januam clauſam tenebat.] 8 Maledixit. 9 Mari quod in tempeſtatem excitatur. 10 Occidentibus. 11 Stellis, ortu, & præcipuè occaſu tempeſtatem cientibus. 12 *Norici* populi ſunt Alpini, ferro abundantes. 13 Quod nondum è terra eſt effoſſum. Saxa enim nondum à ſua radice avulſa, & viva dicuntur, & *duriora* ſunt. 14 Anaxarete Iphis humilitatem contemnens illius querelas irridet. 15 Aſperis, crudelibus. Illum enim à janua fortaſſe depulit. 16 Quod crudele admodum videtur. 17 Privat. 18 Ab effectu: nam triumphi lætos & celebres reddunt homines. 19 Vocibus lætitiæ utere, qualibus voti compotes gaudia ſua exprimere ſolent. 20 Coronare viridi lauro, quod triumphantes facere ſolent. 21 Dura atque crudelis. 22 Quòd mihi ipſe mortem conſcivi, ut tibi rem gratam facerem. 23 Amorem, quo te proſequor. 24 Sc. *à me*, i. oblitum eſſe me. 25 N. Vitæ meæ, & tui, quæ lux mea es. 26 Crudeles oculos. 27 Lachrymantes. 28 Hujuſmodi coronæ tibi ſunt gratæ, ut laqueo collum inſeram. Sarcaſmus. 29 Sc. *laqueo*.

Atque onus infelix [30] elisâ fauce pependit.
[31] Icta pedum motu trepidantum ut multa gementem
Visa dedisse sonum est, adapertaq; janua factum
Prodidit; exclamant [32] famuli: [33] frustraque levatum
(Nam [34] pater occiderat) referunt ad limina matris.
Accipit illa sinu, complexaque frigida nati
Membra sui, postquam miserarum verba parentum
Edidit; & matrum miserarum facta peregit;
[35] Funera ducebat mediam lacrymosa per urbem;
[36] Luridaque [37] arsuro [38] portabat membra feretro.
Fortè viæ vicina domus, quà flebilis ibat
Pompa, fuit: duræque sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes [39] quam jam Deus ultor agebat.
Mota tamen, Videamus, ait, miserabile funus:
Et patulis [40] iniit tectum sublime fenestris.
[41] Vixque bene impositum lecto prospexerat Iphin;
Deriguêre oculi: calidusque è corpore sanguis
Inducto pallore fugit. Conataque retrò
Ferre pedes, [42] hæsit: conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit: paulatimque occupat artus,
Quod fuit in duro jampridem pectore, [43] saxum.
Neve ea ficta putes; [44] dominæ sub imagine signum
Servat adhuc [45] Salamis: Veneris quoque nomine templum
[46] Prospicientis habet. Quorum memor, O mea, [47] lentos
Pone, precor, fastus, & amanti [48] jungere, Nymphe.
[49] Sic tibi nec vernum nascentia frigus [50] adurat
Poma; nec excutiant rapidi florentia venti.
Hæc ubi nequicquam formas [51] Deus aptus in omnes
Edidit; in [52] juvenem rediit: & [53] anilia demit

30 Compressâ. 31 Perculsa. 32 Servi Anaxaretes. 33 Allevatum. Jam enim mortuus erat. 34 Iphidis. 35 Ducendas ac celebrandas exequias curabat. 36 Qualia sunt mortuorum & præcipuè laqueo suffocatorum membra. 37 Capulo comburendo. Feretrum enim unà cum cadavere comburebatur. 38 Portanda curabat. 39 Quam jam Deus vindex vel Nemesis, superbiæ ultrix persequebatur. 40 Intravit cubiculum. 41 *Anaxarete prospexerat vix benè Iphin impositum lecto,* i. feretro, *cùm oculi illius rigidi sunt facti.* 42 Affixa est. 43 Saxi durities, quæ paulò antè in pectore illius erat. 44 Adhuc statua Anaxaretes, in saxum mutatæ, est Salamine. 45 Quæ & *Salamin* dicicitur, insula est cum urbe ejusdem nominis, & urbs in Cypro, à Teucro, Telamonis filio, ædificata. 46 Atque ibi templum est dicatum Veneri prospicienti, ita dictæ, quod illa ultrix Anaxaretem prospicientem è fenestra in saxum mutaverit. 47 Diuturnam superbiam. 48 Copula te, nube. 49 Optantis est adverbium hoc loco illud *sic*. 50 Urere dicitur de frigore & calore. 51 Vertumnus, qui sibi quasvis figuras adaptare poterat. 52 Juvenilem figuram. 53 Quibus se anum simulaverat, mitram scil. baculum, canos, aliaque quæ refert supra vers. 555, &c.

Instru-

Instrumenta sibi. Talisque apparuit illi,
54 Qualis ubi oppositas nitidissima Solis imago
Evicit nubes, nullâque obstante reluxit.
Vimque parat: 55 sed vi non est opus; inque figurâ
Capta Dei Nymphe est: & 56 mutua vulnera sentit.

54 Quam pulcher esset Vertumnus, anili habitu deposito, aptâ similitudine ostendit Poëta.
55 Nam Pomona, formâ Vertumni capta, facilè ei morem gessit. 56 Nam & ipsa Vertumni amore cœpit ardere.

Aquæ frigidæ in calidas, & Romulus in Deum Quirinum. *Fab.* XVIII, & XIX.

ARGUMENTUM.

Post Amulii, ac Numitoris Albanorum regnum interitum, Romulus urbis à se conditæ cepit imperium. Qui cùm adversus Titum Tatiam pro raptu virginum dimicaret, hostis appropinquavit urbi; portis obseratis una patefacta est, Tarpeia virgine prodente patriam. Quod ut præsensit Venus, pro filii incolumitate à Nymphis, quæ proximæ Jano erant, geminum petiit auxilium. Data ergo venia, secundum portam, quam Sabini irrupturi erant, recluso fonte scaturire aquæ, quæ antea latuerant, cœperunt. Quæ cùm frigidæ hostium introitum non prohiberent, ex frigidis in calidas versæ, hostem averterunt; victoriaque Romulus potitus, rebus urbis compositis, jura reddens populo, sicut petierat mater, raptus in cælum est. Ita ut Quirinus novo nomine vocaretur.

1 PRoximus 2 Ausonias injusti miles Amulî
Rexit 2 opes: 3 Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit: festisque 4 Palilibus urbis
Mœnia conduntur. Tatiusq; patresq; Sabini

1 Ad historiam regum Albanorum, intermissâ narratione mutationum Vertumni, redit Poëta. Q. d. Dein Amulius, vi militum occupat arcem, injusteque regnavit, fratre natu majore Numitore pulso, filioque ejus Lauso interemto, filiâ verò Rhea, quæ & Ilia dicta est, Vestæ Sacerdotio consecratâ. 2 Italas. Regnum Italiæ. 3 Romulus & Remus, Marte & Rhea geniti, avo Numitori, ab Amulio pulso, regnum restituunt, Amuliumque avunculum obtruncant. 4 Festum hoc, sive Palilia, à Dea pastorum Pale, sive à partu pecorum Parilia, nuncupatum, agebatur 12. Calendas Majas, quo die urbis fundamenta jacta sunt, ut latiùs docet 4. *Fast.* Meminit autem & Plutarchus in vita Romuli, & Propert. Lib. 4. Eleg. 4. *Urbi Festus erat: dixêre Palilia Patres, Hic cœpit primus mœnibus esse dies.*

Bella

Bella gerunt: [5] arcisque viâ Tarpeja reclusâ
Dignâ animam pœnâ congestis exuit armis.
Indè [6] sati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore [7] premunt voces; & [8] corpora victa sopore
Invadunt: portasq; petunt; quas objice firmâ
Clauserat [9] Iliades. Unum tamen ipsa recludit,
Nec strepitum verso [10] Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portæ cecidisse repagula sensit:
Et clausura fuit; nisi quòd rescindere nunquam
Dîs licet acta Deûm. [11] Jano loca juncta tenebant
Naïdes Ausoniæ gelido rorantia fonte:
Has rogat auxilium. Nec Nymphæ justa petentem
Sustinuêre Deam: venasque & flumina fontis
Elicuêre sui. [12] Nondum tamen invia Jani
Ora [13] patentis erant, neq; iter præcluserat unda.
Lurida supponunt fœcundo sulfura fonti,
Incenduntq; cavas [14] fumante [15] bitumine venas.
Viribus his aliisque vapor penetravit ad ima
Fontis: & Alpino modò quæ [16] certare rigori
Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipsis.
Flammiferâ gemini fumant aspergine postes:
Portaque, nequicquam [17] rigidis permissa Sabinis,
Fonte fuit [18] præstructa novo; dum Martius arma
Indueret [19] miles. Quæ postquam Romulus ultro
Obtulit; & [20] strata est tellus Romana Sabinis
Corporibus, strataque suis; [21] generiq; cruorem
Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis:
Pace tamen sisti bellum, nec in [22] ultima ferro
Decertare, placet; [23] Tatiumque accedere regno.
[24] Occiderat Tatius, populisque [25] æquata duobus,
[26] Romule, jura dabas: positâ cùm casside Mavors
[27] Talibus adfatur Divûmque hominumq; parentem:
Tempus adest, genitor, (quoniam [28] fundamine magno
[29] Res Romana valet, nec [30] præside pendet ab uno)

5 Ordo est: Et *Tarpeja* virgo exuit, i. deposuit *animam dignam pœnâ, armis*, i. clypeis *congestis* in eam, *viâ arcis reclusâ*, i. post apertam arcis viam.
6 Sabini, quorum primaria urbs Cures.
7 Silent.
8 Romanos somno oppressos.
9 Romulus Iliæ fil.
10 Juno Saturni filia.
11 Prope Jani Sacellum.
12 Sed nondum Nymphæ aquis suis januam Jani inviam fecerant: ergo supponunt sulphura, &c.
13 Aperti.
14 Ardente.
15 *Bitumen* genus est picis facillimè ignem concipientis.
16 Contendere cum Alpium frigore, quod est vehementissimum. De Alpibus altissimis Italiæ montibus dictum est alibi.
17 Severis.
18 Obstructa, obturata. 19 Romani orti Romulo, qui Martis fil. 20 Cooperta fuit. 20 Romani enim Sabinorum filias uxores acceperunt. 22 Non ad internecionem. 23 Nam inter reliquas pacis conditiones hoc etiam placuit, ut Tatius unà cum Romulo æquâ potestate paribusque honoribus regnaret. 24 Interfectus fuerat. Pergit Poëta narrare. 25 Æqualia facta. 26 Apostrophe ad Romulum. 27 Martis oratio ad Jovem, quâ, ut Romulum, filium suum, in Deorum numerum referat, precatur: commemorans se olim id ei palam aliis Diis effecturum recepisse. 28 Firmo fundamento. 29 Imperium Romanum. 30 Nec unius tantum Dei tutelaris curâ & providentiâ, satis commodè protegi & defendi possit.

Præmia jam promissa mihi, dignoq; [31] nepoti
[32] Solvere, & ablatum terris [33] imponere cœlo.
Tu mihi concilio quondam præsente deorum,
(Nam [34] memoro, memorique animo pia verba notavi)
[35] Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli,
Dixisti. Rata sit verborum summa tuorum.
Annuit [36] omnipotens: & [37] nubibus aëra cæcis
Occuluit, tonitruque & fulgure terruit Urbem.
Quæ sibi promissæ [38] sensit data [39] signa rapinæ,
Innixusque hastæ, pressos temone cruento
Impavidus conscendit equos [40] Gradivus, & ictu
[41] Verberis increpuit: pronumque per aëra lapsus
Constitit in summo [42] nemorosi colle Palatî:
Reddentemque suo jam regia jura Quiriti
Abstulit [44] Iliaden. Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues: ceu latâ plumbea fundâ
Missa solet medio glans [45] intabescere cœlo.
Pulcra subit facies, & [46] pulvinaribus altis
Dignior & qualis [47] trabeati forma Quirini.
Flebat, ut amissum conjux; cum regia Juno
Irin ad [48] Hersiliam descendere [49] limite curvo
Imperat: & vacuæ sua sic mandata referre.

31 Romulo, cujus pater ego Mars, filius tuus. 32 Solvendi. 33 In numerum Deorum referre. 34 In memoria habeo. Alioqui *membrare* est narrare. Ordo est: *Tu dixisti mihi quondam*, i. olim, *concilio Deorum præsente, unus erit* (Romulus) *quem tu* (ô Mars) *tolles*. i. extolles, *ad sydera cœli*. 35 Hæc sunt ergo verba, quæ de Romulo, inter Deos referendo, Jupiter dixerat Marti. 36 Jupiter. 37 Audi Romuli ἀποθέωσιν breviter ex Floro. Repentè cum concionem haberet ante urbem apud Capreæ paludem, è conspectu ablatus est. Discerptum aliqui à Senatu putant ob asperius ingenium: sed oborta tempestas, solisque defectio, consecrationis speciem præbuere: cui mox Julius Proculus fidem fecit, visum à se Romulum affirmans, augustiore forma quam fuisset: mandare præterea ut se pro numine acciperent, *Quirinum* in cœlo vocari. 38 Cognovit, animadvertit. 39 Quibus sibi nunc liceret filium Romulum rapere è terris. 40 Mars. 41 Flagelli, quo equi verberantur. 42 Nemoribus obsiti. *Palatium* autem unus est ex collibus Romanis, Imperatorum sede clarissimus. 44 Romulum Iliæ filium. 45 Liquescere, atque consumi. 46 Sedibus atque pulvinaribus excelsis. *Pulvinaria* enim sunt Lecti, qui Diis extrui solebant in templis. 47 Trabeâ induti Romuli. Erat autem Trabea tunica purpurâ, & albo trabeatim distincta. 48 Romuli uxorem: cujus Metamorphosin exponit Poëta: nam & ipsa in Deam, nomine Oram, fuit mutata. 49 Arcum intelligit per quem Iris decurrere dicitur. De Iride vide supra quæ nos ad Lib. 1. vers. 271. & Lib. 11. vers. 591.

Hersilia in Oram Deam. *Fab.* XX.

ARGUMENTUM.

Hersilia conjux Romuli, cùm fleret amissum conjugem, post datam ei à Junone immortalitatem, Ora nuncupata est. Quorum templa à populo Romano in colle Quirinali constituta sunt.

O Et de Latia, ô & de gente Sabinâ
Præcipuum matrona decus; dignissima tanti

Antè fuiſſe viri, conjux [1] nunc eſſe Quirini;
[2] Siſte tuos fletus: &, ſi tibi cura videndi
Conjugis eſt, duce me lucum [3] pete, [4] colle Quirino
Qui viret, & templum [5] Romani regis obumbrat.
Paret: & in terram [6] pictos delapſa per arcus,
Herſiliam juſſis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O Dea, (namque mihi, nec quæ ſis dicere promtum eſt;
Et [7] liquet eſſe Deam) duc, ô duc, inquit: & [8] offer
Conjugis [9] ora mihi. Quæ ſi modò poſſe videre
Fata ſemel dederint; cœlum aſpectaſſe fatebor.
Nec mora; [10] Romuleos cum [11] virgine Thaumantea
Ingreditur colles. Ibi ſidus ab æthere lapſum
Decidit in terras: à cujus lumine flagrans
Herſiliæ crinis cum ſidere [12] ceſſit in [13] auras.
Hanc manibus [14] notis Romanæ [15] conditor urbis
Excipit: & [16] priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat; Oramque vocat: [17] quæ nunc Dea juncta Quirino eſt.

1 Qui in Deorum numerum tranſlatus eſt. 2 Tuis fletibus finem impone. 3 Vade ad lucum. 4 Qui à *Quirino Quirinalis* fuit appellatus. 5 Romuli, qui poſt mortem *Quirinus* fuit appellatus. 6 Variis coloribus diſtinctos. 7 Conſtat. 8 Oſtende. 9 Faciem, figuram. 10 Quirinalem collem. 11 Iride Thaumantis filiâ. Vide ſupra Lib. 4. v. 480. & quæ diximus ad Lib. 1. v. 271. & ad Lib. 11. v. 591. 12 Receſſit. 13 Aërem. 14 Amicis 15 Romulus. 16 Nam corpus ex mortali effectum eſt immortale, & pro *Herſilia Ora* fuit cognominata. 17 Nam Ora in templo Romuli colebatur.

PUBLII

PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBER XV.

Myſcelos abſolutus, calculis nigris in albos converſis *Fab.* I.

ARGUMENTUM.

Myſcelos Alemonis filius procreatus Argis, cùm quieti ſe dediſſet, Hercules viſus eſt, qui eum moneret, ut patriam relinqueret, & ſecundum Æſarem amnem conſideret: qui cùm facere extimeſceret, quia lex vetaret deſerere patriam, & in aliam civitatem tranſire, rurſus admonitus eſt. Metuens itaque penates ſuos deſtituit, ideòque in judicium publicum eſt devocatus; & cùm omnem populum averſum ſibi haberet, judicaturis calculi albi ac nigri dati ſunt, ut atri damnarent, candidi abſolverent. Myſcelos itaque pertimens periculum capitis, Herculem invocavit, ut laboranti ſibi, quia ejus juſſis obtemperaſſet, ferret auxilium. Cujus preces non incaſſum abierunt. Nam cùm calculi more patriæ in urna effuſi deducti eſſent, omnes apparuerunt in colorem album converſi. Quamobrem ille metu liberatus, per Iönium pelagus navigans, cùm in Italiam veniſſet, & Æſarem amnem attigiſſet, ſicut præceptum erat, urbem conſtituit: eamque à proximo tumulo, cui & Tares Neptuni filius ſubjectus erat, Tarentum nominavit.

Quæritur

Quæritur interea, qui [1] tantæ pondera molis
Sustineat, [2] tantoque queat succedere regi.
Destinat imperio [3] clarum prænuntia veri
Fama Numam. Non ille satis cognôsse Sabinæ
Gentis habet [4] ritus: animo majora capaci
Concipit: &, quæ sit rerum natura [5] requirit.
[6] Hujus amor curæ, patriâ [7] Curibusque relictis,
Fecit, ut Herculei [8] penetraret ad [9] hospitis urbem.
Graia quis Italicis auctor posuisset in oris
Mœnia quærenti, sic è senioribus unus
Rettulit indigenis, veteris [10] non inscius ævi:
Dives ab Oceano bubus [11] Jove natus [12] Iberis
[13] Littora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur: &, armento teneras errante per herbas,
Ipse domum magni nec inhospita tecta Crotonis
Intrâsse; & requie [14] longum relevâsse laborem;
Atque ita discedens, Ævo, dixisse, nepotum
Hîc locus urbis erit; promissaque vera fuerunt.
Nam fuit [15] Argolico generatus Alemone quidam
Myscelos, illius Dîs [16] acceptissimus ævi.
[17] Hunc super incumbens [18] pressum gravitate soporis
[19] Claviger alloquitur: Patrias, age, desere sedes:
I, [20] pete [21] diversi lapidosas [22] Æsaris undas.
Et, nisi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Post ea discedunt pariter, Somnusq; [23] Deusque,
Surgit Alemonides; tacitâque [24] recentia mente
Visa refert: [25] pugnatque diu sententia secum.
Numen abire jubet: prohibent discedere leges:
Pœnaque mors posita est patriam mutare volenti.
[26] Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et [27] caput extulerat [28] densissima sidereum nox:
[29] Visus adesse [30] idem Deus est, eademque monere;
Et, nisi paruerit, plura & graviora minari.
Pertimuit: [31] patriumque simul transferre parabat

1 Tanti imperii. 2 Quantus fuit Romulus. 3 Nobilem, suâ justitia atque integritate notum. 4 Mores. 5 Inquirit, scrutatur. 6 Cupiditas perdiscendæ rerum Naturæ. 7 *Cures* opulentissima fuit Sabinorum urbs: ex qua evocati sunt T. Tatius, & Numa Pompilius, reges. 8 Cum difficultate iret. Per varios enim populos illum transire oportuit. 9 Crotonis. Nam Croto Herculem ex Hispaniâ redeuntem cum armentis Geryonis hospitio excepit: ab eo didicit fore, ut aliquando eodem in loco urbs conderetur, quam tandem condidit Myscelus. 10 Priscarum historiarum peritus. 11 Hercules. 12 Hispanis, Geryone interfecto, abactis. *Iberia* enim est Hispania, ab *Ibero* fluvio cognominata.

13 Lacinium promontorium in extrema Italia, dividens mare Jonium ab Adriatico, inter Petiliam & Crotonem, denominatum à latione Lacinio, quem Hercules interfecisse dicitur. 14 Longi itineris defatigationem. 15 Argis nato. 16 Gratissimus. 17 Anastrophe est. 18 Gravi somno oppressum. 19 Hercules clavo armatus. 20 Ad petendum & quærendum vade. 21 Hinc longè remoti: ab Argis sc. 22 Fluvium juxta Crotonem oppidum. 23 Hercules. 24 Nova insomnia. 25 Dissidet. 26 Descriptio noctis. 27 Syderibus ornatum. 28 Obscurissima. 29 Sc. *cum*. 30 Hercules. 31 Paternum domicilium.

In

In ſedes penetrale novas; Fit murmur in urbe:
[32] Spretarumque [33] agitur legum reus. Utq; peracta eſt
Cauſſa prior, crimenque patet [34] ſine teſte probatum,
Squalidus ad Superos tollens reus ora manuſque,
O cui jus cœli [35] bis ſex [36] fecêre labores,
Fer precor, inquit, opem: [37] nam tu mihi criminis auctor.
Mors erat antiquus, niveis atriſque lapillis,
[38] His damnare reos, [39] illis abſolvere culpæ.
Nunc quoque ſic lata eſt [40] ſententia triſtis: & omnis
Calculus immitem demittitur ater in [41] urnam.
Quæ ſimul effudit numerandos verſa lapillos;
Omnibus è nigro color eſt mutatus in album:
[42] Candidaque Herculeo ſententia munere factæ
Solvit Alemoniden. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadæ: ventiſque faventibus æquor
Navigat Iönium: [43] Lacedæmoniumq; Tarentum
Præterit, & [45] Sybarin, Salentinumque [45] Neæthum,
[46] Thurinoſque ſinus, [47] Temeſenque & [48] Iäpygis arva.
Vixque pererratis quæ ſpectant littora terris,
Invenit [49] Æſarei [50] fatalia fluminis [51] ora:
Nec procul hinc [52] tumulum, ſub quo ſacrata Crotonis
Oſſa tegebat humus: [53] juſſâque ibi mœnia terrâ
Condidit: & [54] nomen tumulati traxit in urbem.
Talia conſtabat certâ primordia famâ
Eſſe loci, [55] poſitæque Italis in finibus urbis.

32 Contemtarum. 33 Accuſatur. *Peragere reum*, damnare eſt. 34 Ipſe enim confeſſus eſt ſe commigrare decreviſſe. 35 Herculis labores vide ſupra Lib 9. 36 Acquiſivêre. 37 Nam tu perſuaſiſti mihi ut commigrarem. 38 Atris lapillis. 40 Ab effectu: condemnatus enim erat Myſceлos. Propriè autem *ſententia ferri* à judicibus dicitur, i. dari. 41 Vas, quo judicum ſuffragia colligebantur. *Urna* eſt etiam vas, quo aqua è puteis fluminibuſve hauritur. In urnis præterea mortuorum cineres ſervabantur. 42 Ad calculos alludit.

43 A Lacedæmoniis conditum. *Tarentum* urbs eſt Calabriæ. 44 Magnæ Græciæ oppidum. 45 Fluvius in Salentinis. 46 *Thurium* urbs eſt Calabriæ 47 Oppidum æris fodinis olim clarum. 48 Japygium promontorium. 49 Vide ſuprà verſ. 23. 50 Fato debita, & Herculis indicio quæſita. 51 Oſtia. 52 Sepulchrum. 53 Ab Hercule. 54 Nam *Croton* à *Crotone* heroë fuit dicta, undè *Crotoniatæ* dicuntur. 55 Crotonis.

Pythagoræ oratio, ab eſu carnium dehortans. *Fab.* II.

ARGUMENTUM.

Pythagoras Samius tyrannidem fugiens cùm patriam reliquiſſet, in Italiam venit, & quæ didicerat de rerum natura mundique aperit, ad modumque ſæculi aurei docet ad uſus quoque neceſſarios cuncta præbente terra, nefas eſſe animalibus veſci: quod eſſent in eis forte conſanguineorum animæ mortalium: & quod è corporibus in corpora animæ transfunderentur. Poſtea docet unde occidendorum animalium uſus primum inoleverit. Nam paulatim conceſſum eſt, ut maleficæ feræ dolis interceptæ occiderentur, & manſuetarum fœtus ſues, quod fruges ſatas eruerent: item capri, quod vitem maturam præcerpere aſſueviſſent, nec deinde fructus creſceret.

Vir fuit [1] hîc [2] ortu Samius: ſed fugerat unà
Et Samon & [3] dominos; odioque tyrannidis exſul
Sponte erat. Iſque, licet cœli regione remotos,
[4] Mente [5] Deos adiit: &, quæ natura negabat
Viſibus humanis, [6] oculis ea pectoris [7] hauſit.
Cumque animo, & [8] vigili perſpexerat omnia curâ;
In medium diſcenda [9] dabat: cœtumq; ſilentum,
[10] Dictaque mirantum, [11] magni primordia mundi,
[12] Et rerum cauſſas, [13] & quid natura, docebat:
[14] Quid Deus: [15] unde nives, quæ fulminis eſſet origo:
[16] Jupiter, an venti, diſcuſsâ nube tonarent:

1 Illic, ſc. Crotoni, quò ſe contulit Numa Pompilius, ut Pythagoram audiret. 2 Origine. 3 Tyrannos. 4 Mentis contemplatione. 5 Cæleſtia ac divina ſcrutatus eſt. 6 Ingenio. 7 Percepit, intellexit. 8 Diligenti ſtudio. 9 Proponebat. 10 Verba Pythagoræ ob ſummam gravitatem admirantum. Tantâ enim fuiſſe auctoritate Pythagoras traditur, ut diſcipuli, etiamſi nullam dictorum rationem reddidiſſet, maximam adhiberent fidem, rogatique alicujus dicti rationem, reſponderent, αὐτὸς ἔφη, i. *ipſe dixit*, Pythagoram innuentes, exiſtimarentque ſe Dei vocem audire. 11 De quibus variæ ſunt Philoſophorum opiniones. 12 In quibus inveniendis Philoſophi maximè laborant. 13 Sc. *ſit*. Hæc omnia à Phyſicis tractantur. 14 Quænam ſit Dei definitio. 15 Qua ex cauſa nives & fulmina generentur. 16 Quæ cauſa tonitru eſſet. Alii enim tonitru eſſe ajunt aëris vehementem ſtrepitum: alii autem eruptionem ventorum effractâ nube cum maximo impetu coëuntium.

17 Quid

[17] Quid quateret terras; [18] quâ ſidera lege mearent;
[19] Et quodcunq; latet. Primuſq; animalia menſis
[20] Arcuit imponi, primus quoque talibus ora
Docta quidem ſolvit, ſed non & credita, verbis.
[21] Parcite, mortales, dapibus [22] temerare nefandis
Corpora. Sunt fruges: ſunt [23] deducentia ramos
Pondere poma ſuo, [24] tumidæque in vitibus uvæ:
Sunt herbæ dulces: ſunt, quæ miteſcere flammâ,
[25] Mollirique queant. Nec vobis [26] lacteus humor
Eripitur, nec mella [27] thymi redolentia florem.
[28] Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
[29] Suggerit: atque epulas ſine cæde & ſanguine præbet.
Carne feræ ſedant jejunia: nec tamen omnes.
Quippe equus, & [30] pecudes, [31] armentaque gramine vivunt.
At, quibus [32] ingenium eſt immanſuetumque ferumque,
Armeniæ tigres, iracundique leones,
Cumque lupis urſi, dapibus cum ſanguine gaudent.
Heu quantum ſcelus eſt, [33] in viſcera [34] viſcera condi,
Congeſtoq; avidum pingueſcere corpore corpus;
Alteriuſq; animantem animantis vivere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra parit, nil te niſi triſtia mandere ſævo
Vulnera dente juvat, [35] rituſq referre Cyclopum?
Nec, niſi perdideris alium, placare voracis
Et [36] male morati poteris jejunia ventris?
At vetus illa ætas, [37] cui fecimus Aurea nomen,
[38] Fœtibus arboreis, &, quas humus educat, herbis
[39] Fortunata fuit: nec [40] polluit ora cruore.
Tunc & aves [41] tutas [42] movêre per aëra pennas;
Et lepus [43] impavidus mediis erravit in agris:
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo:
Cuncta ſine inſidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaq; pacis erant. Poſtquam non utilis auctor
[44] Victibus invidit, ([45] quiſquis fuit ille virorum)
[46] Corporeaſque dapes avidam demerſit in alvum;

17 Quid faceret terræ motus.
18 Alia enim ſydera cum mundo, alia contra mundum meare dicuntur.
19 Omnia hominibus alioquin incognita docebat Pythagoras.
20 Vetuit.
21 Graviſſima Pythagoræ oratio, quâ hominibus diſſuadet, ne carnibus veſcantur.
22 Nolite violare.
23 Curvantia, flectentia. Superius idem dixit aliis verbis: *Sunt poma gravantia ramos.*
24 Succi plenæ.
25 Mollia fieri, coqui.
26 Lac.
27 Herbæ apibus gratiſſimæ.
28 Quæ omnia copiosè effundit.
29 Subminiſtrat.
30 Oves.
31 Boves.
32 Natura.
33 In ventre, & inteſtinis.
34 Carnes.
35 Mores Cyclopum, qui carnibus humanis crudiſque veſcebantur. Q. d. Turpe homina imitari & feras, & ſævos Cyclopum mores.
36 Malis moribus aſſueti. 37 Quam Auream appellavimus: de qua vide Lib. 1. 38 Fructibus arborum. 39 Felix & beata. 40 Inquinavit. 41 Securæ, ſine periculo. Neque enim tunc illis retia tendebantur. 42 Volaverunt. 43 Intrepidus, ſine ullo timore. 44 Facilitati vivendi. 45 Ignoratur enim, quiſnam fuerit. Poëtæ Jovi imputant. 46 Epulas ex corpore & carne confectas.

47 Fecit

47 Fecit iter ſceleri: primaq; è cæde ferarum
Incaluiſſe putem maculatum ſanguine ferrum:
48 Idque ſatis fuerat: 49 noſtrumque petentia letum
Corpora miſſa neci ſalvâ pietate fatemur:
Sed quàm danda neci, tam non epulanda fuerunt.
Longiùs 50 indè nefas abiit. Et prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori: quia ſemina 51 pando
52 Eruerit roſtro, 53 ſpemq; interceperit anni.
Vite caper 54 morſa Bacchi mactandus ad aras
Ducitur ultoris. 55 Nocuit ſua culpa duobus.
Quid meruiſtis, oves, placidum pecus, inque tuendos
Natum homines, pleno quæ fertis in ubere 56 nectar?
Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas
Præbetis: vitâque magis, quàm morte juvatis.
Quid meruêre boves, animal ſine fraude doliſq;
Innocuum, ſimplex, natum 57 tolerare labores?
58 Immemor eſt demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curvi demto modò pondere aratri
59 Ruricolam mactare ſuum: 60 qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.
Nec ſatis eſt, quòd tale nefas committitur: ipſos
61 Inſcripſere Deos ſceleri: 62 numenque ſupernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.
63 Victima labe carens, & præſtantiſſima formâ,
(64 Nam placuiſſe nocet) 65 vittis præſignis & auro,
Siſtitur ante aras; auditque ignara precantem:
Imponique ſuæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit fruges: percuſſaque ſanguine 66 cultros
Inficit in liquidâ 66 præviſos forſitan undâ.
Protinus ereptas viventi pectore fibras
67 Inſpiciunt: menteſque Deûm 68 ſcrutantur in illis.

47 Aperuit viam cædibus & homicidiis.
48 Ut feras interficeremus.
49 Feras quidem nobis pernicioſas interficiendas eſſe ait, ſed earum carnibus non eſſe veſcendum.
50 A cæde ferarum deventum eſt ad cædem cicurum ac manſuetorum animalium, &, quod pejus eſt, hominum quoque.
51 Late pandenti, expanſo.
52 Subruerit, ſubverterit. Sus autem Cereri immolari ſolebat, ut caper Baccho.
53 Segetem, & frumentum.
54 Corroſâ.
55 Sui & capro. Concedit ergo Pythagoras ſuem quidem & caprum meritò fuiſſe jugulatos. Verùm oves & boves nihil prorſùs unquam mali commiſiſſe, ac potiùs humano generi maximoperè prodeſſe, ideoque non eſſe interficiendos.
56 Lac ſuaviſſimum. 57 Ad tolerandum. 58 Ingratus. 59 Bovem, quo rura & arva coluntur. 60 Interpretatio eſt: idem enim dicit per diverſa verba. Eſt autem ordo: *Qui percuſſit ſecuri illa colla, quibus toties renovaverat durum arvum*, i. aratro proſciderat. 61 Deas ſceleris auctores fecerunt. 62 Jovem, ſiquidem Jovi ſacrificant juvencum 63 Vitio ac morbo 64 Niſi enim placeret, non immolaretur 65 Sic Lib. 3 *Criſtis præſignis & auro.* 66 Quorum imaginem, aut etiam quos ipſa in aqua, quæ ſacrificiis adhiberi ſolet, juxtaque poni ubi hoſtiæ jugulantur, antè fortaſſis vidit. 67 Indè *Haruſpices* ſunt dicti, ab *harugis*, i. victimis inſpiciendis. 68 Inquirunt.

Unde

Unde fames homini [69] vetitorum tanta ciborum?
Audetis vesci, genus ô mortale? quod, oro,
Nê facite: & monitis animos advertite nostris.
Cumque boum dabitis cæsorum membra palato;
Mandere vos [70] vestos scite & sentite colonos.
Et quoniam [71] Deus ora movet; sequar ora moventem
Ritè Deum; [72] Delphosque meos, ipsumque recludam
Æthera; & [73] augustæ reserabo oracula mentis.
Magna, nec ingeniis evestigata priorum,
Quæque diu latuere, canam. Juvat [74] ire per alta
Astra: juvat, terris & [75] inerti sede relictis,
Nube vehi; validique humeris insistere [76] Atlantis:
[77] Palantesque animos passim, ac rationis egentes
[78] Despectare procul, trepidosque obitumque timentes
Sic exhortari; seriemque evolvere fati.

69 Prohibitarum carnium. 70 Nam boves, ut coloni, arva co-unt. 71 Hortatur ut loquar. 72 Sententiam meam æquè veram ac Oraculum Apollinis Delphici, quem colo. 73 Divinæ. 74 Investigare cœlestia. 75 Immobili terrâ. 76 Qui cœlum sustinere fingitur. Vide supra Lib. 4. Pollicetur autem Pythagoras se tanquam ex alto mortalium insaniam despectantem nova de animæ immortalitate esse commemoraturum. 77 Errantes. 78 Deorsùm à cœlo spectare.

Euphorbus in Pythagoram, & quòd cuncta aërum temporibus mutentur. *Fab.* III.

ARGUMENTUM.

Pythagoram eundem inducit referentem cuncta rerum temporibus mutari. Siquidem ipse annus vertitur in quatuor species, veris, æstatis, autumni, & hyemis. Et quæ nascuntur, quoniam in initio prodita teneras imminutasque species habeant; deinde crescendo robustæ ætatis, novissime senescentis fieri. Se quoque memoria tenere, bello Trojano Euphorbum Panthoidem fuisse; & posteà quàm à Menelao sit occisus in bello animam ejus in se esse transfusam: clypeumque ejus, dum in ætates ductus sit, quo usus esset in belli, in templo Junonis Argivæ cognovisse.

O [1] genus attonitum [2] gelidæ formidine mortis,

1 Immortales animas esse Pythagoras ait, variaq; subire corpora ostendit. 2 Sic alibi *Stulte, quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?*

Quid

Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
[3] Materiem vatum, [4] falsique piacula mundi?
Corpora sive rogus flammâ, seu [5] tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati [6] non ulla putetis.
[7] Morte carent animæ: semperque, priore relictâ
Sede, novis [8] domibus habitant vivuntque receptæ.
[9] Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
[10] Panthoïdes Euphorbus eram: cui pectore quondam
[11] Sedit in adverso gravis hasta minoris [12] Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ
Nuper [13] Abanteïs templo Junonis in [13] Argis.
Omnia mutantur: [14] nihil interit. Errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus: eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster: nec tempore deperit ullo.
[15] Utque novis fragilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem;
[17] Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
[18] Ergo, nè pietas sit victa cupidine ventris,
[19] Parcite (vaticinor) [20] cognatas cæde nefandâ
Exturbare animas: nec sanguine sanguis alatur.
[21] Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
Vela dedi; Nihil est toto quod [22] perstet in orbe.
Cuncta fluunt: omnisque [23] vagans formatur imago.
[24] Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu
Non secus ac flumen. Neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest: sed ut unda impellitur undâ,
Urgeturque prior venienti, urgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur:

3 Poëtarum, qui multa de inferis scribunt.
4 Ficti.
5 Morbo, corruptione.
6 Nulla.
7 Ratio est & causa cur homines nulla patiantur mala.
8 Corporibus. Hæc autem est Pythagoræ μετεμψύχωσις, i. animæ de corpore in corpus commigratio.
9 Exemplo sui ostendit Pythagoras animas de corporibus in corpora transire. Credat qui velit.
10 Panthi filius.
11 Fixa est.
12 Menelai, qui Euphorbum occidit.
13 *Argos* clarissima urbs est Peloponnesi, in qua Abas regnavit, unde *Abantei* Argi dicuntur.
14 Ex sententia omnium veterum Philosophorum hæc dicuntur, qui sentiunt quidem omnia posse resolvi in quatuor Elementa, vel in materiam primam: sed minimè in nihilum redigi.
15 Hac similitudine colligit Pythagoras substantias varias quidem suscipere formas, nunquam tamen interire.
17 Quoad sustantiam, siquidem substantia quamvis varias suscipiat qualitates & formas, tamen nunquam ipsa mutatur.
18 Ne igitur pietas violetur, nolite animas è corporibus cum perturbatione quadam expellere, ea interficiendo.
19 Nolite expellere.
20 Cognatorum vestrorum animas.
21 Et quandoquidem in profundissima versor quæstione. Cuncta esse in continuo fluxu ait.
22 Permaneat, & à mutatione alienum sit.
23 Fluxa, mutabilis.
24 Exemplo temporis colligit Pythagoras, omnia esse in continuo fluxu.

Et

Et nova ſunt ſemper. Nam quod fuit antè, relictum eſt:
Fitque, quod haud fuerat: momentaq; cuncta novantur.
Cernis & emerſas in lucem tendere noctes:
Et [25] jubar hoc nitidum nigræ ſuccedere nocti.
Nec color eſt idem cœlo, cùm laſſa [26] quiete
Cuncta jacent mediâ; cumque albo Lucifer exit
Clarus equo: rurſumque [27] alius, cùm prævia luci
Tradendum Phœbo [28] Pallantias [29] inficit orbem.
Ipſe Dei [30] clypeus, terra cùm tollitur imâ,
Manè rubet: terraque, rubet, cùm conditur imâ:
Candidus [31] in ſummo eſt. Melior natura quòd illic
Ætheris eſt, terræque procul contagia vitat.
Nec par aut eadem [32] nocturnæ forma Dianæ
Eſſe poteſt unquam: ſemperque hodierna ſequente,
Si creſcit, minor eſt; major, [33] ſi contrahit orbem.
Quid? Non in [34] ſpecies ſecedere quattuor annum
Aſpicis [35] ætatis peragentem imitamina noſtræ?
Nam tener, & lactens, puerіq; ſimillimus ævo
Vere novo eſt. Tunc herba nitens, & [36] roboris expers
[37] Turget, & [38] inſolida eſt; & [39] ſpe delectat agreſtem.
Omnia tum florent; florumque coloribus [40] almus
[41] Ridet ager: [42] neque adhuc virtus in frondibus ulla eſt.
[43] Tranſit in Æſtatem, poſt Ver, [44] robuſtior Annus:
[45] Fitque valens juvenis. Neque enim robuſtior ætas
Ulla, nec [46] uberior: nec, quæ magis [47] æſtuet ulla eſt.

25 Splendorem Solis.
26 Nocte. Alium autem cœli eſſe colorem in media nocte colligit, alium in crepuſculo, quando Lucifer lucêre deſinit.
27 Sc. *color eſt cœlo.*
28 Aurora Pallantis filia. Vide Lib 9. Fab. 11.
29 Tingit colore rubicundo.
30 Orbis Solis. Vocat hunc clypeum, fortè quià Sol nobis apparet formâ rotundâ inſtar clypei.
31 In cœli ſummitate.
32 Lunæ, quæ ſemper creſcit aut decreſcit, nec unquam in eodem permanet ſtatu.
33 Luna major eſt hodie, quam cras, ubi decreſcit & minuit orbem.
34 In partes quatuor, ver, æſtatem, autumnum, hyemem, quæ quidem ſibi invicem cedunt.
35 Annum ætates hominis referre ſcribit: nam ut quatuor ſunt anni partes, ita ex Pythagoræ ſententia, quatuor ſunt hominis ætates. Pueritia, quæ viginti annos implet: Adoleſcentia viginti: Juventus viginti: Senectus viginti. Pueritia autem Veri ſimilis videtur: Adoleſcentia Æſtati: Juventus Autumno: Senectus Hyemi. 36 Firmitate carens. 37 Tumeſcit ſuccorum copiâ. Sic Virg. 2. Georg. *Vere tument terræ.* 38 Infirma. 39 Agricolas: ſperant enim ſe fruges omnis generis collecturos. 40 Ab *alendo almus* dicitur ager, quod homines ſuis fructibus *alat.* 41 [Lætari videtur, cum amænus ſit viſui. Metaphora etiam ſacris ſcriptoribus aliquoties uſurpata. *Pſal.* LXV. 13.] 42 Tenellæ enim tempore veris ſunt frondes, ut puerorum corpora ſine ullo robore & firmitate. 43 Veri ſuccedit æſtas. Enumerat viciſſitudines, quæ fiunt toto anno, ac deſcribit quatuor anni tempora. Quæ alibi quoq; ſic complexus eſt: *Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas, Poma per Autumnum, frigoribuſque nives.* 44 Pars anni robuſtior. 45 Valenti fortiq; ac robuſto juveni ſimilis. 46 Fœcundior. 47 Ferveat: Metaphora ab hominibus, qui juventute integrâ, cupidinibus & libidinibus indomitis maxima ex parte agitantur, ut *æſtuare* haud impropriè dicantur.

48 Excipit Autumnus, posito fervore juventæ,
Maturus, mitisque inter juvenemque senemq;
Temperie medius, 49 sparsis per tempora canis.
Inde 50 senilis Hyems tremulo venit horrida passu;
Aut spoliata suos, aut, quos habet, 51 alba capillos.
52 Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine ulla,
Corpora vertuntur: Nec quod fuimusve, sumusve
Cras erimus. 53 Fuit illa dies, qua semina tantùm,
54 Spesque hominum primæ maternâ habitavimus 55 alvo.
Artifices Natura manus 56 admovit: & 57 angi
Corpora visceribus 58 distentæ condita matris
Noluit; 59 eque domo vacuas emisit in auras.
Editus in lucem jacuit sine viribus infans:
Mox 60 quadrupes rituque tulit sua membra ferarum:
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Constitit, adjutis aliquo 61 conamine nervis.
Inde valens veloxque fuit: spatiumq; juventæ
Transit: &, 62 emeritis medii quoque temporis annis,
Labitur occiduæ per iter 63 declive 64 senectæ.
65 Subruit hæc ævi 66 demoliturque prioris
Robora: Fletque 67 Milon senior, cum spectat inanes
Illos, qui fuerant 68 solidorum mole tororum
Herculeis similes, 69 fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in speculo rugas aspexit aniles,
70 Tyndaris: & secum, cur sit bis rapta, 71 requirit.
72 Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,

48 Æstatem subsequitur Autumnus, qui viridi primæque senectuti similis videtur. 49 Tempora canis capillis sparsa habens: nam tempora primò canescere incipiunt. 50 Senectus hyemi similis. 51 Canos capillos habens. 52 Nostra etiam corpora in continuo esse fluxu colligit Pythagoras. 53 Illud fuit tempus, quo semina tantum fuimus. 54 Primùm spes hominum fuimus. Ex semine enim, in uterum mulieres projecto, homines natum iri sperantur. 55 Utero. *Alvus* enim est, per quam defluunt sordes: uterus autem, in quo mulieres concipiunt. 57 Suffocari. 58 Gravidæ, ac distentæ, repletumque ventrem habentis. 59 Ex utero. 60 Instar quadrupedis ferè procedens. Manibus enim ac pedibus infantes repunt brutorum more. 61 Aliquo adminiculo, quo possit niti. 62 Exhaustis, præteritis, peractis. Hinc *emeriti milites* nominantur, qui militiâ perfuncti, & ab ea liberati, vacationem jam habent. 63 Devexum & deorsum vergens, perinde ut Sol cùm ad occasum tendit. 64 Ad senectam, quæ ultima est ætatum hominis, quæque facilè occidit ac moritur, perinde ut occidens, ultima meta cursus Solaris. 65 Evertit. 66 Destruit. 67 Athleta fuit Crotoniata tantis viribus, ut uno ictu nudæ dextræ taurum interfecisse credatur, humerisque non solùm sine fatigatione gestasse, sed & totum solus devorasse. Hunc senem factum, cum videret lacertos suos fluidos pendere, illacrymasse refert Cicero in Catone. 60 Robustorum. 69 Flaccidos, viribus actoris vacuos. 70 Helena, quæ Tyndari filia putabatur, cùm revera esset Jovis, qui in Cygnum conversus, cum Leda rem habuit, quæ ovum peperit, ex quo nata est Helena. Hæc ob pulchritudinem fuit rapta à Theseò, cùm esset novennis: dein verò recuperata, & Menelao nupta, à Paride rapta fuit. 71 Benè Helena deformis senectute effecta miratur, cur bis fuerit rapta. 72 Apostrophe ad tempus.

Omnia

Omnia destruitis: vitiataque [73] dentibus ævi
Paulatim [74] lenta consumitis omnia morte.
Hæc quoq; non [75] perstant, quæ nos elementa vocamus.
Quasque vices peragant, (animos adhibete) docebo.

73 Multitudine annorum. Nam anni *dentes ævi* dicuntur, quibus omnia rodi videntur. Alludit autem ad dentes rotarum, quibus horæ mensurantur in horologiis. 74 Lentè ac tardè venienti. 75 Permanent. Elementa quoque in continuo fluxu esse ostendit. Hæc autem quatuor esse vult, quorum duo, Terra & Aqua, gravia: duo, Aër & Ignis, levia.

Elementorum mutationes, & aquæ in terras, montes in valles, & contrà. *Fab.* IV.

ARGUMENTUM.

Ipsa quoque initia quatuor, ex quibus generantur omnia, transfigurari motibus suis. Resolutam enim tellurem in aquas abire, attenuatam, aquam efficere: & aëra rursus per eundem ordinem retexi. Spissatum ignem enim in aëra verti; hunc in aquam, hanc in terram abire. Cæteraque rerum perinde variari: quæ tempus, aut natura acceptas ab initio facies cogit amittere. Eadem fluminibus etiam, fontibus ac terrenis locis accidere.

Quattuor æternus genitalia [1] corpora mundus
Continet. Ex illis duo sunt [2] onerosa, suoque
Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur:
Et [3] totidem gravitate [4] carent: [5] nulloque premente
Alta petunt, aër, atque aëre purior ignis.
Quæ quanquam spatio distant; tamen omnia [6] fiunt
[7] Ex ipsis; & in ipsa [8] cadunt. [9] Resolutaque tellus
In liquidas rorescit aquas: tenuatus in auras
Aëraque humor abit: demto quoque pondere rursus
In [10] superos aër [11] tenuissimus emicat ignes.

9 Hæc sunt illa, quæ vocant elementa, seu quatuor corpora simplicia, ut olim voluit Aristoteles. 2 Gravia. 3 Duo. 4 Sunt levia. 5 Sc. *pondere*. 6 Generantur. 7 Quatuor elementis. 8 Resolvuntur: nam *elementa* dicuntur, ex quibus omnia constant, & in quæ omnia resolvuntur. 9 Elementum unum in alterum transire probat. Nam & terra in aquam, & aqua in aërem, & aër in ignem, & contrà ignis in aërem, & aër in aquam, aqua in terram convertuntur. 10 Ætherem, qui omnium elementorum supremus est. 11 Purissimus.

Indè retro redeunt: idemque [12] retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aëra transit;
[13] Hic in aquas: [14] tellus glomeratâ cogitur undâ.
Nec species sua cuique manet. Rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat Natura figuras.
[15] Nec perit in tanto quicquam (mihi credite) mundo;
Sed variat, faciemque novat: [16] Nascique vocatur,
Incipere esse aliud, quàm quod fuit antè; Morique
Desinere illud idem. [17] Cùm sint huc [18] forsitan illa,
Hæc translata [19] illuc; summâ tamen omnia constant.
Nil equidem durare diu sub [20] imagine eâdem
Crediderim. Sic [21] ad ferrum venistis [22] ab auro
Secula. Sic toties [23] versa es, Fortuna locorum.
[24] Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum. Vidi factas ex æquore terras:
Et procul à pelago [25] conchæ jacuêre marinæ:
Et vetus inventa est in montibus anchora summis;
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit: & [26] eluvie mons est deductus in æquor:
[28] Quæque sitim tulerant, [29] stagnata paludibus [30] hument.
Hîc fontes Natura novos emisit, at illîc
Clausit: & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt; aut [31] excæata residunt.

11 Resolvitur.
13 Aër.
14 Aqua condensata transit in terram.
15 Quæ enim perire videntur, in quatuor elementa resolvuntur.
16 Quid nasci, quidque mori sit, eleganter describit. *Nasci* enim aliquid dicitur, cùm aliud, quam quod fuit antè, incipit esse. *Mori* verò, cùm id desinit esse, quod antè fuit.
17 Corruptionem unius esse generationem alterius ait, eaque, quæ perire videntur, in alia converti.
18 In hoc corpus.
19 In illud corpus.
20 Figurâ.
21 Ad ferreum sæculum.
22 Ab aureo sæculo. Est autem Apostrophe ad sæcula, de quibus dictum Lib. I. 23 Mutata. 24 Nam ubi nunc est fretum Siculum, ibi fuit terra & quidem solidissima. 25 Undè colligitur illic mare aliquando fuisse. 26 Diluvio. 27 Sc. *terrâ*. 28 Et quæ sicca fuerant loca, à paludibus sunt occupata. 29 Stagna facta. 30 Humescunt, humida facta sunt. 31 [Ita Noster Ponticarum Lib. IV. Eleg. II.

Scilicet ut limus venas excæcat in undis.]

FAB.

FAB. V.

ARGUMENTUM.

Amnem Lyciæ consumtum ostendit aliàs apparuisse, aliàs non.

[1] SIc ubi terreno [2] Lycus est epotus hiatu,
Exsistit procul hinc, [3] alioque renascitur ore.

1 Variis probat exemplis multa flumina modò oriri, modò occultari. 2 Asiæ fluvius. 3 [Lectio vulgata *orbe*: quæ quoque antiqua satis: nam apud Senecam, qui hos versus in Naturalibus Quæstionibus Lib. III. cap. XXVI. citat, ambigua est lectio: quidam enim codd. ibi *ore* legunt. Potest autem *Lycus* loco remoto satis iterum apparere, licet in eodem Orbe. *Heinsius.*]

FAB. VI.

ARGUMENTUM.

Erasinus in Arcadia fluere visus, modo latens terræ voragine absumtus, postea Argis est redditus voluntate Junonis.

SIc modò combibitur; tecto modò gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens [1] Erasinus in arvis.

1 Arcadiæ flumen.

FAB. VII.

ARGUMENTUM.

Caïcum flumen Mysiæ aliis nunc ripis, aliis in initio fluxisse fertur.

ET [1] Mysum capitisque sui ripæque prioris
Pœnituisse ferunt, alia nunc ire, Caïcum.

1 Fluvius Mysiæ, qui à terra absorptus, nomine & cursu mutato, Caicus dicitur.

FAB. VIII.

ARGUMENTUM.

Amasenum *flumen Siciliæ intumescere, refluere, interdum siccari.*

NEc non Sicanias volvens [1] Amenanus arenas
Nunc fluit; interdum suppressis fontibus aret.

1 [Fluvius Cataniam alluens. Straboni nominatur (ne dubites) eam ipsam ob caussam, ob quam Nostro. In Editis, ut & in Argumento, *Amasenus*, qui Privernatium fluvius Servio & Vibio Sequestro: ut exinde constet errorem esse satis antiquum. *Heinsi.*]

FAB. IX.

ARGUMENTUM.

Anigrum flumen jucundissimam aquam sitientibus præstitisse: posteaquam Centauri ab Herculeis sagittis confecti cruorem in eo abluerint, aspero advenientes fugasse ordore.

ANtè bibebatur; nunc [1] quas contingere nolis
Fundit [2] Anigros aquas: postquam ([3] nisi vatibus omnis
Eripienda fides) illîc lavêre [4] Bimembres
Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.

1 Quia amarus potu factus dicitur ex quo Centauri, ab Hercule vulnerati sese in eo lavêre. 2 Peloponnesi fluvius. 3 Venustè. Pythagoras enim suprà vers. 115. *Materiem vatum, & nomina vana* spernere jubet. 4 Centauri semiviri.

FAB. X.

ARGUMENTUM.

Hypanin Scythiæ amnem, marini factum liquoris ait, cùm fuerit in initio dulcissimi, ob fontem regionis ejusdem in eum influentem.

QUid? Non & Scythicis [1] Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?

1 Scythiæ fluvius potu dulcissimus, quem tamen fonticulus quidam amaritudine sua corrumpit.

FAB. XI.

ARGUMENTUM.

Antissa, & Pharos, item Tyros in Phœnicia insula fuerunt, nunc verò continenti conjunctæ.

1 Fluctus

[1] Fluctibus [2] ambitæ fuerant Antissa Pharosque,
Et Phœnissa Tyros: quarum nunc insula nulla est.

1 Ex insulis continentem fieri, & ex continente insulas, exemplis colligit Pythagoras. Nam Antissa, cùm anteà per se insula esset inf. Lesbo, Pharos autem Ægypto, & Tyros Phœniciæ adjuncta est. 2 Circumdatæ.

FAB. XII.

ARGUMENTUM.

Item Leucades insulæ tres in salo sunt nunc, à fluctibus olim relictæ. Item Zancle olim conjuncta Italiæ, nunc freto discriminatur. Quod propterea contigit, quod Latonæ sedes est ibi negata.

[1] Leucada continuam veteres habuere coloni:
Nunc freta circueünt. [2] Zancle quoque juncta fuisse
Dicitur Italiæ: donec confinia pontus
Abstulit; & media tellurem reppulit undâ.

1 Fuit hæc humano opere à continenti avulsa.
2 Hodie Messana. Sed vide supra Lib. 14. vers. 5.

FAB. XIII.

ARGUMENTUM.

Helice, & Bura Achajæ urbes Ponto voratæ sunt.

Si quæris [1] Helicen, & Burin Achaïdas urbes;
Invenies sub aquis: & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

1 Hæc Achaiæ oppida maris impetu absorpta sunt.

FAB. XIV.

ARGUMENTUM.

Tumulum secundùm Trœzena urbem ex area factum ait eruptione spiritus qui terræ increverat.

Est prope [1] Pitthêan tumulus Trœzena, sine ullis

1 Pitthi, Æthræ patris, patriam. Nam *Trœzen* urbs est Peloponnesi.

Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus: Nam (res [2] horrenda relatu)
3 Vis fera ventorum, 4 cæcis inclusa cavernis,
Exspirare 5 aliquà cupiens, [6] luctataq; frustra
Liberiore frui cœlo, cùm carcere rima
Nulla foret toto, nec pervia 7 flatibus esset;
Extentam tumefecit humum: [8] ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet, aut 9 derepta bicorni
Terga capro. Tumor ille loco permansit; & alti
Collis habet speciem: longoque induruit ævo.

2 Admiranda.
3 Violentia terribilis.
4 Occultis.
5 Viâ.
6 Conatæ.
7 Flaminibus.
8 Sicut.
9 Periphrasis Excoriata.

FAB. XV.

ARGUMENTUM.

Fons in Africa Ammonis, solis ortu obituque calescit, postmodum in glaciem vertitur.

PLurima cùm [1] subeant, audita aut cognita nobis,
Pauca [2] super referam. Quid? Non & lympha figuras
Datque, capitque novas? Medio tua, 3 Corniger Ammon,
Unda die gelida est: ortuq; obituq; calescit.

1 In mentem veniant.
2 Insuper.
3 Jupiter sub figura arietis in Libya hac de causa colitur: quòd, cùm Liber pater per Libyæ deserta exercitum ducens siti laboraret, patrem rogavit, ut sibi auxilio esset: cui repentè aries occurrit, quem secutus limpidissimum fontem invenit. In tantæ autem rei memoriam & templum magnificentissimum exstruxit, & instituit, ut Jupiter sub figura arietis coleretur. Fons verò ille interdiu frigidus, noctibus fervet. De hoc fonte præter Curtium Lucret. Lib. 6. *Esse apud Hammonis, fanum fons luce diurnâ Frigidus: at calidus nocturno tempore fertur.*

FAB. XVI.

ARGUMENTUM.

Athamanis Thessaliæ regionis fonti lignum tenuata luna admotum accenditur.

ADmotis [1] Athamanis aquis accendere lignum
Narratur; minimos cùm Luna [2] recessit in orbes.

1 Fons est apud Athamanas Epiri populos, qui lign. inc.
2 Decrescit.

FAB.

FAB. XVII.

ARGUMENTUM.

Flumen quoque apud Ciconas est, ex quo qui bibit, in lapidem convertitur.

FLumen habent [1] Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera : quod tactis inducit marmora rebus.

1 Populi in Thracia.

FAB. XVIII.

ARGUMENTUM.

Crathis amnis, & ei confinis Sybaris, capillos aurei coloris efficiunt.

[1] CRathis, & huic Sybaris noſtris conterminus arvis
Electro ſimiles faciunt auroque capillos.

1 Fluvii in magna Græcia.

FAB. XIX.

ARGUMENTUM.

Salmacis fons in Caria contactu ſui liquoris cogit in mollitiem corporis obſcœni verti : quod beneficio Mercurii & Veneris dicitur eſſe factum.

QUodque magis mirum eſt, ſunt qui non corpora tantùm,
Verùm animos etiam valeant mutare, liquores.
Cui non audita eſt obſcœnæ [1] Salmacis undæ ?

1 Salmacis Cariæ fons eſt, cujus prodigioſas vires vide ſuprà Lib. 4. verſ. 285.

FAB. XX.

ARGUMENTUM.

Lacus eſt in Æthiopia qui hauſto liquore ad ſitim ſedandam, aut in inſaniam, aut in ſoporem vertit.

Æthiopeſ-

1 Periphrasis est Lethargi.

Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit; aut [1] mirum patitur gravitate soporem.

FAB. XXI.

ARGUMENTUM.

Clitorius fons in Arcádia vinum in odium adducit: quod Melampus Amithaonis filius Prœtidas cum ab insania liberasset, novissime remedia in eum projecisse fertur.

1 Arcadiæ fonte.
2 [Sobrius; vino abstinens: *Temetum* antiquis vinum; inde *temulentus* pro ebrio; & præpositione *abs* præfixâ fit *abstemius*.]
3 Accolæ ibi geniti.

[1] Clitorio quicunque sitim de fonte levârit
Vina fugit; gaudetque meris [2] abstemius undis:
Seu vis est in aqua calido contraria vino:
Sive, quod [3] indigenæ memorant, [4] Amithaone natus,
Prœtidas attonitas postquam per carmen & herbas
Eripuit furiis; purgamina mentis in illas
Misit aquas: odiumque meri permansit in undis.

4 Melampus medicus, Amithaonis filius qui Prœti filias furentes mentis sanitati restituit, purgamina vero, ut hic noster vult, in fontem Clitorium abjecit.

FAB. XXII.

ARGUMENTUM.

Lyncestius amnis Thraciæ hanc vim obtinet, potestatem mutata, ut aquam ejus bibentes ebrii fiant.

1 Bibentes enim inebriat, instar vini.
2 In Macedonia.

Huic fluit effectu [1] dispar [2] Lyncestius amnis,
Quem quicunque parùm moderato gutture traxit;
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.

FAB. XXIII.

ARGUMENTUM.

In Arcadia secundùm Pheneon urbem aquæ feruntur, quæ potæ nocte nocent, luce autem innocuæ cognoscuntur.

EST locus Arcadiæ (Pheneon dixêre priores)
Ambiguis suspectus aquis. Quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ. Sine [1] noxa luce bibuntur.

[1] Nocumento.

FAB. XXIV.

ARGUMENTUM.

Ortygia insula olim mobilis erat. Symplegades quoque cautes in Ponto concurrentes, flatibus solitæ moveri, nunc fixæ fundamentis tenentur loco.

SIc alias aliasque lacus & flumina vires
Concipiunt. Tempusque fuit, [1] quo navit in undis,
Nunc sedet Ortygie. Timuit concursibus [2] Argo
[3] Undarum sparsas [4] Symplegadas elisarum;
Quæ nunc immotæ perstant, ventisque resistunt.

[1] Ortygia insula, quæ & Delos vocatur, fluitare solebat.
[2] Navis qua Jasonem cum Argonautis Colchos profectum esse fabulantur Poëtæ, petitum vellus aureum. Vide suprà Lib. 7. vers. 1.
[3] Expressarum duorum scopulorum concursu. [4] Quæ & Cyaneæ dictæ sunt. Sunt hæ insulæ vel scopuli in ostio maris Euxini, qui navigantibus videntur inter se concurrere. Συμπλήττω Græcè concurro, collido.

FAB. XXV.

ARGUMENTUM.

Ætna mons Siciliæ in ignem verti cœpit, cùm initio riguerit.

NEc, quæ sulfureis ardet fornacibus, [1] Ætne
Ignea semper erit: neque enim fuit ignea semper.
Nam sive est animal tellus, & vivit, habetque
Spiramenta locis flammam exhalantia multis;

[1] Siciliæ mons, de quo supra sæpius.

Spirandi

Spirandi mutare vias, quotiesque movetur,
Has finire potest, illas aperire cavernas:
Sive leves imis venti cohibentur in antris;
Saxaque cum saxis, & habentem semina flammæ
Materiem jactant, ea concipit [2] ictibus ignem;
Antra relinquentur sedatis [3] frigida ventis:
Sive [4] bitumineæ rapiunt incendia vires,
Luteave exiguis arescunt sulfura fumis;
Nempe ubi terra cibos alimentaque pinguia flammæ
Non dabit, absumtis per longum viribus ævum,
Naturæque suum nutrimen deerit edaci;
Non feret illa famem: desertaq; deseret ignes.

2 Jactatibus.
3 Sine igne.
4 *Bitumen* genus est picis celerrimè ignem rapientis.

FAB. XXVI.

ARGUMENTUM.

In Pallene, quæ sub Aquiloe jacet, homines dicuntur in volucres verti, novies cum in Tritoniacam paludem mersi sint.

ESse viros fama est in [1] Hyperborea [2] Pallene:
[3] Qui soleant levibus velari corpora plumis;
Cùm [4] Tritoniacam novies subière paludem.

1 Septentrionali.
2 Urbs est Thraciæ.
3 Qui soleant in aves mutari.
4 Est hæc palus, unde Pallas Tritonia dicitur.

FAB. XXVII.

ARGUMENTUM.

Scythides, in Scythia fæminæ, venenis sparsæ corpora immutant se in aves transfigurantes.

HAud equidem credo: [1] Sparsæ quoque membra veneno
Exercere artes [2] Scythides memorantur [3] easdem.

1 Peruncta.
2 Scythicæ mulieres, quæ se in aves mutare dicuntur.
3 Ut se in aves convertant.

FAB. XXVIII.

ARGUMENTUM.

Ex vitulis apes nascuntur: quas Aristeus fertur invenisse.

SI qua fides [1] rebus tamen est addenda probatis:
Nonne vides, quæcunque mora [2] fluidove calore
Corpora [3] tabuerint, in parva animalia verti?
I quoque, delectos mactatos [4] obrue tauros;
Cognita res [5] usu: de [6] putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes. Quæ more parentum
[7] Rura colunt: operique favent; in [8] spemque laborant.

1 De quibus periculum est factum. 2 Ab effectu, quòd fluida, i. mollia corpora reddat. 3 Corrupta fuerint. 4 Terra tege boves mactatos: nam ex iis (ut 4. *Georg.* scribit *Virg.*) apes nascuntur. Ejusmodi apium reparationem Proteus Aristæum docet, 1. Fast. *Obrue mactati corpus tellure juvenci,, Quod petit à nobis obrutus ille dabit. Jussa facit pastor: fervent examina putri De bove: mille animas una necata dedit.* 5 Experientiâ. 6 De corruptâ carne. 7 Nam in agris, è floribus rorem legentes, versantur. 8 Futuri melius, & novi examinis.

FAB. XXIX.

ARGUMENTUM.

Ex equo putrefacto crabrones nasci potuisse primum proditur.

PRessus humo [1] bellator equus crabronis origo est.

1 Aptus bello. Dicuntur autem crabrones ex equis putrefactis nasci.

FAB. XXX.

ARGUMENTUM.

Cancrum demtis brachiis si terræ subjicias, scorpius nascitur.

COncava [1] littoreo si demas brachia cancro;
Cætera supponas terræ; de parte sepultâ
Scorpius exibit: [2] caudâque minabitur uncâ.

1 In littore moranti. Volunt nonnulli Scorpium nasci ex centro terrâ obruto. 2 Nam Scorpius caudâ lædit.

FAB.

FAB. XXXI.

ARGUMENTUM.

Bombyces quæ folia filis intexunt, in papiliones vertuntur.

QUæque ſolent canis frondes intexere filis
Agreſtes [1] tineæ (res [2] obſervata colonis
[3] Ferali mutant cum papilione figuram.)

1 [Papiliones ſub triplici formâ, donec perfectè adoleſcant, viſuntur: Vere ineunte, vermiculus parvus ex ovo truditur, *Eruca* dictus. Hic foliis arborum vel herbarum inhæret: iiſque paſcitur: harum erucarum una ſpecies, *Bombyx* dicta, Mori foliis tantum veſcitur: Hæ erucæ poſtea in Aurelias ſeu Chryſalides convertuntur, aureo tegumento coöpertæ, quoadusque Alæ, Antennæ, Pediculi, cæteraque membra juſtam menſuram acquiſiverint; quâ completâ, integumentum eſfringunt exitque Papilio alatus generationi idoneus. Quamdiu enim ſub Erucæ aut Aureliæ formâ conſpicitur imperfectus eſt, ut fætus in utero alio um animalium, cui membra omnia nondum efformantur: Cavendum autem eſt, ne metamorphoſin ullam in hiſce animalculis effingamus; *eruca* enim & *aurelia* ipſiſſimus eſt *papilio* imperfectus, pari modo ac *fœtus trimeſtris* eſt *homo*, licet præter inteſtina, parteſque nobiliores nihil ſit videndum: Ita *Gyrinus* eſt Rana imperfecta, ſeu fœtus Ranæ dimidiatus, pedibus nondum formatis.] 2 Animadverſa, notata. 3 Venenoſo, ac noxio.

FAB. XXXII.

ARGUMENTUM.

Ranæ naſcuntur ex limo ſine pedibus; mox natando pedes increſcunt.

SEmina limus habet virides generantia ranas:
Et generat [1] truncas pedibus: mox apta natando
Crura dat. Utq; eadem ſint longis ſaltibus apta;
Poſterior partes ſuperat menſura priores.

1 Mutilatas & carentes pedibus.

FAB. XXXIII.

ARGUMENTUM.

Urſæ carnem pariunt, eamque lambendo in figuram ſui convertunt.

NEc catulus partu, quem reddidit urſa recenti,

Sed

Sed [1] malè viva caro est: lambendo mater in artus
Fingit, & in formam quantam capit ipsâ reducit.

[1] [Ita Noster Artis Amator: lib. II. v. 658.

Si qua Straba est, Veneri similis; si rava, Minervæ;
Sit gracilis, macie quæ male viva sua est:

in priore versu Heinsii emendationem in notis allatam sequor.]

FAB. XXXIV.

ARGUMENTUM.

Apes initio truncæ, ut vermes, nascuntur: postea corporis partes ac pennas accipere produntur.

NOnne vides, quos cera tegit sexangula, fœtus
Melliferarum apium sine membris corpora nasci,
Et serosque pedes, serasque assumere pennas?

FAB. XXXV.

ARGUMENTUM.

Pavones, qui in tutela Junonis habentur; item aquilæ Jovis, columbæque Veneris, & cæteræ volucres; ex media parte ovi, qui vitellus vocatur, videntur nasci.

[1] JUnonis volucrem, quæ caudâ sidera portat,
[2] Armigerumque Jovis, [3] Cythereïadasque columbas,
Et genus omne avium, [4] mediis è partibus ovi
Ni sciret fieri, fieri quis posse putaret?

1 Pavonem.
2 Aquilam.
3 Veneri dicatas.
4 Ex vitello.

FAB. XXXVI.

ARGUMENTUM.

Ex medulla humana in sepulcris angues proseminantur.

SUnt qui, cum clauso putrefacta est spina sepulcro,

1 Originem.

Mutari credant humanas angue medullas.
Hæc tamen ex aliis ducunt [1] primordia rebus.

FAB. XXXVII.

ARGUMENTUM.

Phœnix in Assyriæ finibus nido ex odoribus facto, cum est senectute pressa, supra recumbit: ex cujus sanie alia renascitur: & viribus roborata, nidum in urbem effert Solis: ibique in templo ejus monumentum patris reponit. Fertur enim quinque ætatis sæcula replere.

UNa est, quæ reparet, seque ipsa reseminet, ales.
Assyrii [1] Phœnica vocant. Nec fruge, neque herbis,
Sed thuris lacrymis, & succo vivit amomi.
[2] Hæc ubi quinque suæ complevit sæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæve cacumine palmæ,
Unguibus & pando nidum sibi construit ore.
Quo simulac [3] casias, & nardi lenis aristas,
Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrhâ;
Se super imponit: finitq; in odoribus [4] ævum.
Indè ferunt, totidem qui vivere debeat annos
Corpore de patrio parvum Phœnica renasci.
Cùm dedit huic ætas vires; [5] onerique ferendo est,
[Ponderibus nidi ramos [6] levat arboris altæ:]
Fertque pius cunasque suas, patriumque sepulcrum;
Perque leves auras [7] Hyperionis urbe potitus
Ante fores sacras Hyperionis æde reponit.

1 A colore purpureo Phœnix videtur appellatus. 2 Quingentos annos vixit. De hujus ætate sic Ausonius: *Hos* (homines) *novies superat vivendo garrula Cornix, Et quater egreditur cornicis sæcula Cervus: Alipedem Cervum ter vincit Corvus, & illum Multiplicat novies Phœnix reparabilis ales.* Quicquid verò vel primæ notæ Oratores, vel Poëtæ de mirabili Phœnicis resurrectione scripserint, sunt gerræ, mendacia prisca. 3 Casia & Nardus frutices sunt suavissimi odoris in Arabiâ nascentes. 4 Vitam. 5 Sufficit nido auferendo. Sic dicimus, aliquem non esse solvendo. 6 Allevat. ac leves reddit. [Tollit hunc versum Heinsius.] 7 Heliopolin Ægypti, urbem intelligit. [Metuo ne & proximè præcedens, & tres sequentes huc ab alienâ manu sint inculcati, ita duodecim versibus totam de Phænice Historiam absolverit. *Heinsius.* De versu uncis incluso loquitur, & sequentibus: mihi autem (pace tanti viri loqui liceat) historia absque his quinque versibus mutila esse videtur. Sollenne quoque Ovidio, omnia ad numen aliquod pertinentia, quæ fabulæ suæ illustrandæ ullo modo conducerent, enarrare. Hæc autem, pietatem Phænicis deprædicantia, maximi esse momenti videntur.]

FAB.

FAB. XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Hyæna fera, ex fæmina in marem vertitur.

SI tamen eſt aliquid miræ novitatis in iſtis;
[1] Alternare vices, & quæ modò fœmina tergo
Paſſa marem eſt, nunc eſſe marem miremur Hyænam.

[1] Alternis annis mutare, i. e. nunc marem nunc fœminam fieri, ridiculum.

FAB. XXXIX.

ARGUMENTUM.

Chamæleon ventis & aura nutritus, quodcunque contigerit, coloris ejuſdem efficitur.

[1] ID quoque, quod ventis animal nutritur & aurâ,
Protinus aſſimulat tactu quoſcunque colores.

[1] Intelligit Chamæleontem.

FAB. XL.

ARGUMENTUM.

Lynces, qui ſunt in Liberi tutela, urinam vertunt in lapidem.

VIcta racemifero Lyncas dedit India Baccho:
E quibus (ut memorant) [1] quicquid veſica remiſit
Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.

[1] Omnis urina Lyncum.

FAB. XLI.

ARGUMENTUM.

Coralium lapis ſub aqua mollis eſt; extra dureſcit.

SIc & Curalium, quo primum contigit auras
Tempore, dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.

FAB. XLII.

ARGUMENTUM.

Significat gentes variari in ſpecies, Deorum voluntate.

DEſeret antè dies; & in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos; [1] quàm conſequar omnia dictis
In ſpecies tranſlata novas. Sic tempore verti
Cernimus, atque illas aſſumere robora gentes;
Concidere has. Sic magna fuit [2] cenſuque viriſque,
Perque decem potuit tantum dare ſanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos oſtendit avorum.
[Clara fuit [3] Sparte: magnæ viguere [4] Mycenæ:
Necnon [5] Cecropiæ; necnon Amphionis [6] arces.
Vile ſolum Sparte eſt: altæ cecidere Mycenæ.
[7] Œdipodioniæ quid ſunt niſi fabula Thebæ?
Quid [8] Pandioniæ reſtant niſi nomen Athenæ?]

1 Quam verbis omnia explicare poſſim.
2 Opibus, & incolis.
3 Quæ & Lacedæmon dicta, urbs Peloponneſi.
4 Urbs Peloponneſi.
5 Athenæ, quarum autor fuit Cecrops.
6 Thebæ, ab Amphione conditæ.
7 Ubi Œdipus regnavit
8 Ubi Pandion regnavit. [Quinque hos verſus tollit Heinſius; & jure merito: interrumpunt enim filum orationis, quâ Poëta nunc probaturus eſt Romam ex Trojæ ruinis renaſci. Præterea quoque *Spartam* bis nominari odioſum. Athenæ quoque Pythagoræ ævo florebant unicè.]

Roma ab Ænea fundata, & quod carnibus non eſt omnino veſcendum. *Fab.* XLIII.

ARGUMENTUM.

Numa Pompilius propter ſcientiam rerum à populo Romano in regnum eſt receptus. Cujus præcepta cum ante dictis hæc ſunt: Quæcunque naſcuntur, hæc creſcendo, & ſeneſcendo tranſmutari in diſſimiles ſpecies: & poſt obitum ſic conſumi, ut aut in terram abeant, quæ corpora ſunt; aut in aëra, quæ ſpiritu contineri videntur. Porrò Helenus Priami filius, refert ab Ænea urbis conditæ poſitionem.

[1] NUnc quoque [2] Dardaniam fama est consurgere Romam:
[3] Appenninigenæ quæ proxima Tybridis undis
Mole sub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam crescendo mutat; & olim
Immensi caput orbis erit. Sic dicere [4] vates
[5] Faticinasq; ferunt sortes: [6] quantumq; recordor
[7] Priamides Helenus flenti, dubioque salutis,
Dixerat Æneæ, cùm [8] res Trojana labaret.
Nate Deâ, si nota satis præsagia nostræ
Mentis habes; Non tota cadet te sospite Troja.
Flamma tibi ferrumque dabunt iter. Ibis; & una
Pergama rapta feres: donec Trojæque tibique
Externum patrio contingat amicius arvum.
Urbem & jam cerno Phrygios [9] debere nepotes;
Quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis.
Hanc alii [10] proceres [11] per secula longa potentem,
Sed dominam rerum de sanguine [12] natus Júli
Efficiet. Quo, cùm tellus erit usa, fruentur
Æthereæ sedes: cœlumque erit exitus illi.
Hæc Helenum cecinisse [13] Penatigero Æneæ,
Mente memor refero: cognataque mœnia lætor
Crescere; & [14] utiliter Phrygibus vicisse [15] Pelasgos.
[16] Nè tamen oblitis [17] ad metam tendere longè
[18] Exspatiemur equis; Cœlum, & quodcunq; sub illo est,
Immutat formas, tellusque, & quidquid in illa est
Nos quoque pars mundi, (quoniam non corpora solùm,
Verùm etiam volucres [19] animæ sumus, [20] inque ferinas
Possumus ire domos, [21] pecudumq; in pectora condi)

1 Exemplo urbis Romæ quæ tùm maximè crescebat, omnia esse in continuo motu & vicissitudine Pythagoras ostendit.
2 Romam conditam à Romulo, ducente genus è Dardanidis, sive Trojanis, olim urbium reginam, & non solum Italiæ, sed totius mundi caput dictam.
3 In Apennino monte Orientis.
4 Sibyllas.
5 Fata canentes, i. prædicentes.
6 Vel maximè se recordari putat Pythagoras, utpote qui tempore Trojano se Euphorbum fuisse testatur. sci è
7 Helenus Priami filius, qui fuit vates optimus.
8 TImperium Trojanum vacillaret. periclitaretur.

9 Urbi ædificandæ, ita volentibus fatis, obnoxios esse. 10 Varii Domini, primum Reges, dein Consules, &c. quibus Roma regnata fuit. 11 Per septingentos annos. 12 Blanditur Cæsari Octavio Augusto, qui Julii Cæsaris adoptione filius fuit, & maternum genus ad Ascanium (cui & cognomen Julo) Æneæ filium referebat. 13 Penates gerenti. Penates autem Dardanus ex Samothracia in Phrygiam, Æneas ex Phrygia in Italiam detulit. 14 Sensus est: Pelasgos, i. Græcos, vicisse utiliter Phrygibus, i. e. cum utilitate Phrygum, vel Trojanorum: jactura nempe amissæ Trojæ cedente in bonum, & Româ ex ejus cineribus renatâ 15 Græcos Trojam expugnasse. 16 Concludit omnia in continuo esse fluxu, & à carnibus omninò esse abstinendum Pythagoras cùm animæ nostræ in varia corpora transeant. 17 Ad finem & conclusionem. Metaphora ab equis currentibus sumta. 18 Evagemur copia verborum. 19 Leves atque veloces Animo enim nihil est velocius. 20 In corpora ferarum 21 Ordo est & sensus: *Nos quoque pars mundi sinamus*, i. permittamus. *ea corpora esse tuta & honesta quæ possunt habuisse animas parentum, aut fratrum aut junctorum nobis aliquo fœdere*, affinitate, *aut certè hominum quoniam sumus non solùm corpora, verùm etiam volucres*, i. leves atque veloces *animæ*, i. quoniam non solùm ex corpore, sed etiam anima constamus, *& possumus ire in domos ferinas, & in pectora pecudum.* Ex his omnibus colligit Pythagoras nullo modo carnibus esse vescendum.

Corpora, quæ possint animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum fœdere nobis,
Aut hominum certè, tuta esse, & honesta sinamus:
Neve [22] Thyestêis [23] cumulemur [24] viscera [25] mensis.
[26] Quàm malè consuescit, quàm se parat ille [27] cruori
Impius humano; vitula qui guttura cultro
Rumpit; & [28] immotas præbet mugitibus aures!
Aut qui vagitus similes puerilibus [29] hœdum
Edentem jugulare potest, aut [30] alite vesci,
Cui dedit ipse cibos! [31] Quantum est, quod desit in istis
Ad plenum [32] facinus! [33] Quo transitus [34] inde paratur!
[35] Bos aret; aut mortem senioribus imputet annis:
[36] Horriferum contra Borean ovis [37] arma ministret.
Ubera dent saturæ manibus [38] pressanda capellæ.
Retia cum [39] pedicis, laqueosque, artesque dolosas
[40] Tollite: nec volucrem [41] viscatâ fallite virgâ:
Nec formidatis cervos eludite pinnis:
Nec [42] celate cibis uncos fallacibus hamos.
[43] Perdite, [44] si qua nocent. Verùm hæc quoque perdite tantùm.
Ora [45] vacent epulis: alimentaq; [46] congrua carpant.

22 Atreus & Thyestes, Pelopis & Hippodamiæ filii, operâ Mercurii, ægrè ferentes Mirtilum filium à Pelope ipso fuisse interfectum, in tantam devenêre discordiam, ut alter alteri insidias strueret, cùm ea conditione regnum à patre accepissent, ut alternis regnarent annis. Nam Thyestes, ut faciliùs arietem velleris aurei, in quo regni fata consistebant, sibi usurpare posset, Aëropen, Atrei uxorem, compressit, ex eaque filios suscepit. Quod cùm Atreus rescivisset bello illum Mycenis in exilium ejecit. Quo quidem non contentus, simulatâ gratiâ fratrem ad se revocavit, tresque ejus filios decoctos sic apposuit comedendos, ut sanguinem quoque poculis immiscuisse feratur. Hoc verò nefandissimum scelus ne Sol videret, aliò radios avertisse memoratur. Hinc *mensæ Thyesteæ*, pro *diris epulis*. 23 Usque ad cumulum repleamus. 24 Intestina. 25 Cibis. Continens pro contento. 26 Eum, qui possit pati, ut interficiat vitulum, aut hœdum, aut avem, facilè assuescere ait necandis hominibus. 27 Sanguini humano effundendo. 28 Nullâ misericordiâ motas. 29 Emittentem vagitus puerorum 30 Avem comedere. 31 Q. d. Minimum. 32 Homicidium. 33 Q. d. Ad hominum cædem. 34 Ex immolatione brutorum animalium. 35 Cum magna autoritate hæc à Pythagora dicuntur. Imperat enim, ut bos sic arare permittatur, ut nullâ aliâ vi, quam senectute, moriatur. 36 Frigora Boreæ; is enim horrorem & frigus adfert. 37 Lanam. Arma enim, quibus Boreæ, frigidissimo vento, resistitur, sunt vestes ex ovium lanis confectæ. 38 Exprimenda. 39 *Pedicæ* sunt vincula pedum, ut manicæ manuum. 40 Removete, auferte, abjicite. 41 Visco infectâ. 42 Occultate. 43 Interficite. 44 Noxia animalia perdite, sed ne carnibus eorum vescamini. 45 Careant ejusmodi epulis. 46 Homini convenientia.

Numa

Numa Deorum cultum instituens, & Egeriæ luctus. *Fab.* XLIV.

ARGUMENTUM.

Egeria, post mertem mariti Numæ, in vallem Aricinam se contulit lugens.

Talibus atque aliis instructo [1] pectore [2] dictis
In patriam [3] remeasse ferunt; [4] ultroque petitum
Accepisse Numam populi [5] Latialis habenas.
[6] Conjuge qui felix Nympha, [7] ducibusque Camœnis,
[8] Sacrificos docuit ritus; gentemque feroci
Assuetam bello pacis traduxit [9] ad artes.
[10] Quem, postquam senior regnumque ævumque [11] peregit,
Exstinctum Latiæque nurus, populusque, Patresque,
Deflevêre Numam. Nam [12] conjux urbe relictâ,
[13] Vallis Aricinæ densis latet abdita silvis:
[14] Sacraque Orestêæ gemitu questuque Dianæ
Impedit. Ah quoties Nymphæ nemorisque lacusque,
[15] Ne faceret, monuêre; & consolantia verba
Dixere ah! quoties flenti [16] Theseïus heros,
[17] Siste modum, dixit: neq; enim fortuna querenda
Sola tua est: *Similes aliorum respice casus*;
Mitius ista feres. Utinamque exempla dolentem,
Non mea te possent [18] relevare! Sed & mea possunt.

1 Animo, instituto.
2 Pythagoræ præceptis. Eorum autem opinionem sequitur Ovidius, qui sentiunt Numam à Pythagorâ institutum fuisse.
3 Rediisse.
4 Quæsitum, sponteque à Romanis invitatum.
5 Latini atque Romani: nam Roma Latii est caput.
6 Egeria Nympha Numæ Pompilii fuit uxor, quæ post mariti interitum, urbe relictâ, in sylvas abiit, ac tandem miseratione Deorum in fontem fingitur mutata. Cum illa verò Nympha congressus nocturnos sibi esse Numa simulavit, ejusque monitu se, quæ gratissima Diis essent, sacra constituere Populo Romano persuasit. 7 Autoribus Musis. 8 Sacrificiorum leges. Nam sua cuique Deo sacra, sacerdotesque instituit. 9 Ad Deorum religionem, & jura, & leges, & mores colendos. Numa enim urbem Romanam, vi & armis à Romulo conditam, jure, legibus, ac moribus de integro condidit. 10 Numa, cùm tres & quadraginta regnasset annos, periit. 11 Perfecit, ac finivit. 12 Uxor Egeria. 13 *Aricia* urbs est Latii, haud longè ab urbe Roma distans. 14 Et impedit assiduo gemitu, & questu sacra Dianæ, cujus simulacrum & sacrificiorum ritus Orestes ex Taurica Chersoneso in Italiam apportaverat, & in Aricino nemore statuerat. 15 Ne flere pergeret. 16 Hippolytus Thesei filius, qui equorum furore dilaniatur, dein precibus Dianæ Æsculapii ope vitæ restitutus, templo ejusdem Deæ in Aricina sylva præfectus fuit. Sed transi ad sequentem fabulam 17 Statue, impone finem luctui. 18 Levem reddere, à fletu liberare.

Hippolytus in Virbium: q. d. bis virum. *Fab.* XLV.

ARGUMENTUM.

Hippolytus cùm propter novercale odium propulsus esset patria, & Trœzena proficisceretur; ex improviso mari elatus taurus, sicut parens optaverat, gravissimum ei objecit timorem: & exasperatis equis tractus interiit. Quem Æsculapius Dianæ voluntate, cujus initio comes fuerat, reduxit ad superos. Hinc ab eadem Dea evocatus, in nemus Aricinum, mortalitatem exuit, à converso itaque nomine, Deus Virbius est appellatus.

[1] FAndo [2] aliquem Hippolytum vestras (puto) contigit aures,
Credulitate [3] patris, sceleratæ fraude [4] novercæ
Occubuisse neci. mirabere, [5] vixque probabo:
Sed tamen ille ego sum. [6] Me Pasiphaeïa quondam
Tentatum [7] frustra, patrium [8] temerasse cubile,
[Quod voluit, finxit voluisse: & [9] crimine verso,]
([10] Indiciine metu magis, offensa ne repulsæ,)
[11] Arguit. Immeritumque pater [12] projecit ab urbe;
[13] Hostilique caput prece detestatur [14] euntis.
[15] Pitthean profugo curru Trœzena petebam;
Jamque Corinthiaci carpebam littora ponti;
Cùm mare [16] surrexit: cumulusque immanis aquarum
[17] In montis speciem curvari, & crescere visus;
Et [18] dare mugitus; summoq; cacumine findi.
[19] Corniger hinc taurus ruptis [20] expellitur undis,
Pectoribusque tenus molles erectus in auras,

1 Inter loquendum. Sic Virgil. 2. Æneid. *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures*, &c. 2 Quendam. 3 Thesei, qui nimium facilè credidit Phædræ uxori, privignum accusanti. 4 Phædræ. 5 Et difficulter persuadebo. 6 Ordo est: *Pasiphaeïa finxit, quondam me, frustrà tentatum, voluisse temerare patrium cubile, quod ipsa voluit.* 7 Quæ me frustra ad incestos pariter ac adulteros concubitus tentavit. *Pasiphaeïa* est Phædra, Minoïs & Pasiphaës filia. 8 Violare. 9 Sc. *in me.* 10 Alterâ duarum causarum se accusatum à Phædrâ Hippolytus ait, vel quòd timebat ne ipsa accusaretur, vel quòd repulsa fuit & spreta. 11 Accusavit. 12 Ejecit, expulit. 13 Imprecatione hosti conveniente, non patri. Theseus enim Neptunum patrem precatus est, ut Hippolytus filius ab equis discerperetur. 14 In exsilium. 15 Trœzena urbem Peloponnesi ubi educatus fuerat Hippolytus à Pittheo rege, Pelopis filio, ac Æthræ, matris Thesei, patre. 16 Tumefactum est. 17 Per emphasin ostendit, quantus esset vitulus ille marinus, qui instar montis mare extolleret. 18 Mugire: nondum enim vitulus ille marinus ex aquis extulerat caput. Phocæ autem, ut tauri, mugitus edunt. 19 Deinde Phoca, ut taurus, cornua habens, ex ruptis undis egressa est. 20 Erumpit, cum impetu egreditur.

Naribus & patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum. Mihi mens interrita mansit,
[21] Exsiliis contenta suis. Cùm [22] colla [23] feroces
[24] Ad freta convertunt, [25] arrectisque auribus [26] horrent
Quadrupes; [27] monstrique metu turbantur; & [28] altis
[29] Præcipitant currum scopulis. [30] Ego [31] ducere [32] vanâ
Frœna manu, spumis albentibus oblita, [33] luctor:
Et [34] retrò [35] lentas [36] tendo resupinus habenas.
Nec vires tamen [37] has [38] rabies superâsset equorum;
Nî rota, [39] perpetuum quâ circumvertitur [39] axem,
Stipitis occursu fracta ac disjecta fuisset.
[40] Excutior curru: lorisque tenentibus [41] artus
Viscera viva trahi, nervosque in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim [42] reprensa relinqui,
Ossa [43] gravem [44] dare fracta sonum, fessamque [45] videres
[46] Exhalari animam; nullasque in corpore partes,
Noscere quas posses: unumque erat omnia vulnus.
[47] Num potes, aut audes cladi [48] componere nostræ,
Nympha, tuam? [49] vidi quoque luce carentia regna:
[50] Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in undâ.
Nec, nisi [51] Apollineæ valido medicamine prolis,
Reddita vita foret. Quam postquam [52] fortibus herbis
Atque [53] ope Pæonia, [54] Dite indignante, recepi;
Tum mihi, [55] nè præsens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit [56] Cynthia nubes:

21 Exsilii sui mœrore confecta.
22 Capiat.
23 Feroces equi, quibus Hippolyti currus trahebatur.
24 Ad mare, propter strepitum phocæ egredientis.
25 Propriè hoc de pecudibus dicitur. Metaphoricè autem Ter. in Andr. *Arrige aures, Pamphile.* Et Virg. 2. Æn. *Atque arrectis auribus adsto.* Anglicè dici solet, *prick up your ears*, *arrige aures.*
26 Timent.
27 Vituli illius marini timore.
28 Per alta saxa.
29 In præceps jaciunt.
30 Ego frustra conor retrahere fræna spumis infecta.
31 Reducere, retrahere.
32 Infirmâ.
33 Conor.
34 Sc. *ducere*, i. retrahere.
35 Flexilia lora.
36 Contendo.

37 Meas. 38 Ferocitas 39 Teres lignum illud, circa quod rotæ currus vertuntur. 40 E curru ejectus cado. 41 Pedes, aut etiam manus: nam manibus habenas moderantur aurigantes. 42 Retenta à radicibus stirpibusque arborum. 43 Magnum strepitum. 44 Edere, efficere. 45 Videre posses. 46 Emittere, sc. *me.* 47 Majorem suam fuisse calamitatem, quam quæ Egeriæ contigit, Hippolytus ait. 48 Comparare. 49 Ad inferos quoque descendi. 50 Et corpus laniatum in ardentissima Phlegethontis aqua lavi. Est enim *Phlegethon* unus ex inferorum fluviis, qui *ardens* exponi potest. 51 Æsculapii Apollinis filii. 52 Potentibus. 53 I. e. Arte medica, sive quod Apollo, medicinæ inventor Pæan dicatur, sive à Pæone, medico peritissimo, quem Homerus narrat Plutonem, ab Hercule vulneratur, curasse. 54 Plutone ægrè ferente me vitæ restitui. 55 Ne, si in Græcia viverem, Atheniensium in me invidiam concitarem, à Diana sui occultatus. 56 Diana, à Cyntho Deli monte.

Utque

57 Sine ulla mea pœna. 58 Me mtu majorem effecit, quam essem, cùm ab equis fui dilaceratus. 59 Faciem, quâ cognosci possem. Innuit autem Hippolytus se in novam figuram fuisse mutatum, ne à quoquam cognosci posset.

Utque forem tutus; possemque 57 impunè videri;
58 Addidit ætatem: nec cognoscenda reliquit
59 Ora mihi. Cretenque diu dubitavit 60 habendam
Traderet, an Delon. Delo Cretaque relictis
61 Hîc posuit: 62 nomenque simul, quod possit equorum
Admonuisse, jubet deponere: quique fuisti
Hippolytus, dixit, nunc idem 63 Virbius isto.
64 Hoc nemus inde colo. De Disque minoribus unus
Numine sub Dominæ lateo: atq; 65 accenseor illi.

60 Habitandam 61 In Latio juxtà Ariciam. 62 *Hippolytus* enim fuit appellatus, quò ab equis fuerit *solutus*, i. laniatus: nam ἵππος *equus*, & λύω *solvo* dicitur. 63 Quod *bis vir* fuisse videatur, & antequam ab equis fuit laceratus, & postquam vitæ fuit restitutus. 64 Ex eo tempore, quo ab inferis sum revocatus, in hoc Aricino nemore habito. 65 [In ejus famulitium sum receptus; in sodalitium eorum qui ejus sacris dant operam, cooptatus: quæ prius notavimus Lib. III. v. 693. de significatione hujus verbi, sunt nihili.]

Egeria in amnem. *Fab.* XLVI.

ARGUMENTUM.

Egeria Nympha Numæ Pompilii conjux, post viri interitum cùm se in nemus Aricinum contulisset; ibi questu assiduo deflevit casum viri, fatigans Dianam ejus regionis incolam assiduo fletu. Novissime lacrymæ ejus ab eadem Dea transmutatæ sunt in fontem: qui ex ejus nomine nuncupatur Egeria.

1 Leves reddere. 2 Resolvitur. 3 Diana. 4 In tenues aquas mutavit.

NOn tamen Egeriæ luctus aliena 1 levare
Damna valent: montisque jacens radicibus imis
2 Liquitur in lacrymas: donec pietate dolentis
Mota 3 soror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit; & æternas artus 4 tenuavit in undas.

Gleba

Gleba in puerum Tagen, qui futurorum apud Hetruscos scientiam invenit. *Fab.* XLVII.

ARGUMENTUM.

Cum in Tyrrhenia, quæ etiam Thuscia est, quidam arator justum opus in dies redderet, presso vomere glebam opinione sua ponderosiorem excitavit: cujus dum miratione premeretur, animadvertit eam in figuram pueri esse transmutatam: qui Etruscorum lingua, Tages postea nominatus, futurorum scientiam invenit.

AT [1] Nymphas tetigit nova res: & [2] Amazone natus
Haud aliter stupuit, quàm cùm [3] Tyrrhenus arator
[4] Fatalem glebam mediis aspexit in arvis,
Sponte sua primùm, nulloque agitante moveri:
Sumere mox hominis, [5] terræque amittere formam; 556
Oraque [6] venturis aperire [7] recentia fatis.
Indigenæ [8] dixêre Tagen: [9] qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

1 Gleba agricolæ aranti in puerum, vaticinandi peritum, visa est transformari.
2 Hippolytus, Hippolytæ Amazonum reginæ filius.
3 Theseus.
4 In qua fata & futurorum præscientia continebantur.
5 Glebæ figuram.
6 Disciplinæ & arti eorum, quæ fato ventura erant, cognoscendorum.
7 Nuper ex terræ gleba figurata.
8 Appellavêre.
9 Nam Tages primus omnium haruspicinam, artemque divinandi ac prædicendi futura Thuscos docuit.

Lancea Romuli in Cornum arborem. *Fab.* XLVIII.

ARGUMENTUM.

Romulus, Martis & Iliæ filius, cùm venaretur, ex monte Aventino persequens aprum fugientem, jaculum jecit; quod cùm protinus in colle Palatino hæserit, loco ejus montis scala facta: cujus ima pars adeo depressa terræ est, ut sit comprensa radicibus. Effectum est novissime, ut in arborem cornum conversum sit.

[1] Utve

1 Virbium ita stupuisse ait Poëta mutatione Egeriæ in fontem, ut stupuit Romulus, cùm hastam suam frondescere vidit.

[1] Utve Palatinis [2] hærentem collibus olim,
Cùm subitò vidit frondescere Romulus hastam;
Quæ radice nova, [3] non ferro [4] stabat adacto:
Et jam non telum, sed [5] lenti viminis arbor,
[6] Non exspectatas [7] dabat [8] admirantibus umbras.

2 Fixam in monte Palatino. 3 Non cuspide terræ infixâ. Nam hastæ cuspi in radicem fuerat mutata. 4 Erecta erat. 5 Flexilis virgæ. Cornus enim arbor ramos admodum flexiles habet. 6 Insperatas. 7 Faciebat. 8 Hastam in arborem fuisse mutatam.

Cipus cornutus factus, & regnum respuens. *Fab.* XLIX.

ARGUMENTUM.

Cipus Genucius ab hoste victor revertens, priusquam triumphans portam intraret, animadvertit cornua sibi temporibus enata. Quo prodigio exterritus, haruspices cùm consuluisset; responsum est, eum, si in urbem intraret, regnaturum. Quod ille aversatus, patribus convocatis indicavit. Ac cùm perstitisset nunquam se tyrannum futurum, decretum est ei universorum consilio tantum agri quantum uno die aratro posset circumdare. Portaque, qua intraturus fuisset, in signi gratiam factum, ut æneis cardinibus aptaretur, in qua ad memoriam posterorum cornutum caput ejus exsculperetur.

1 Sc. *ita stupuit Virbius.* 2 [Recte *Cipus*, antea in vulgatis *Cippus*. Genucius Cipus Valerio Maximo ex membranis; *Heinsius*.] 3 Nec jam diutius credens, ut ante, oculos suos. 4 Ab hostibus superatis. 5 Præsignificatur, præmonstratur. Undè *portenta* monstra dicuntur, quæ futurum aliquid prænunciant. 6 Sc. *sit*. 7 Populo Rom. ita denominato à Romulo, post mortem in cœlis Quirini nomen adepto.

Aut [1] sua fluminea cùm vidit [2] Cipus in unda
Cornua, (vidit enim) falsamque in imagine credens
Esse fidem, digitis ad frontem sæpe relatis,
Quæ vidit, tetigit. [3] Nec jam sua lumina damnans
Restitit, ut victor domito remeabat ab [4] hoste.
Ad cælumq; oculos & eôdem brachia tollens,
Quicquid, ait, Superi, monstro [5] portenditur isto,
Seu lætum est, [6] patriæ lætum, [7] populoque Quirini;

Sive

Sive [8] minax, mihi sit. Viridique è cespite factas
[9] Placat [10] odoratis herbosas ignibus aras:
[11] Vinaque dat pateris: [12] mactatarumque bidentum,
[13] Quid sibi significent, [14] trepidantia consulit exta.
Quæ simul inspexit [15] Tyrrhenæ gentis haruspex;
[16] Magna quidem rerum molimina vidit in illis;
Non manifesta tamen. Cùm verò sustulit [17] acre
A [18] pecudis fibris ad Cipi cornua lumen;
Rex, ait, O salve: tibi enim, tibi, Cipe, tuisque
[19] Hic locus, & [20] Latiæ parebunt cornibus arces.
[21] Tu modò rumpe moram: portasque intrare patentes
Adpropera: sic fata jubent. Namque [22] urbe receptus
Rex eris; & [23] sceptro tutus potiêre [23] perenni.
Rettulit ille pedem: [24] torvamq; à mœnibus urbis
Avertens faciem, Procul, ah procul [25] omnia, dixit,
Talia Dî [26] pellant: multoq; ego justiùs ævum
Exsul agam; quàm me videant Capitolia regem.
Dixit: & extemplo populumque gravemque Senatum
Convocat. Ante tamen [27] pacali cornua lauro
Velat: & aggeribus factis à milite forti
[28] Insistit: [29] priscoque Deos è more precatus,
En, ait, hic unus, quem vos nisi pellitis urbe,
Rex erit. Is qui sit, signo, non nomine [30] dicam,
Cornua fronte gerit. Quem vobis indicat augur,
Si Romam intrârit, [31] famularia jura daturum.
Ille quidem potuit portas [32] irrumpere apertas;
Sed nos obstitimus: [33] quamvis conjunctior illo
Nemo mihi est. Vos urbe virum [34] prohibete, Quirites;
Vel, si dignus erit, gravibus vincite catenis:
Aut finite metum fatalis morte tyranni.
[35] Qualia [36] succinctis, ubi trux insibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt; aut qualia fluctus,
Æquorei faciunt, si quis procul audiat illos;

8 Triste.
9 Deos mitigat. Metonymia: Dii enim placari dicuntur, per sacrificia in aris facta.
10 Thuribus incensis.
11 In pateras fundit vina, mox ritè in victimas effundit.
12 Immolatarum ovium.
13 Sc. *cornua in fronte nata.*
14 Palpitantia.
15 Ex Hetruriâ enim haruspices petebantur.
16 Magnas rerum commutationes.
17 Acutè videntes oculos.
18 Ab extis pecudum. *Fibræ* enim sunt tenuiores venæ, quibus exta, velut lineis quibusdam distinguuntur.
19 Romam indicat digito.
20 Romanum imperium.
21 Tu solummodò tolle moras, & festina ut portas patentes ingrediaris.
22 In urbem.
23 Perpetuo regno.
24 Cornibus terribilem, atque deturpatam.
25 Portenta.
26 Avertant.
27 [De lauro, signo pacis, multùm apud veteres. Plinius, *Ipsa pacifera, ut quam prætendi etiam apud armatos hostes, quietis sit indicium.*] 28 Stat in aggere alto, vel tribunali è cespitibus facta ut ab omnibus audiatur. 29 Priscâ consuetudine. 30 Indicabo. 31 Leges serviles, quibus ut servos omnes oporteat vos obedire. 32 Intrare cum impetu. 33 Figuratè se illum esse innuit Cipus, quem haruspex futurum esse regem dixerat. 34 Arcete. 35 Duabus similitudinibus exprimit Poëta quale murmur populi fuerit, postquam Cipus finem orationi imposuit. 36 Altis & proceris. *Succincta* dicuntur altiùs cincta: indè *succincti milites* dicuntur, quòd brevioribus vestibus utentes *altiùs cincti* videantur. *Pineta* verò dicuntur *succincta*, quod id genus arborum est enode, procerum, in ramos neutiquam se diffindens, nisi juxta cacumen.

Tale sonat populus. Sed [37] per confusa [38] frementis
Verba tamen vulgi vox [39] eminet una, Quis ille?
Et spectant frontes: prædictaque cornua quærunt.
Rursus ad hos Cipus, Quem poscitis, inquit, habetis:
Et demta capiti populo prohibente coronâ
Exhibuit [40] gemino [41] præsignia tempora cornu.
[42] Demisere oculos omnes; gemitumq; dedêre:
Atq; illud meritis clarum ([43] quis credere possit?)
Inviti vidêre caput: nec honore carere
Ulterius passi, [44] festam imposuêre coronam.
At [45] proceres, quoniam muros intrare vetaris,
[46] Ruris honorati tantùm tibi Cipe dedêre,
Quantum depresso subjectis bubus aratro
Complecti posses [47] ad finem lucis ab ortu.
Cornuaque [48] æratis miram [49] referentia formam
Postibus insculpunt, longum mansura per ævum.

37 Inter. 38 Trepidantis populi. 39 Elatior est & clarior. 40 Duobus cornibus similibus. 41 Insignia. 42 In terram oculos demiserunt, ne cornua cum summo dedecore tam boni civis aspicerent. 43 Nemo crederet Romanos invitos aspexisse viri caput tam præclarè de patria meriti, ut, cùm regnum assequi posset, noluerit. Illos enim, qui de nobis benè sunt meriti, libenter aspicere solemus. 44 Lætam. Romani enim semper cives de patriâ benemeritos, coronis ornabant. Quæ coronæ variæ erant, & propter ea quæ in Bello gerebantur, diversæ essent. 45 Senatores. 46 Agri honorato viro convenientis. 47 Ab ortu dies usque ad occasum. 48 Æreis postibus portæ illius, per quam ingredi poterat Cipus. 49 Significantia, repræsentantia mirandam Cipi effigiem.

Æsculapius Romam accersitus & in serpentem mutatus. *Fab.* L.

ARGUMENTUM.

Gravis pestilentia Romanis cùm incidisset, & maxima trepidatio urbem teneret; per legatos oraculum Apollinis consultum est. Ex quo responsum, ut Æsculapium Epidauro accerserent: nobilissimique legati cùm simulacrum Dei petitum ad Epidaurios ivissent, stupentibus admiratione Deus in Draconem versus, per medium Epidaurum lapsus, navem legatorum conscendit: cum quibus vectus Romam ut delatus est, insulam Tyberis ingressus est, ibique se virgultis occuluit: qui locus Draconis vocatur.

PAndite nunc, Musæ, [1] præsentia numina vatum,
(Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas)
Unde Coroniden circumflua Tybridis alveo

1 Propitii Dii Poetarum Musæ enim præsidere Poetis finguntur.

Insula

Inſula Romuleæ ſacris [2] adſciverit urbis.
[3] Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque [4] exſangui ſquallebant corpora tabo
Funeribus feſſi poſtquam [5] mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentum;
Auxilium cœleſte petunt: [6] mediamque tenentes
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi:
Utque [7] ſalutifera miſeris ſuccurrere rebus
Sorte velit, tantæque urbis mala finiat, orant.
Et locus, & laurus, &, quas habet illa, pharetræ,
Intremuêre ſimul: [8] cortinaque reddidit imo
Hanc [9] adyto vocem; pavefactaque pectora movit:
Quod petis hinc, [10] propiore loco, Romane, petiſſes;
Et pete nunc propiore loco. Nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus eſt; ſed [11] Apolline nato.
Ite bonis [12] avibus: prolemque [13] arceſſite noſtram.
Juſſa Dei prudens poſtquam accepêre [14] Senatus;
Quam colat, [15] explorant, [16] juvenis Phœbeïus urbem:
Quique [17] petant ventis [18] Epidauria littora mittunt.
Quæ ſimul incurvâ miſſi tetigêre [19] carinâ:
Concilium Grajoſque patres adiêre: darentq;
Oravêre Deum; qui [20] præſens [21] funera gentis
Finiat Auſoniæ. [22] Certas ita dicere ſortes.
[23] Diſſidet, & variat ſententia: parſq; negandum
Non putat auxilium; multi renuêre [24] ſuamque
Non emittere opem, nec numina tradere ſuadent.
Dum [25] dubitant; ſeram pepulêre crepuſcula lucem:

2 [*Adſciti* vocabantur Romanis Dii qui *Indigetibus* ſeu *Indigetis* opponebantur: nempe quorum ſacra in Italiam aliunde eſſent advecta. Cicero Verrinâ VII. *Quarum ſacra Pop. Romanus adſcibat & accepta tantâ religione tuetur.*]
3 Peſtis à Deorum ira immiſſa.
4 Faciente homines exſangues.
5 Hominum experimenta.
6 Delphi in medio terrarum orbe eſſe ſcribuntur.
7 Reſponſo ſalutem adferente.
8 Phœbus in cortina exiſtens. Continens pro contento. *Cortinam* Poëtæ pro tripode Apollinis uſurpant, undè oracula dabantur, ſive ea menſa fuit, ſive alia quædam machina, tribus pedibus ſeu fulcris innixa, quâ conſcenſâ Phœbades oracula reddebant & vaticinari ſolebant. Undè Virg. 3. Æn. *Tremere omnia viſa repente, Liminaque lauruſque Dei, totuſque moveri Mons circùm, & mugire adytis cortina recluſis.* Et Lib. 6. *Neque te Phœbi cortina fefellit, Dux Anchiſiade.* Propriè tamen *Cortina* vas dicitur tripes, ſive lebes, in quo pigmenta coloreſque coquuntur: Item *Cortinæ* dicuntur aulæa & vela ad locum aliquem contegendum. 9 Loco ſecretiore templi, ad quem nulli eſt aditus, niſi ſacerdoti. 10 Viciniore. Nam Epidaurus Romæ propinquior eſt quam Delphi. 11 Æſculapio Apollinis filio. 12 Auſpicii. Ex volatu, vel cantu avium auſpicia ſumebantur. 13 Advocate Æſculapium filium meum. 13 Syntheſis eſt. 15 Diligenter inquirunt. 16 Æſculapius, Apollinis filius. 17 Adnavigent. 18 *Epidaurus* urbs eſt Peloponneſi, templo Æſculapii maximè inſignis. 19 Navis pars pro toto. 20 Propitius. 21 Peſtilentiam, quâ Romanæ & Italæ gentes moriebantur. 22 Alii ſic legunt: *Certant addicere ſortes*, i. legati ſtudent ſuis dictis Apollinis reſponſa conſentire, & ſibi Æſculapium adjudicare contendunt. 23 Senatorum Epidauriorum ſententiæ diſcordes & variæ erant. Alii enim tradendum Romanis, alii negandum Æſculapium ſentiebant. 24 Suum auxilium, i. Æſculapium, ad quem in adverſis confugiebant. 25 De re dubia conſultant.

[[26] Umbraque telluris tenebras induxerat orbi,]
Cùm [27] Deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus
Ante tuum, Romane, torum; ſed [28] qualis in æde
Eſſe ſolet: baculumq; tenens agreſte ſiniſtrâ,
Cæſariem [29] longæ dextrâ deducere barbæ:
Et placido tales emittere pectore voces:
Ponè metus: veniam; ſimulacraque noſtra relinquam.
Hunc modo [30] ſerpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perſpice: & [31] uſque nota viſu, ut cognoſcere poſſis.
Vertar in hunc: ſed major ero; tantuſq; videbor,
In quantum verti cœleſtia corpora debent:
Extemplo cum voce Deus, cum voce Deoque
Somnus abit: ſomnique fugam lux alma ſecuta eſt.
Poſtera ſidereos Aurora fugaverat [32] ignes:
Incerti quid agant [33] proceres ad templa [34] petiti
Conveniunt operoſa Dei: quaque ipſe morari
[35] Sede velit, ſignis cœleſtibus indicet, orant.
Vix benè deſierant; cùm criſtis [36] aureus altis
In ſerpente Deus [37] prænuntia ſibila [38] miſit:
Adventuq; ſuo [39] ſignumque, araſque, foreſque,
Marmoreumquè ſolum, faſtigiaque aurea movit:
Pectoribuſque tenus media ſublimis in æde
Conſtitit: atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pavet. Cognovit numina caſtos
Evinctus vitta crines albente ſacerdos.
Et, Deus en, Deus en; linguiſq; animiſq; favete,
Quiſquis ades, dixit. [41] Sis, ô pulcerrime, viſus
Utiliter: populoſque juves tua ſacra colentes.
Quiſquis adeſt, juſſum venerantur numen: & omnes
Verba ſacerdotis referunt geminata: piumque
[42] Æneadæ præſtant & mente & voce favorem.
Annuit his: motiſque Deus [43] rata pignora criſtis,
Ter repetita dedit vibratâ ſibila linguâ.
[44] Tum gradibus nitidis delabitur; oraque retro
Flectit: & antiquas abiturus reſpicit aras:
Aſſuetaſque domos, habitataque templa ſalutat.
Indè per [45] injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum; flectitque ſinus: mediamque per urbem,

26 [Tollit hunc verſum *Heinſius*: & ſane ſi illum admittamus, Poëtam inconcinnè loquutum eſſe non eſt negandum.]
27 Æſculapius opem & auxilium morbo laborantibus ferens.
28 Specie humana, non draconis. Nam in templo ſub effigie humana colebatur Æſculapius, quamvis in anguem mutatus Romam fuerit advectus.
29 Promiſſæ barbæ. Æſculapius enim barbatus pingebatur, Apollo verò ſine barba.
30 Inſignia addita erant Æſculapii ſimulacro, baculus ingens, & draco vigilans.
31 Eò uſque animadverte.
32 Sidera, lumina nocturna.
33 Epidauri.
34 Æſculapii à Romanis poſtulati.
35 Urbe. Epidauri ſcil. an Romæ.
36 Æſculapius, qui ſub aureo ſimulacro colebatur, in ſerpentem mutatus.
37 Ipſum adventare ſignificantia.
38 Emiſit.
39 Simulacrum Dei & ſtatuam. 40 Adeſtote ſacris animo attento, ac religioſo, &c. Sic 1. Faſt. *Proſpera lux oritur, linguis animiſque favete. Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.* 41 Preces ſacerdotis ad Æſculapium. 42 Romani, qui & ipſi bona ominabantur. 43 Certa ſigna, quibus innuebat ea futura, quæ petierant. 44 Situs deſcribitur veterum templorum, in quæ, eminentioribus in locis ædificata, per gradus aſcendebatur. 45 Sparſis.

Tendit

Tendit ad incurvo munitos aggere portus.
[46] Reſtitit hîc: [47] agmenque ſuum, turbæque ſequentis
Officium [48] placido viſus dimittere vultu;
Corpus in [49] Auſoniâ poſuit rate. Numinis illa
Senſit onus: preſſaque Dei gravitate carinâ,
Æneadæ gaudent: cæſoq; in littore [50] tauro
[51] Torta coronatæ ſolvunt retinacula puppis.
Impulerat levis aura ratem. Deus eminet altè:
Impoſitaque premens puppim cervice recurvam,
Cæruleas deſpectat aquas: [52] modiciſq; per æquor
Iönium [53] Zephyris [54] ſexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit; [55] præterque [56] Lacinia templo
Nobilitata Deæ [57] Scylacëaque littora fertur.
Linquit [58] Japygiam, læviſque [59] Amphiſſia remis
Saxa fugit: dextra prærupta Ceraunia parte,
Romechiumque legit, [60] Caulonaque, [60] Naryciamque,
[61] Evincitq; fretum, Siculiq; anguſta [62] Pelori,
[63] Hippotadæque domos regis, [64] Themeſeſque metalla,
[65] Leucaſiamq; petit, [66] tepidiq; roſaria [67] Pæſti:
Indè [68] legit [69] Capreas, promontoriumq; Minervæ,
Et [70] Surrentino generoſos palmite colles,
[71] Herculeamque urbem, [72] Stabiaſque & in otia natam
[73] Parthenopen, & ab hac [74] Cumææ templa Sibyllæ.
Hinc [75] calidi fontes, [76] lentiſciferumq; tenentur
[77] Linternum, multamque trahens ſub gurgite arenam

46 Apud portum conſtitit Æſculapius in ſerpentem mutatus.
47 Epidauriorum multitudinem.
48 Hoc de more principum virorum ſumtum eſt qui comites benignis verbis dimittere ſolent.
49 Nave Romanâ.
50 Felicis navigationis ſacro. Hunc morem oſtendit & Virg 3. Æn. *Cœlicolam regi mactabam in litore taurum.*
51 Funes, quibus naves terræ alligantur.
52 Temperatis.
53 Ventis proſperis. Synecdochicè.
54 Sexto Auroræ. Quo ſignificatur ſexto die Epidauro in Italiam perveniſſe. Unde verò Aurora dicta ſit *Pallantia*, vide Lib. 9. v. 421.
55 Juxtà templa Junonis Laciniæ. 56 Templum Junonis eſt in promontorio Lacinio, à Lacinio latrone, illic ab Hercule interfecto, cognominato. 57 [Virgilius, ---- *attollit ſe Diva Lacinia contra Cauloniſque arces, ac navifragum Scylaceum*] 58 Calabriam, ab *Japyge*, Dædali filio, dictam. Hæc olim Magna Græcia appellata fuit. 59 [Voſſius in Melam pro *Amphiſſia* legit *Argennia* ut Argennum Siciliæ promontorium intelligat, quod eſt à lævâ fretum Siculum tranſeuntibus: pro *Ceraunia* reponit *Cocyntia* a Cocinto: denique pro *Romechiumque* (voce nihili) *Lametumque* legit.] 60 Urbes Calabriæ. 61 Cum difficultate tranſiit per fretum Siculum, quod quidem eſt maximè vorticoſum. 62 Siciliæ promontorii. 63 Inſulas Æolias, in quibus regnavit Æolus, Jovis filius ex Aceſta, Hippotæ Trojani filia. 64 Themeſen Brutiorum urbem metallis claram. 65 [Hujus *Leucaſiæ* meminit Plinius Lib. III. cap. VI. *contra Pæſtanum ſinum Leucaſia eſt*; ut jam videamus, cur eam cum Pæſto Naſo conjungat. Græcis Λευκασία. Vulgata vero lectio ferri non poteſt: in *Leucoſia* ſecunda ſyllaba producitur; Græcis Λευκωσία. *Heinſ.*] 66 Semper vernantis. 67 Eſt hæc Lucaniæ urbs, roſis uberrima. 68 Tranſit. 69 Inſulam maris Tyrrheni contra promontorium Minervæ, Tiberii ſeceſſu notam. 70 *Surrentum* urbs eſt Campaniæ vino maximè nobilis, cujus Martialis ſæpiuſcule meminerit. 71 Herculaneum, vel Herculeum Campaniæ urbem. 72 Oppidum Campaniæ. 73 Neapolim, amænitatem, & otium ſtudiis præbentem. 74 Cumas Campaniæ oppidum vaticiniis Sibyllæ clariſſimum. 75 Qui ſunt in Campania. Tepentes fontibus Bajæ, &c. 76 Lentiſcum arborem ferens. 77 Campaniæ fluvius, & vicus.

[78] Vulturnus, niveisque frequens [79] Sinuessa colubris,
[80] Minturnæque [81] graves, & [82] quam [83] tumulavit [84] alumnus,
[85] Antiphatæque domus, [86] Trachasque obsessa palude,
Et tellus [87] Circæa, & [88] spissi littoris [89] Antium.
Huic ubi veliferam nautæ advertêre carinam;
([90] Asper enim jam pontus erat) Deus explicat orbes:
Perque sinus crebros & magna volumina labens,
Templa [91] parentis init, flavum tangentia littus:
Æquore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit: & hospitio juncti sibi numinis usus
Littoream tractu squamæ crepitantis arenam
Sulcat: &, innixus moderamine navis, in alta
Puppe caput posuit: donec Castrumque, sacrasq;
[91] Lavinî sedes, [92] Tiberinaque ad ostia venit.
Huc omnes populi passim, matrumq; patrumque
Obvia turba ruit; [93] quæq; ignes, [94] Troïca, servant,
Vesta, tuos: lætoque Deum clamore salutant.
Quaque per adversas navis cita ducitur undas,
Thura super ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utraque [95] sonant: & [96] odorant aëra fumis:
Ictaque conjectos [97] incalfacit hostia cultros.
Jamq; caput rerum Romanam intraverat urbem;
Erigitur serpens; summoque acclinia malo
Colla movet: sedesque sibi circumspicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus [98] amnis:
Insula nomen habet: laterumq; à parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.
Huc sede [99] Latia pinu [100] Phœbeïus anguis
Contulit: & finem, specie cœleste resumtâ,
[101] Luctibus imposuit; venitque salutifer Urbi.

78 Fluvius est Campaniæ.
79 Campaniæ urbs est. [De colubris Sinuessanis nulla apud veteres mentio; forte *columbis*. *Niveæ columbæ* frequenter occurrunt: Campanæ quoque columbæ laudantur Plinio. *Heins.*]
80 Latii oppidum est, paludibus cinctum.
81 Morbosæ, gravis ac noxii aëris.
82 Cajetam: portus, & Campaniæ urbs, quæ à Cajeta, Æneæ nutrice, denominata est.
83 Sepelivit.
84 Æneas à Cajeta educatus.
85 Formiæ. Vide quæ nos supra Lib. 14. vers. 233, 234.
86 Taracina, Volscorum civitas in Campania, non procul à Cajeta. [Urbs hæc trinomia; Anxur, Trachas, Tarracina.]
87 Circæum Straboni, oppidum Campaniæ Circes domus dictum

88 Densi ac duri. 89 Antiquum Latii oppidum. 90 Mare enim jam in tempestatem fuerat erectum. 91 Apollinis, quem mox numen sibi (i. e. Æsculapio) junctum vocat. 91 *Lavinium* urbs est Latii, ut & Castrum. 92 Ad ostia Tyberis. 93 Virgines Vestales. Et est Apostrophe ad Vestam. 94 Trojana, quia à Troja allata fuit ab Ænea. 95 Strepunt. Nam thura ardentia sonitum quendam emittunt: vel contentum pro continente positum est, ut acerras & thuribula sonare intelligamus. 96 Odoribus aërem replent. 97 Calefacit. Dum enim victimæ jugulantur, cultri sanguine calefiunt. 98 Tybris, in quo hic ager, nomine *insula*. 99 E navi Latina, i. e. Romana: pinus pro navi, Metonymia materiæ. 100 Æsculapius Apollinis filius. 101 Morbo & pesti. Consequens pro antecedente.

Julii Cæſaris per cometam Apotheωſis. *Fab.* LI.

ARGUMENTUM.

Ovidius opere peracto docet ſe à Chao principium cepiſſe, & ad Cæſarem deduxiſſe, quem gentibus orbis devictis, Venus poſt ſuorum inſidias in cometen vertit.

HIc tamen acceſſit delubris [1] advena noſtris:
Cæſar in Urbe ſua Deus eſt. Quem [2] Marte togâque
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Reſque domi geſtæ, [3] properataque gloria rerum
In ſidus vertêre novum, [4] ſtellamque comantem;
Quam [5] ſua progenies. [6] Neque enim de Cæſaris actis
Ullum majus opus, quàm quòd pater exſtitit hujus.
Scilicet [7] æquoreos plus eſt domuiſſe Britannos,
Perque [8] papyriferi ſeptemflua flumina Nili
[9] Victrices egiſſe rates: [10] Numidaſque [11] rebelles,
[12] Cinyphiumque Jubam, [13] Mithridatëiſque tumentem
Nominibus Pontum, Populo adjeciſſe Quirini;
[14] Et multos meruiſſe, aliquos egiſſe triumphos;
[15] Quàm tantum genuiſſe virum, quo præſide rerum
Humano generi, Superi caviſtis abundè.
Nè foret [16] hic igitur mortali ſemine [17] cretus;
[18] Ille Deus faciendus erat. Quod ut [19] aurea vidit
Æneæ genitrix; vidit quoque triſte parari

1 Æſculapius Deus Adſcitus fuit Romæ Cæſar autem Deus Indiges.
2 Bello & pace. Metonymia adjuncti.
3 Properanter ac citò acquiſita.
4 Cometam. *Cometa* ſtella eſt crinita.
5 Octavius Auguſtus Julii Cæſaris filius adoptivus & hæres.
6 Omnibus Cæſaris geſtis adoptionem Auguſti anteponit Poëta.
7 Mari cinctos, ac navigationi deditos, quos imperio Romano unà cum Gallis Julius Cæſar ſubegit. 8 Papyrum ferentis, ex qua olim charta conficiebatur. 9 Devicto Ptolemæo rege. 10 Populos Africæ admodum feroces. 11 Proptereà quòd Jubam, regem ſuum, recipere noluerunt. 12 Mauritaniæ regem ſuum, recipere noluerunt. 12 Mauritaniæ regem, à Cinyphe fl. Scipionis & reliquiarum Pharſaliæ partes tuentem, à Cæſare ſuperatum. 13 Mithridatis gloriâ, utpote qui 40. annos cum Romanis bellum geſſit. 14 Multò plures triumphos meruiſſe Cæſarem, quam egerit, aſſerit Poëta. *Quinque verò triumphos egit Cæſar, Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, & Hiſpanienſem, diverſo quemque apparatu*, Suet. in Cæſ. cap. 36. 15 Quam tantum reliquiſſe filium, quantus eſt Auguſtus, quem quidem non genuit, ſed ſibi adoptavit Julius Cæſar. 16 Auguſtus. 17 Natus. Q. d. Julius Cæſar in numerum Deorum fuit referendus, ne Auguſtus ex ſemine mortali natus eſſe videretur. 18 Julius Cæſar. 19 Pulcra Venus.

[20] Pontifici letum; & conjurata arma moveri;
Palluit: & cunctis, ut cuique erat obvia, Divis,
Aspice, dicebat, [21] quanta mihi mole parentur
Insidiæ: quantaque [22] caput cum fraude petatur,
Quod de [23] Dardanio solum mihi restat Iülo.
Solane semper ero injustis [24] exercita curis?
Quam modò [25] Tydidæ Calydonia vulneret hasta;
[26] Nunc malè defensæ [27] confundant mœnia Trojæ.
Quæ videam [28] natum longis erroribus actum,
Jactarique freto, sedesque intrare [29] silentum;
Bellaq; cum Turno gerere; aut, si vera fatemur,
Cum Junone magis. Quid nunc antiqua recordor
Damna mei generis? Timor hîc meminisse priorum
Non sinit. [30] In me acui sceleratos cernitis enses:
Quos prohibete, precor; facinusq; repellite: neve
Cæde sacerdotis [31] flammas exstinguite Vestæ.
Talia [32] nequicquam toto Venus anxia cœlo
Verba jacit: [33] superosque movet. [34] Qui rumpere quanquam
[35] Ferrea non possunt [36] veterum decreta sororum,
[37] Signa tamen [38] luctus dant haud incerta futuri.
[39] Arma [40] ferunt inter nigras [41] crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cœlo
[42] Præmonuisse [43] nefas. Phœbi quoq; tristis imago
[44] Lurida [45] sollicitis præbebat lumina terris.

20 Cæsari qui Pontifex erat. Nam (ut narrat *Suet.* in *Cæs.* c. 76.) cùm Cæsar dominatione abuteretur, regnumq; affectaret, *in eum conspiratum esse à sexaginta & ampliùs*, C. Cassio, Marcoque & D. Bruto principibus conjurationis. *Pontifex* verò appellatus est vel à *posse* & *facio*, vel (ut Varro affirmat) à *ponte faciendo*. Nam à Pontificibus pons Sublicius primùm est factus, & posteà sæpè restitutus, nec non cæterorum pontium cura iis data. Antiquitatis curiosi longè aliam hujus vocis originem ex Prudentio discere possunt. Erant autem *Majores* & *Minores Pontifices*, inter quos unus summus, qui *Pontifex Maximus* dicebatur, à Numa Pompilio institutus, quòd maximarum rerum, quæ ad sacra & religionem pertinent, judex esset. 21 Quanto studio. 22 Vita Julii Cæsaris. 23 Æneæ filio, à quo gens Julia originem duxit. Virg. 1. Æn. *Julius, à magno demissum nomen Iulo.* Julius autem Cæsar de gente Julia solus restabat. 24 Sollicita, anxia. 25 Diomedis regis Calydoniæ, qui Venerem, Æneæ faventem, ipsumque nube operientem, sagittâ vulneravit, durante Bello Trojano. 26 Sc. *quam.* 27 Perturbent. 28 Æneam. 29 Inferorum. Nam Æneas, duce Sibyllâ, ad inferos descendit. 30 In Jul. Cæsarem, è sanguine meo procreatum, progeniem meam. 31 Religionem atque pietatem omnem ne destruatis. Sic Cic. *Pro Fonteio: Prospicite, ne ignis ille æternus, nocturnis Fonteii laboribus, vigiliisque servatus, Sacerdotis Vestæ lacrymis extinctus esse dicatur.* *Vesta* fuit filia Saturni ex Ope. Undè autem *Vestæ* nomen acceperit, inter scriptores non convenit. Ovidius eam à *vi stando* dictam putat 6. Fast. *Stat vi terrâ suâ, vi stando Vesta vocatur.* Alii à *vestiendo*, quòd terra variis tùm floribus, tùm plantis cæterisque *vestiatur*. Nec desunt, qui ἀπὸ τῆς ἑστίας, *à foco*, nomen hoc deductum velint. Ad id verò alludit Poëta, quod perpetuus ignis in Vestæ templo servabatur à Virginibus Vestalibus, quæ Vestæ sacra curabant, ut ipse docet 6. Fast. *Ignis inextinctus templo celatur in illo.* Quare alibi appellat Vigiles flammas. 32 Frustra. Non enim prohibêre potuit, quin Julius Cæsar à conjuratis trucidaretur. 33 Et Deos ad misericordiam commovet. 34 Qui quamvis duras fatorum leges mutare non possunt, multis tamen signis declararunt hominibus, se valdè Cæsaris cæde mœrere. 35 Duras & immutabiles leges. 36 Parcarum & fatorum. 37 Cæsaris cædem, evidentibus prodigiis, quæ etiam enumerantur, denunciatam fuisse mortalibus, Poëta narrat. 38 Mœroris toti terrarum orbi futuri propter Julii Cæsaris cædem. 39 Prodigia enumerat Poëta, quæ antè cædem Julii Cæsaris apparuerunt. 40 Ajunt. Quære hæc prodigia in Plutarcho, Suetonio aliisq; 41 Strepitum emittentia. 42 Prænunciasse. 43 Nefandam ac impiam Cæsaris Pontificis Maximi cædem. 44 Pallida. 45 Anxiis mortalibus, ne quid magnæ calamitatis sibi impenderet, timentibus.

46 Sæpe

[46] Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris :
[47] Sæpe inter nimbos guttæ cecidêre cruentæ.
[48] Cærulus & vultum ferrugine Lucifer [49] atrâ
[50] Sparsus erat : [51] sparsi Lunares sanguine currus.
Tristia [52] mille locis [53] Stygius dedit omina bubo ;
Mille locis lacrymavit [54] ebur : cantusq; feruntur
Auditi, [55] sanctis & verba minantia lucis.
[56] Victima nulla litat : [57] magnosque [58] instare tumultus
[59] Fibra monet ; [60] cæsumque caput reperitur in extis.
Inque foro ; circumque domos, & templa Deorum
[61] Nocturnos ululâsse canes ; [62] umbrasq; silentum
Erravisse ferunt ; [63] motamq; tremoribus urbem.
Non tamen insidias venturaque vincere fata
[64] Præmonitus potuêre Deûm : [65] strictiq; feruntur
In templum gladii. Neq; enim locus ullus in Urbe
Ad facinus, diramq; placet, nisi, Curia, cædem.
Tum verò Cytherea manu percussit utraque
Pectus : & æetherea [66] molitur condere nube ;
[67] Quà priùs infesto Paris est ereptus Atridæ :
[68] Et Diomedeos Æneas fugerat enses.
[69] Talibus hanc [70] genitor : Sola insuperabile fatum,
Nata, [71] movere paras ? [72] Intres licet ipsa sororum
Tecta [73] trium ; cernes illîc molimine [74] vasto
Ex ære, & solido [75] rerum tabularia ferro :
Quæ neq; [76] concursum cœli, neq; fulminis iram,
Nec metuunt ullas tuta atque æterna ruinas.
Invenies illic [77] incisa adamante [78] perenni
[79] Fata tui generis. Legi ipse ; animoq; notavi :
[80] Et referam : nè sis etiamnum ignara futuri.
Hic [81] sua complevit (pro quo, Cytherea, laboras)
Tempora, perfectis, quos terræ debuit, annis,

46 Sæpè faces ardentes in cœlo antè cædem Cæsaris visæ sunt. 47 Sæpè sanguinem pluit. 48 Obscurus, cùm alioqui nitidissimus soleat esse. 49 Nigro colore. 50 Respersum & tectum os habens. 51 Luna ipsa sanguineis guttis respersa videbatur. 52 Multis in locis. Numerus finitus pro infinito. 53 Horribilis, funestus. Habebatur enim hæc avis pessimi ominis. 54 Eburnea simulacra Deorum. Ita Virg. Georg. *Et mæstum illacrimat templis ebur.* 55 Qui Diis consecrati, cædi jure non possunt. 56 Nulla hostia Deos significat esse placatos. Id verò Cæsari evenisse, quo die fuit trucidatus, scribit Suetonius. *Nam pluribus hostiis cæsis cùm litare non posset, introiit curiam, spreta religione.* 57 Magnam rerum mutationem. 58 Imminêre, impendere. 59 Exta significant. 60 Recisum : nam exta sine capite significant mortem alicui imminêre. 61 Nocte canes ululatibus luporum similes voces emisisse. Verum, quod ait *Virg.* majus est : *Pecudesque locutæ.* 62 Animas mortuorum. 63 Urbem Romam fuisse concussam. 64 Prædictiones, prodigia & portenta Deorum. Legem enim fatorum ne Dii quidem perrumpere possunt. Fata verò magis prævideri, quam vitari possunt. 65 In curiam Pompeii, in qua Senatus habebatur. *Diu autem consultarant conjurati, utrum illum in campo,* &c. usque ad finem cap. 80. 66 Præparat ut abscondat. 67 Paris, cum Menelao congressus, ope, & auxilio Veneris, quæ nube ipsum texit, manus illius effugit. 68 Æneas, cum Diomede congressus, facilè interfectus fuisset, nisi à Venere fuisset liberatus. 69 Se *alloquitur.* 70 Jupiter Veneris pater. 71 Mutare. 72 Tu ipsa intrare potes Parcarum & fatorum ædes. 73 Trium Parcarum. Hæ vitæ mortisque omnium præsides esse finguntur, ac vitam nendo producere, quæ sunt Lachesis, Attropos & Clotho. 74 Vastæ magnitudinis. 75 Tabulæ æreæ, in quibus immutabilia fatorum decreta sunt incisa. Parcæ enim Deorum sunt scribæ, quæ Jovis & cœli decreta, quæ mutari non possunt, in tabulis habent descripta. 76 Tonitru, quod cœlum concutit. 77 Insculpta. 78 Perpetuo, incorruptibili. 79 Ea omnia, quæ tuo generi necessariò sunt eventura. 80 Augusti laudes referendi viam sternit Poëta. 31 Ætatem suam, fato concessam, i. e. annos : nam Julius Cæsar sextum & quinquagesimum ætatis annum agens, in Senatu fuit interfectus.

Ut

Ut Deus accedat cœlo, templiſque colatur,
Tu facies, [82] natuſque ſuus, qui nominis hæres,
Impoſitum feret [83] Urbis onus: cæſiq; parentis
[84] Nos in bella ſuos fortiſſimus ultor habebit.
[85] Illius auſpiciis obſeſſæ mœnia pacem
Victa [86] petent Mutinæ: [87] Pharſalia ſentiet illum,
[88] Æmathiâq; iterum madefacti cæde Philippi,
Et [89] Magnum Siculis nomen ſuperabitur undis:
Romaniq; ducis [90] conjux Ægyptia [91] tedæ
Non bene fiſa cadet: fruſtraque erit illa minata,
Servitura ſuo [92] Capitolia noſtra [93] Canopo.
Quid tibi barbariem, gentes ab [94] utroq; jacentes
Oceano numerem? Quodcunque habitabile tellus
Suſtinet, hujus erit. Pontus quoq; ſerviet illi.
Pace datâ terris, animum ad civilia vertet
Jura ſuum, legeſque feret juſtiſſimus auctor:
Exemploque ſuo [95] mores reget: inque futuri
Temporis ætatem venturorumque nepotum
Proſpiciens, [96] prolem ſancta de Conjuge natam
Ferre ſimul nomenque ſuum [97] curaſque jubebit.
Nec, niſi cùm ſenior [98] ſimiles æquaverit annos,
Æthereas ſedes [99] cognataque ſidera tanget. [
[100] Hanc animam interea cæſo de corpore raptam
Fac [101] jubar, ut ſemper Capitolia noſtra Forumq;
Divus [102] ab excelſa proſpectet Julius æde.

82 Octavius Auguſtus, quem ex dodrante hæredem Cæſar reliquit, & in familiam nomenque adoptavit. 83 Imperii adminiſtrationem. 84 Nos ſibi in bellis faventes. [Nam *bella civilia quinque geſſit Auguſtus, Mutinenſe, Philippenſe, Perſinum Siculum Actiacum: quorum bellorum initium & cauſam hinc ſumſit, nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare illiuſque acta tueri*, Suet. in Aug. cap. 9, & 10. 85 Illius ductu Nam cum *D. Brutus Mutinæ à M. Antonio obſideretur, juſſus eſt à Senatu Octavius comparato exercitui pro Prætore præeſſe*, & Hirtio ac Panſâ *Conſulibus*, *D. Bruto opem ferre*, Suet. in Aug. cap. 10. 86 Quærent pacem & liberationem. 87 *Pharſalus* urbs eſt Theſſaliæ Undè fit *Pharſalia*, ac pro Theſſalia ponitur, in qua Romani exercitus conflixêre, ducibus Pompeio & Cæſare. 88 Macedoniei. Nam *Philippi* urbs eſt Macedoniæ, à *Philippo* rege cognominati. Bellum Philippenſe, initâ cum M. Antonio & Lepido ſocietate, adverſus Brutum & Caſſium Octavius geſſit: ſolent vero Poëtæ Virgilius, Ovidius & Lucanus Pharſalum Theſſaliæ urbem, ubi inter Cæſarem & Pompejum pugnatum eſt, confundere cum Philippis Macedoniæ, ubi Octavius & Antonius ulturi Cæſaris percuſſores, devicerunt Brutum, & Caſſium. Vide *Virgil.* in fine Lib. 1. *Georg.* & *Lucanum* ſub fin. Lib. 1. 89 Sext. Pompejus, Mag. Pompeji filius, circa Siciliam ab Octavio Cæſare victus. 90 Cleopatra regina Ægypti, nupta M. Antonio 91 Non benè confiſa nuptiis M. Antonii: nam & regnum & vitam amiſit. 92 Romana. Intellige hic per *Capitolium* Romam, & per *Canopum* Ægyptum. Dein utriuſque incolas. Metonym. ſubj. 93 Sibi placenti ac grato. Eſt autem *Canopus* urbs Ægypti. 94 Orientali & Occidentali. Prædicit autem Veneri Jupiter, Auguſtum Cæſarem totius orbis terrarum imperio potiturum. 95 Ubi Cenſor fuerit. 96 Tiberium, Octavio genitum ex Livia Druſilla. quam ille gravidam à Druſo impetrarat uxorem. 97 Imperii adminiſtratione. 98 [*Similes*; num Patriis? atqui Julius Cæſar nondum Senex eſt interfectus; repone cum Heinſio *Pylios*, conjecturâ feliciſſimâ; Sic noſter Triſtium Lib. v. Eleg. v.

Dî precor & Cæſar Dîs acceſſure, ſed olim
Æquarint Pylios cum tua fata Dies.]

99 Ad Romuli & Cæſaris ſtellas aſcendet. 100 Hortatur Venerem Jupiter, ut Julii Cæſaris animam in ſtellam commutet: quod quidem idcircò fingitur, quia (ut *Suetonius* narrat) poſt ejus cædem, edente Auguſto ludos patri conſecratos, ſtella crinita per ſeptem continuos dies fulſit: unde creditum, eam ſtellam eſſe animam Cæſaris in cœlum recepti. 101 Stellam. 102 Ab alto cœlo.

Vix ea fatus erat; media cùm ſede Senatûs
Conſtitit alma Venus nulli cernenda: ſuique
Cæſaris eripuit membris, nec in aëra ſolvi
Paſſa recentem animam, cœleſtibus intulit aſtris.
Dumque tulit; lumen [103] capere, atque igneſcere ſenſit:
Emiſitque ſinu: Luna volat altiùs illa:
[104] Flammiferumq; trahens ſpatioſo limite crinem
Stella [105] micat, [106] Natique videns benefacta; fatetur
Eſſe ſuis majora; & vinci gaudet ab illo.
[107] Hic ſua præferri quanquam vetat acta paternis;
Libera fama tamen; nulliſque obnoxia juſſis,
Invitum præfert; [108] unaque in parte repugnat.
[109] Sic magnis cedit titulis [110] Agamemnonis [111] Atreus:
Ægea ſic Theſeus. Sic Pelea vincit Achilles.
Denique, ut [112] exemplis ipſos æquantibus utar,
Sic & Saturnus minor eſt Jove. Jupiter [113] arces
[114] Temperat ætherias, & [115] mundi regna triformis:
Terra ſub Auguſto. Pater eſt & Rector [116] uterque.

[117] Dî, precor, [118] Æneæ comites, quibus enſis & ignis
Ceſſerunt, [119] Dîq; Indigetes, [120] genitorque, Quirine,
Urbis, & invicti genitor, [121] Gradive, Quirini,
[122] Veſtaque Ceſareos inter ſacrata penates;
Et cum Cæſarea tu, [123] Phœbe domeſtice, Veſta,
Quique tenes altus [124] Tarpeias Jupiter [124] arces,

103 Contrahere divinitatem.
104 Cometæ exprimit definitionem: *cometa* enim ſtella eſt crinita.
105 Splendet.
106 Auguſti.
107 Quamvis Auguſtus vetet ſua geſta præferri meritis Julii Cæſaris ſui parentis, fama tamen illum anteponit invitum, atque in hoc uno populi judicio Auguſti ſententia repugnat. Horatius, --- *At noſter hic populus ſapiens & juſtus in uno Te noſtris ducibus, te Grais anteferendo.*
10 In hac una re. In reliquis enim morem Imperatori Auguſto gerit.
109 Julium Cæſarem gaudere, ſe rerum geſtarum magnitudine à filio Auguſto ſuperari, exemplis probat Poëta.
110 Cujus ductu Troja fuit everſa. 111 Pater Agamemnonis. 112 Æqualibus ipſis, Julio & Auguſto Cæſaribus: tria enim exempla, quæ adduxit Ovidius, virorum quidem præſtantiſſimorum fuëre, ſed Julio & Auguſto Cæſaribus, qui in numerum Deorum relati ſunt, accommodata minùs eſſe videntur, ideòque Deorum exemplis illud idem Poëta demonſtrat. 113 Cœlum. 114 Moderatur, regit. 115 Jupiter regit mundi ſuperiores partes, quæ conſtant ex cœlo, æthere, & aëre: Auguſtus verò inferiores, terram & mare. 116 Jupiter & Auguſtus. 117 Deos Penates, Veſtam, Romulum, Martem, Apollinem, Jovem, alioſque precatur Poëta, ut diu Auguſtus in terris maneat, ſerò autem in cœlum recipiatur. Sic Horat. *Serus in cœlum redeas, diuque Lætus interſis populo Quirini.* 118 O Penates Dii, quorum ope Æneas ex hoſtium enſibus & Trojæ incendio fuit liberatus. 119 Indigetes appellati ſunt Dei ab Italis ante Evandri & Æneæ adventum culti; quales Janus, Faunus; præterea ii quoque qui de gente Italâ vel Romanâ poſt mortem in Deorum numerum ſunt recepti. Quorum autem cultus Græcis vel Ægyptiis debetur *Adſciti* dicti ſunt. 120 O Romule, qui etiam *Quirinus* appellatus es, urbiſque Romæ conditor fuiſti. 121 O Mars, ex quo Romulus invictus natus eſt. 122 Et tu ô Veſta, cui ſacellum eſt in Palatio, ubi habitant Imperatores. 123 Auguſtus templum Apollinis (ut ſcribit Suetonius) in ea parte Palatinæ domus excitavit, addita porticu, cum Bibliothecâ Græca & Latinâ. 124 Tuque ô Jupiter, qui templum habes Romæ in monte Tarpejo, ita dicto à Tarpeja Virgine. Mons autem Tarpejus idem eſt qui Capitolinus.

Quoſque

Quosque alios vati fas appellare, piumque;
Tarda sit illa dies, & nostro serior ævo,
[125] Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto
Accedat cœlo: faveatque precantibus [162] absens.

[127] Jamque opus [128] exegi: quod nec Jovis [129] ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec [130] edax [131] abolere vetustas.
[132] Cùm volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat ævi:
[133] Parte tamen meliore mei super alta [134] perennis
Astra ferar: nomenque erit [135] indelebile nostrum.
[136] Quaque patet domitis Romana potentia terris;
Ore legar populi: perque omnia secula famâ
(Si quid habent veri vatum [137] præsagia,) vivam.

125 Qua Augustus in sedes Deorum cœlestes, orbe terrarum, quem gubernat, relicto, transferatur. 126 In cœlum receptus. 127 Mos est ferè Poëtarum, ut in suorum operum fine aliquid de se dicant. Sic *Virg.* quartum *Georg.* concludit: *Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam, Et super arboribus, Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem.* Hanc consuetudinem Ovidius in fine operis imitatus, nonnulla in commendationem operis sui ait. 128 Perfeci, absolvi, finem operi imposui. Sic Horat. *Exegi monumentum ære perennius, Regalique situ pyramidum altius.* 129 Aspera tempestas, fulmen, &c. 130 Omnia rodens & corrumpens. 131 De ére, ad nihilum redigere. Sic Horat. *Exegi, &c. Quod non imber edax, non Aquilo impotens Possit diruere, aut innumerabilis Annorum series & fuga temporum.* 132 De morte se nihil curare ait, quando suum opus & nomen immortale sit futurum. 133 Ingenii mei fama. 134 Immortalis, ac per omnes annos duraturus. 135 Incorruptibile, immortale. 136 Per totum terrarum orbem opus meum legetur, cùm hoc tempore totus orbis Augusto pateat, ac ubique Latina lingua in usu sit. 137 Divinationes Poëtarum.

METAMORPHOSEΩN,

FINIS.

Fabularum & Rerum Memorabilium Copiosus

INDEX.

A.

B.

Cephisi

D.

F. Famæ.

F.

G.

H.

I. Jason

I.

L. Labyrin-

L.

M.

N. Naïdes

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

Z.

FINIS.

A CATALOGUE of ſome Books printed for the Company of Stationers.

ÆSopi Fabulæ cum Indice præfixo. 8°.

——— *Idem English and Latine.* *By* Hoole. 8°.

Apthonii Progymnaſmata cum Scholiis Lorichii. 8°.

M. Corderii Colloquia Scholaſtica. 8°.

——— *Idem English and Latine.* *By* Hoole. 8°.

M. T. Cicero de Officiis. Item de Amicitia de Senectute: Paradoxa & de Somnio Scipionis cum Indice. 8°.

Illuſtrium Poetarum Flores.

Catonis Diſticha cum Scholiis Eraſmi.

——— *Idem English and Latine.* *By* Hoole.

Catechiſmus Parvus, Lat.

S. Caſtalionis Dialogi Sacri. 8°.

The English School-maſter, being the moſt eaſie, ſhort, and perfect Method for reading and writing English. 4°.

A Century of Epiſtles English and Latine, ſelected out of Tully, Pliny, *and* Textor. *By* Charles Hoole. 8°.

Iſocratis Pareneſcis hoc eſt ad Demonicum, Nicoclem, de Regno. 12°.

——— *Orationes tres ad Demonicum, Nicolem, item Plutarchus de Liberis educandis.* 8°. *Gr.*

Comenii Janua Linguarum reſerata: The Gate of Languages Unlocked. 8°.

Linguæ Latinæ Exercitatio. Joh. Lud. vive Auctore. 8°.

B. Mantuani Adoleſcentia ſeu Bucolica brevis commentariis Badii. 8°.

Chri-

Christianæ Pietatis prima Institutio ad usum Scolarum. 12°.

P. Ovidii Nas. Heroidum Epistolæ Lib.3. Amorum , de Arte Amandi de remediis Amoris. 8°.

——— *de Tristibus Libri V. cum Annotationibus.* 8°.

——— *Id. cum Notis Minellii.* 12°.

——— *Metamorphosis ex Accuratiss. Virorum Doct. castigationibus emend.* 8°.

Ovid. Fastorum Libri 6. Tristium Lib. 5. *de Ponto, in Ibin accuratissimis diversorum castigationibus.* 8°.

Pueriles Confabulatiunculæ Auctor E. Gallo a mendis repurgata. 8°.

——— *Idem English and Latine. By* Hoole.

Possellii Colloquia familiaria accessit Dialogus de ratione studiorum recte instit. 8°.

M. T. Ciceronis Epistolarum Libri IV. cum postremis H. Stephani, & Lambini editionibus collati & quàm accuratissime emendati a Joane Sturmio. 8°.

Sententiæ Pueriles, pro primis Latinæ Linguæ Tyronibus. 8°.

——— *Idem English and Latine. By* Hoole.

Prosodia H. Smetii promptissima quæ syllabarum positione & dipthongis carentium, quantitates sola veterum Poet. authoritate, addictis exemplis demonstrat. 8°.

P. Terentius a M. Ant. Mureto emend. 8°.

Epistolæ Jo. Ra. Textoris. 8°.

Epithetorum Jo. Ra. Textoris Epitome.

The Testament of the twelve Patriarchs, with Figures. 8°.

Tusser's 500 *Points of Good Husbandry.* 4°.

ERRATA in TEXTU.

LIb. i. v. 82. lege *ſatus Japeto.* v. 91. *minacia.* v. 598. *Lyrceïare liquerat.* v. 778. *Ex templo.* Lib. ii. v. 491. *Quondam.* v. 569. *licet hoc a.* Lib. iii. v. 10. *occurret.* v. 292. *potens.* v. 430. *ſed quod.* Lib. iv. v. 610. *putabat.* Lib. v. v. 215. *Confeſſaſque.* v. 224. *Quod, ait.* v. 337. *Muſæ.* Lib. vi. v. 421. *bimari.* v. 539. *geminis.* Lib. vii. v. 10. *non poterat.* v. 391. *aëre.* v. 612. *vagantur.* v. 823. *Auræ tam.* Lib. viii. v. 279. *ira.* v. 180. *inultæ.* v. 327. *Virum.* v. 336. *juncique.* v. 337. *parvæ.* v. 525. *Calydon.* v. 863. *his eſt reſecuta.* Lib. ix. v. 137. *Fama.* v. 289. *auctorem.* v. 326. *Ingemuit.* Lib. x. v. 104. *Grata.* v. 133. *doleret.* v. 627. *patietur.* Lib. xi. v. 493. *vetetve.* v. 686. *crinem.* Lib. xii. v. 177. *Dic age.* v. 433. *Phonoleniden a.* Lib. xiii. v. 184. *Flamina.* v. 197. *viſaque.* v. 569. *rictuq;* v. 678. *petiere.* v. 894. *Miraque.* Lib. xiv. v. 155. *emergit.* v. 270. *examinant.* v. 395. *Pluma.* Lib. xv. v. 46. *facta.* v. 272. *excæcata.* v. 517. *Quadrupedes.* v. 544. *eſto.* v. 742. *ſe de.*

In Notis & Argumentis Fabularum.

ARg. Fab. 6. L. 4. lin. pen. *diceretur.* Arg. Fab. 3. L. 6. pro *Theſtii* lege *Thyeſtæ.* p. 131. not. 38. pro *ignes* lege *igneus.* p. 173. not. 37. pro *jactari* lege *jactare ſe.* p. 199. not. 165. pro *urens* lege *urat.* p. 204. L. ult. pro *attonitus* lege *admonitus.* p. 306. not. 25. pro ϳαρίων lege ϳαρίων. p. 423. not. 12. pro *Tumat* lege *Tumet.* Addend. p. 4. lege *Lib.* 3. *v.* 131.